


PP: Camaldulensium Insulae Vigrensis.

suffundere, quòd horum vestigia secútus, erga proximos adeo durus & inhumanus extiteris, eisque misericordiæ & charitatis officia impendere renueris, cùm tamen Christus proximum tibi tantoperè commendauerit, vt inter omnia præcepta Euangelica, nullum suis æquè obseruandum iniunxerit, quàm illud de proxmo diligendo iuuandoque.

6. CONSIDERA. Christum Saluatorem tuum verum Samaritanum, sæpenumero vulnera tua obligare medicarique voluisse. Te verò per summum scelus eidem, tamquam furore correptum, restitisse ac repugnasse.

MEDITATIO II.

PRO FERIA SECVNDA.

CONSIDERA. Non tantum beatos esse illos, qui vident ea quæ Apostoli conspexerunt; verum etiam eos qui vera fide credunt ea, quorum Apostoli oculati testes esse meruerunt, ipso Christo teste cùm ait: *Beati qui non viderunt & crediderunt.*

2. CONSIDERA. Huius Legisperiti interrogationem, qui percunctatus est: Quid faciendo veram perpetuamque vitam possessurus esset. Eadem in re versetur tota sollicitudo tua; de hac re numquam non cogita, de eadem assiduò sermonem habe, nec vllum omninò studium aut laborem, pro ea consequenda, prætermitte.

3. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex tota mente tua; & proximũ*

tuum, sicut teipsum. Hoc est, anima mea, speculum, in quo teipsam contueri debes. Hic scopus, ad quem mentem animumque referre, atque omnia consilia & cogitationes tuas te dirigere oportet, ita vt numquam è memoria tua effluat, sed de illa diu noctuque mediteris.

4. CONSIDERA. Christum non dicere: Diliges Deum quantum meretur diligi; quandoquidem fieri non potest, vt id creatura aliqua præstet; nec dicere: Diliges Deum quantum eum supremi Seraphim diligunt; sed dumtaxat dicere: *Diliges Deum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis*; vt hinc intelligas Deum nihil amplius quam potes, à te requirere: ne forsitan ex imbecellitatis tuæ conscientia, animum tuum, alioqui sati exilem, demittas.

5. Incidit homo ab Ierosolyma in Iericho descendens in manus latronum. Certo crede, viam quam perambulas obsideri à truculentissimis latronibus; atque idcircò tibi prouidendum est, quomodo secundùm doctrinam
hes.5. Apostoli *cautè ambules*. Si verò securus ab eorum incursibus esse vis, noli te solum huic itineri committere; sed personam aliquam itinerum spiritualium callentissimam, & periculorum in iis occurrentium peritissimam tibi adiunge, cum qua de rebus ad animam tuam pertinentibus consilia tractes, cuiusque
l.4. directioni te totum committas. Quia scriptum est: *Væ soli, quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se.*

6. CONSIDERA. Hominem hunc qui incidit in latrones descendisse ab Ierosolyma; quæ

quæ Dei templum continebat, in quo diuina res peragebatur, & sacrificiis atque oblationibus cæleste numen placabatur. Animaduerte hinc, quàm periculosum sit Ecclesiam diuinaque officia negligere, Sermones de rebus diuinis dormitanter auscultare, precibus negligenter insistere, & frequentem Sacramentorum vsum repudiare.

7. CONSIDERA. Dominum hoc exemplo nos docere voluisse proximum reuera censeri amarique oportere omnem mortalem cuiuscumque conditionis, qui nostra opera indigeat, & cui misericordiæ fraternæ officium exhiberi possit: quandoquidem à Deo ad eamdem quam omnes communem habituri sumus beatitudinem, conditus est. Atque idcircò eumdem nos erga vnumquemque animum, qualem Samaritanus hic erga hominem hunc ab omnibus neglectum gessit, induere oportere; vt de omnium salute solliciti simus, eisque tum in corporis, tum in animæ necessitatibus succurramus; nec vllũ omnino qualiscumque ille sit, etiãsi patria, religione, ac moribus alienigena sit, qui nostro beneficio subleuari possit, prætereamus.

MEDITATIO III.

PRO FERIA TERTIA.

CONSIDERA. Immensum beneficium, quod in te Dominus contulit, fidei lumine cor tuum illuminando; quo illustratus, eorum, quæ Apostoli coram inspexerunt, firmam fidem habes; quod multis

Regibus, Imperatoribus, & Principibus huius mundi denegatum fuit.

2. CONSIDERA. Misericordiam, qua Deus erga nos vsus est, quando legem Euangelicam nobis contulit, per quam clarissimè ac certissimè doceremur, quid nos facere oporteat vt suæ maiestati grati acceptique efficiamur, ac veram immortalemque vitam obtineamus. Simul etiam attende immensam Dei liberalitatem, qui æternæ vitæ præmium, rem videlicet tantæ æstimationis, vt cum ea nulla alia componi possit, nostræ potestati permisit, vt eo vel potiamur vel priuemur.

3 Deus à te exigit totum cor tuum, & omnes vires animæ tuæ: modus namq; amandi Deum est, amare sine modo. Non est igitur, anima mea, quòd formides, te in excessu crimen aliquod admissurum, quia ille qui amatur est bonum infinitum. Amem te Domine, ex omnibus visceribus meis.

4. CONSIDERA. Eum qui præcipit se amari ex toto corde, prius lancea latus suum transuerberari voluisse, vt eo patefacto cor suum tibi donaret. Eum qui iubet se amari ex tota anima, primo animam suam pretiosissimam mœrore & tristitia confici, & ad mortem vsque tui causa coangustari voluisse. Eum qui mandat se ex omnibus viribus amari, tui amoris gratia, omnes vires suas in Cruce consumpsisse, vsq; adeò vt iis contritis & exhaustis, in manus Patris Spiritum exhalauerit.

5. CONSIDERA. Christum Redemptorem tuum verum esse Samaritanum, qui custodit Israel: quique miseratione hominis saucij, & à latronibus infernalibus despoliati, per-

permotus, manus ad illum ſuas extendit, vulnera obligauit, & equo impoſitum in hoſpitium ſiue diuerſorium Eccleſiæ vſque perduxit, vbi eumdem per adminiſtros ſuos refecit, ac priſtinæ reſtituit incolumitati. Lauda & glorifica eum, & gratias refer infinitæ miſericordiæ ipſius.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

SVMMA EVANGELII.

SAnctum Euangelium refert miraculum illud, quo Christus cùm Ieroſolymam proficiſceretur, à decem viris lepra infectis rogatus, optatam omnibus ſanitatem reſtituit: inter quos vnus tantum Deo ac Redemptori ſuo gratias egit. S. Lucas cap. 17.

MEDITATIO I.

CONSIDERA paulisper, horũ leproſorũ fœdũ & immedicabilẽ morbũ, propter quem ab aliorum conuictu prorſus arcebantur. Et econtrariò ſpiritualis lepræ deformitatẽ expende, quæ ſi corporeis oculis vſurpari poſſet, multò deteſtabilior appareret; ita vt etiã vnius hominis culpæ, alicuius mortalis labe contaminati turpitudinem & horrorem omnium quotquot mundus hic habet lepra infectos fœditatem exæquare non poſſit.

2. Leproſi immunditiæ ſuæ conſcij, ad Chriſtum accedere non audebant. Confitere & tu, te propter criminum tuorum magnitudinem indignum eſſe, qui coram diuina maie-

ſtate compareas. Adhæc quemadmodum illi Chriſti opera implorarunt, atque immunditiæ ſuæ remedium ab eo petierunt: ita & tu Chriſtum ex totis præcordiis inuoca, vtque tui miſereatur poſtula.

3. CONSIDERA. Dominum præcipere leproſis, vt Sacerdotibus ſe oſtendant: hinc animaduerte, idcircò vulnera tua putredinem contraxiſſe, quia illa ſtudioſè contexiſti, nec aliis ſananda præbere voluiſti. Et eam ob cauſam oſſa tua inueterata, virtutemq́ue animæ tuæ debilitatam eſſe; quia ſcelera tuo Sacerdoti detegere, ac animum per confeſſionis Sacramentum à peccatorum ſordibus purgare recuſaſti.

4. Pudore ſuffundere propter tuam ingratitudinem: quia nullum penè grati animi erga diuina beneficia ſignum oſtendiſti, nec ea vllis compenſaſti officiis, licet valdè inſignia eſſent, & tu tantis beneficiis affici non merereris.

5. CONSIDERA. Quomodo poſteaquam à ſpiritualis lepræ, id eſt, à peccatorum ſordibus diuino beneficio mundatus & repurgatus eſſes, ad eaſdem denuo ſordes redieris, iiſdemq́ue ſceleribus non ſemel, ſed ſæpius admiſſis, animam contaminaueris.

MEDITATIO II.

PRO FERIA SECVNDA.

HOs leproſos tibi imitandos propone, eorumq́ue verecundiam, ſubmiſſionem, ac in petendo perſeuerantiam exprimere

mere contende, modò Deum tibi propitium habere, ac necessitatibus tuis remedium inuenire desideres. CONSIDERA, leprosos hos Christum duobus nominibus appellasse, Saluatoris & Magistri: nam ipse est, qui salutem confert; simulque qua ratione eadem tuenda & conseruanda sit, instituit. Disce hinc, ita totam spem & fiduciam tuam in hoc Saluatore collocare, eiusque meritis inniti, vt pariter ea quæ Magister docuit, in rem conferre atque opere exequi studeas.

2. CONSIDERA. Christum præcepisse leprosis, vt irent & ostenderent se Sacerdotibus. Documentum hinc accipe, Deo acceptum esse, vt inter homines mutua seruetur subiectio, ita vt subditi suos reuereantur & agnoscant Prælatos; & hac ratione æternam promereantur felicitatem.

3. CONSIDERA. Leprosos inter eundum fuisse mundatos. Agnosce hinc singularem obedientiæ efficaciam: atque virtutem hanc amplectere, illiusque assiduus amator & cultor esto.

4. CONSIDERA. Gratum beneficiorum memorem animum, Deo acceptissimum esse: ingratum verò ita odiosum ipsi esse, vt nullum ferè hominum genus, quàm qui ingrati animi culpa obstricti sunt, magis oderit. Quapropter omni tempore beneficiis acceptis Dominum laudare, eique gratiam quibuscumque potes officiis referre stude.

MEDITATIO III.

PRO FERIA TERTIA.

CONSIDERA. Eamdem misericordiam quam leprosi quæsiuerunt, vniuersas creaturas à Deo expectare: nam omnes ab eo dependent, nec aliud esse habent, præter illud, quod eis à misericordia diuina communicatur.

2. CONSIDERA. Duo illa eximia officia, quibus Christus Dominus in mundo egregiè perfunctus est: Saluatoris nimirum & Magistri. Et contemplare quàm insigni cum laude eadem gesserit, quamq́ue præclarè vtrique officio satisfecerit. Gratias age ei pro tanto beneficio: & desidera Saluatoris huius, extra quem non inuenitur salus, notitia omnes illustrari, & ad cælestis huius Magistri doctrinam amplectendam & opere exequendam conualescere; quandoquidem ipse solus veram nobis ad cæleste regnum semitam demonstrat.

3. CONSIDERA. Ex prima statim horum leprosorum petitione, Christum eorum miseratione permotum fuisse, illosq́ue curandos suscepisse. Lauda & glorifica tantam Christi misericordiam & clementiam.

4. CONSIDERA. Christum horum leprosorum ad sacerdotes missione, Sacerdotũ nouæ legis potestatem, qua pollent in animabus, à spiritualis lepræ immunditiis perpurgandis, indicare voluisse. Et gratias ei age, qui tam necessariam potestatem Ecclesiæ suæ relinquere dignatus est.

5. Con-

5. CONSIDERA. Innumerabilia Dei beneficia, quæ omni penè hora & momento, ſumma cum liberalitate in te congerit. Quapropter à Dei laudibus & gratiarum actione, nullo vmquam tempore deſiſte; ſed cum Propheta Regio hæc verba perpetuo in ore circumfer: *Benedicam Domino in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.*

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

SVMMA EVANGELII.

IN Euangelio vni Domino, non pluribus ſeruire docemur: atque inſtruimur ad ſeruiendum Deo neceſſarium eſſe, vt ab inutili, ſuperuacanea & noxia rerum ſollicitudine abſtineamus, ac ſpiritualia primum deinde temporalia quæramus. S. Matth. cap. 7.

MEDITATIO I.

CONSIDERA. Quomodo licet Deus ſit verus Dominus tuus, illum nihilominus abnegaueris, atque ab eius miniſterio diſceſſeris; iugumque legis eius abiiciens, & vincula mandatorum eius perrumpens, dixeris: *Nolo ſeruire.*

2. CONSIDERA. Si fieri non poſſit, vt quis duobus Dominis, vno eodemq; tempore famuletur; longè minus fieri poterit, vt tot Dominis ſeruias, quot ſunt appetitus inordinati, quorum te ſeruum conſtituiſti.

3. CONSIDERA. Si voluntatis Domini est, vt omnem abiiciamus rerum temporalium inordinatam sollicitudinem, imò earum etiam quæ corpori necessaria existimantur, cuiusmodi sunt alimenta,& vestimenta: nemini dubium esse potest, quin voluntati ipsius contrarium sit, non modò necessaria, verumetiam superflua, magna cum animi anxietate quærere. Coargue hinc inordinatam animi tui cupiditatem.

4. Erubesce, quod videas te toto animo de his, quæ ad corporis commoda spectant, sollicitum esse: de his verò quæ ad animam pertinent, minimum laborare; in eiusque ornamentis curandis, nullũ omninò studium ponere: cùm tamen anima corpori multis partibus præstantior sit.

5. CONSIDERA. Verba Christi, quibus nimiam à te rerum labentium sollicitudinem auferre conatus est; ait namque; Patrem cælestem diuina potestate præditum, cælo & terræ summo cum imperio præsidentem, non ignorare quod tibi his opus sit: & eum qui prouidet omnibus creaturis, tibi etiam tamquam omnium creaturarum sub cælo existentium nobilissimæ prouisurum esse. Pudore igitur suffundere, quòd tam exiguum fructum ei eo tuleris, quod Deum Patrem tuum esse certo scias, illumque paterna sollicitudine rerum tuarum curam gerere, licet tu hostilem erga ipsum animum gesseris.

ME-

MEDITATIO II.

PRO FERIA SECVNDA.

CONSIDERA. Seruire Deo tantæ difficultatis esse, vt totum quantus quantus est, requirat hominē: qui quamuis infinities seipso maior esset, ne sic quidem ad tanti momenti officium idoneus ac sufficiens censeri posset. Collige hinc quanta cum diligentia, te diuino seruitio incumbere oporteat.

2. CONSIDERA. Si illi qui in famulatu Dominorum terrenorum versantur, his quæ ad ministerium eorum spectant, omnia postponere debent, Nónne iustissimū est, vt idem præstetur in seruitio eius qui cælum & terram, & omnia quæ ambitu eorum continentur ex nihilo condidit, & summa cum potestate administrat?

3. CONSIDERA. Dominū tales ministros quærere, qui excellenti & generoso animo præditi sint, quique omnia humana inferiora se ducant; nec animos adeò demittant, vt se seruos periturarum & inanium opum constituant: sed assiduò secum reputent, se ad finem longè nobiliorem conditos & in lucem editos esse; vt nimirum cælestia numquam interitura bona summo studio consectentur, ac possideant.

4. CONSIDERA. Qualem à te Dominus sollicitudinem circa necessaria corporis exigat; videlicet quæ sit sine vehementi cura, & nimia cordis anxietate, potentiarumque animæ, circa necessariorum conquisitionem dis-

perſione ſuſcepta. Adhæc conſidera bonitatem & prouidentiam Patris tui cæleſtis: qui paſcit volucres aëris, & veſcit pulchritudine flores campi.

5. CONSIDERA. Verba Chriſti quibus nos admonet, vt primum quæramus regnum Dei, & iuſtitiam eius, & quod cetera, temporalia videlicet, nobis adiicienda ſint. Documentum hinc accipe, Primam & maximam ſollicitudinem, te in his quæ ad diuinum ſpectant ſeruitium ponere debere, deque his aſſiduè cogitare: cetera verò eatenus dumtaxat quærere, quatenus aliquid adiumenti huc adferunt. Si aliter agis, inuertis ordinem à Deo ſtatutum, & de mediis finem conſtituis.

MEDITATIO III.

PRO FERIA TERTIA.

CONSIDERA, anima mea, quàm Deus ſit magnus & potens Dominus; quamque longè lateque patens ſit eius imperium, & quàm dignus, cui ſemper ſeruiatur. Vtpote cui non tantùm millia millium Angelorum in cælis miniſtrant; verùm etiam omnes creaturæ, vnaquæque ſecundum modum ſuum, ad nutum famulantur. Itaque temetipſam totam quantacumque es, miniſterio quàm nobilis ac præpotentis Domini impendere ac conſecrare deſidera.

2. CONSIDERA. Dominum, quando præcipit, vt ſibi dumtaxat, non perituris mundi diuitiis famuleris; in eo non ſuum aucupari com-

commodum, ſed tuam vtilitatem ſpectare: nam tantæ bonitatis eſt, vt tua nobilitate indignum eſſe putet, quod affectu in rebus hiſce terrenis & tranſitoriis verſeris. Atque idcircò ſuam tibi operam defert, ad earum rerum quibus opus haberes, prouiſionem: vt à temporalium cura ſolutus ac liber, cæleſtium rerum contemplationi puriùs ac ſecurius intendere valeas. Benedic & glorifica illum pro tanta benignitate.

3. CONSIDERA. Quanta cum bonitate & admirabili cum prouidentia, Deus à primo illo inſtanti, quo in vtero matris tuæ conceptus fuiſti, ad præſentem vſque horam te ſuſtentauerit. Expende tecum, quomodo non ſolum tibi, ventris adhuc anguſtiis incluſo de conuenienti proſpexerit alimento: verumetiam in lucem hanc edito, quotidianam annonam, ſumma cum liberalitate tranſmiſerit. Dilige, anima mea, munificentiſſimum hunc tui prouiſorem.

4. CONSIDERA. Admirabilem Domini prouidentiam, qua mundum adminiſtrat, qua omnibus animantibus, pennigeris, aquatilibus; & terreſtribus, iiſque non ſolum vniuerſis, ſed etiam ſingulis conſulit: quæ licet nec terram proſcindant, nec ſemina iaciant, nec frumenta metant, & in horrea congregent; nihilo ſecius omnium altor Dominus ſuſtentat, deque omnibus quæ eis ad nutrimentum neceſſaria ſunt, ſpecialem curam gerit. Glorifica anima mea hanc infinitam Dei prouidentiam, quæ etiam vſque ad minima terræ inſecta pertingit.

5. CONSIDERA, anima mea, pulchritudinem

tudinem florum campi, qui ſua venuſtate omnem Salomonis gloriam ſuperant & antecellunt. Et ex hac rerum creatarum conſideratione mentem altius erige, atque collige, quantò Deus, qui totius pulchritudinis fons & origo eſt, & à quo omnis pulchritudo exiſtit, omnibus his ſuperior ſit, eaque longo nimis interuallo poſt ſe relinquat. Quanta inſuper ſit cæleſtis illius habitationis pulchritudo, venuſtas, ac magnificentia, quam Deus perpetuæ beatorum manſioni deſtinauit; ſi tantum decorem creaturis terreſtribus, ac interituris impertitur.

6. *Scit Pater veſter cæleſtis*, dicit Dominus, *quòd his opus habetis.* Cùm, anima mea, Deus ſit Pater tuus, & omnium quæ tibi ad vſum vitæ neceſſaria ſunt notitiam habeat, potenſque ac paratus ſit tibi ſuccurrere, cur mœrore deprimeris? cur temetipſam curis conficis? O Domine cognoſcam quantæ opulentiæ ſit, te Patrem habere: atque inſuper hoc mihi largire, vt omnem meam ſpem in tua paterna prouidentia, vt æquum eſt, reponam.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

SVMMA EVANGELII.

SAnctum Euangelium inſigne refert Chriſti miraculum, quo defunctum adoleſcentem, ac viduæ matris vnicum, ad ſepulchrum elatum, cum Naim ciuitatem ingrede-

deretur, & vitæ & matri, incolumem restituit.

MEDITATIO I.

CONSIDERA. Fructus mundi esse infirmitates & miserias humanæ naturæ, & demum ipsam rerum omnium extremam mortem. Adhæc animo pertracta, Deum non esse mortis auctorem, nec eius immissione illam ad homines descendisse, sed homines eam sceleribus suis attraxisse, quandoquidem vt ait Apostolus Paulus: *Stipendia peccati mors.* *Rom. 6.*

2. CONSIDERA. Omnibus hominibus mortem esse propositam, hora verò mortis nihil esse fallacius, & incertius. Etenim adolescenti huic, quamuis iuuenili adhuc robore prædito, nequaquam pepercit, sed eum in ipso ætatis iuuenilis flore mors immatura sustulit. Simulque perpende, quàm durum sit cùm morte conflictari: vsque adeò vt etiam robustissimi quique huius conflictus memoria expallescant, & horrore perfundantur.

3. CONSIDERA. Te mortuo huic extra ciuitatem elato similem extitisse; non tantum quando crimen aliquod grauius admisisti: verum etiam quoties aliis malo tuo exemplo scandalum præbuisti. Itaque mortem animæ tuæ, amarissimis lachrymis defle, vt Dominus tui misericordia motus, eam à peccati morte resuscitet.

4. CONSIDERA. Quid futurum fuisset de te, nisi matrem ea pietate & compassione, qualis est Sancta Mater Ecclesia, habuisses, quæ dum

dum filios suos spiritu mortuos plangit, & pro eorum salute communi Domino pia vota & preces offert, misericordiam eius ad eorum resuscitationem inflectit.

5. CONSIDERA. Mortuum hunc ætate puerum extitisse: quia quisquis vt exigua aliqua voluptate potiatur, animæ suæ necem adfert, proque tam vili pretio animam in summum discrimen adducit, quantumuis grandis natu sit, puer est, nullaque omnino prudentia regitur.

6. Tetigit Dominus loculum, in quo iacebat mortuus, hi autem qui portabant steterunt. Attende quoties Dominus tetigerit cor tuum: quo tamen contactu, tantum abfuit vt à peccati semitis pedem reuocaueris, vt etiam perruptis habenis, ad extremam pernitiem ipsumque inferni sepulchrum cursum intenderis, in quo iamdudum sepultus iacuisses, nisi Diuina misericordia præuenιens, è faucibus eius emersisses.

7. Ad primam Christi vocem resurrexit mortuus: tu verò licet Deus innumeris te vocibus appellauerit, vocique suæ virtutem & efficaciam ad te suscitandum addiderit; nihilominus eò quod eas ad aures cordis admittere noluisti, sed eis pertinaciter restitisti, vitæ minimè restitutus es.

MEDITATIO II.

PRO FERIA SECVNDA.

CONSIDERA. Cum minimè dubium sit, te aliquando moriturum; certissima namque

namque omnibus moriendi necessitas imposita est, vti experientia quotidiana luce clarius commonstrat, quæ nobis illud quotidie cernentibus nullum dubitandi locum relinquit: ei curæ præcipuè insistere debes, vt in Domino moriaris, quandoquidem S. Scriptura teste: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* *Apoc. 14.*
Illud autem vt consequaris, nihil certius & securius, quam vt sanctā & inculpatam vitam, quoad fieri potest, agas. Simul etiam tecum expende moriendi artem tam eximiam tantæque difficultatis esse, vt totum vitæ tempus ad eam perdiscendam impendere opus sit.

2. CONSIDERA. Quantæ amentiæ sit corpusculum lautè tractare, eiusque commoda sectari, quod aliquando sub terra recondendum, vermibusque in escam futurum erit: Animæ verò qui indissolubilis est & æterna, nullam omnido curam impendere; eamque quasi memoria eius penitus è mentibus exanuisset, negligere.

3. CONSIDERA. Matrem filij corpus ad sepulturam vsque assectatam fuisse. Animaduerte hinc eos qui te nunc maximè diligunt, post mortem tuam inprimis laboraturos, vt te quàm citissimè domo eiiciant, & ad sepulchrum efferri curent. Qui etsi aliquem tibi honorem in assectando funere, id est, informi corporis trunco, præstaturi sunt, animæ tamen comites se adiungere neutiquam valebunt, quæ sola & incomitata ad Iudicem perget, nisi de virtutum & bonorum operum sodalitio sibi ante prouiderit. Hi enim, verissimi & fidissimi amici eius sunt, qui eam in summa necessitare non derelinquunt.

4. CON-

4. CONSIDERA. Christum matris viduæ misericordia motum fuisse. Documentum hinc sume, compatiendum esse viduis & orphanis, & his qui omni ope destituti nostro auxilio magis egent. Hoc enim Sacrificium Diuino numini acceptissimum esse, sacræ Scripturæ testimonio docemur.

5. CONSIDERA. Christum vt matrem mortui solaretur, monuisse, vt sibi à fletu temperaret; quandoquidem filius eius ad vitam reuocandus esset. Disce hinc, ex interitu charorum non immoderatam tristitiam haurire; quandoquidem fidei lumine illustratus certò credis eos aliquando in nouissimo die, corpora recepturos, & ad vitam redituros esse.

6. CONSIDERA. Lætitiam qua perfusa est mater, quando filium à morte ad vitam reuocatum intuita est: & expende, quantum spiritualis animæ à morte peccati resurrectio, gaudium Angelis in cælis pariat, quantamque animis eorum qui in terris constituti, pietatem & religionem vnicè colunt, voluptatem instillet.

MEDITATIO III.

PRO FERIA TERTIA.

CONSIDERA, anima mea, Sapientiam Dei infinitam, qui ex materia illa fœtida & purulenta, quæ de vulneribus nostris egressa est, vnguentum quo eadem sanaret, composuit. Etenim à peccato mors, & omnes aliæ miseriæ processerunt. Per timorem verò

& memoriam mortis, ceterarumque humanæ conditionis miseriarum, Dominus peccatorum nostrorum vulneribus medetur: quia ex earum accurata consideratione homo salubri horrore tactus, se à sceleribus cohibet.

2. CONSIDERA. Singulare beneficium Deum homini contulisse, quod noluerit eum perpetuo in hac vita calamitatum & molestiarum plena permanere: in qua licet homini omnia secundum voluntatem suam eueniunt, numquam tamen Deo, in quo solo tota hominis beatitudo, & perfecta desideriorum quies constituta est, plenè perfrui valebit.

3. CONSIDERA. In superna illa Ierosolyma, quæ Dei & omnium beatorum domicilium est, nullos omnino te offensurum mortuos. Hæc enim est ciuitas viuentium, in qua cum vita dominatum obtineat, mors gradum inferre non audebit. *Vidi*, dicit Ioannes, *Apoc. 21.* *Sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cælo à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quoniam prima abierunt.* Felices habitatores huius ciuitatis.

4. CONSIDERA. Mortem omnibus primò formidabilem, à Christo Saluatore nostro superatam, ac eius beneficio transitum ad æternitatē nobis effectam esse. Hinc est quod

Sancti

Sancti maximo desiderio flagrent *dissolui & esse cum Christo.*

5 CONSIDERA. Christum defuncti matrem monere, vt à lachrymis desistat. Agnosce hinc, ipsum verum esse consolatorem, qui solus omnem ab animis nostris mœrorem leuare potest. Prophetæ dicebant: *Consolamini, consolamini*, eadem identidem repetentes. Maxima namque illorum consolatio erat summi huius consolatoris aduentum prædicere ac polliceri. Tu verò, anima mea, quandoquidem ipsum possides, gaude, atque ex ipso dumtaxat voluptatem cape.

6. CONSIDERA Mirabilem Christi potentiam, qui mortuum solo verbo à mortuis ad vitam reduxit. Adora hunc Dominum, cuius in potestate mors & vita positæ sunt.

DOMINICA XVI.
POST PENTECOSTEN.
SVMMA EVANGELII.

SAnctum Euangelium hydropici cuiusdam curationem continet, quem Dominus apprehensum curauit in Sabbato. Additur parabola, de infimo conuiuij loco deligendo, & humilitatem veram, ad gloriam & exaltationem viam esse, docetur.

MEDITATIO I.

CONSIDERA. Quod quamuis in Christo, plurima notatione & imitatione digna essent, Pharisæos tamen liuore
&

& inuidia excæcatos, nihil aliud accuratius in Christi dictis & factis obseruasse, quàm vt aliquid inuenirent, quod morderent & calumniarentur. Agnosce te his Pharisæis similem extitisse, nam inuidiæ stimulis incitatus, ea tantummodo proximorum dicta & facta, quæ reprehensione digna essent, notabas: ea verò quæ pia, religiosa, & imitatione digna erant, aut in malam partem interpretabaris, aut silentio occultabas.

2. CONSIDERA. Te fuisse spiritualiter hominem hunc hydropicum, quandoquidem noxio desideriorum terrenorum & carnalium humore plenus es. Quibus vsqueadeò mens tua pressa obstupefacta, & penè suffocata fuit, vt animum vix aut ne vix quidem, ad cælestium rerum contemplationem & desiderium erigere possis.

3. CONSIDERA. Casum hominis in peccatum, similem esse casui bouis vel asini in puteum: è quo fieri non potest, vt propria virtute se eiiciat atque emergat, nisi aliena ope adiuuetur. Ita qui semel in scelus aliquod prolapsus est, ex eo suis viribus, nisi speciali diuini numinis fulciatur adiutorio, emergere nequaquam potest. Præterea similem esse seræ, quæ cùm possit à quouis obseruari, à nemine tamen, nisi qui clauem habet, aperiri potest.

4. CONSIDERA. Te crudeliorem in animam tuam quàm in bestias extitisse; nam boue siue asino in foueam prolapsis, quàm citissimè illis opem ferre atque inde educere laborabas. De paupercula verò anima tua, licet à multo iam tempore profundissimo flagitiorum

tiorum cœno immersa iaceret, nulla te omnino cura sollicitabat.

5. Agnosce superbiam tuam, qua contra exemplum tibi à Christo Redemptore ac Magistro tuo prælatum, loca sublimia semper ambiuisti; atque illam toto animo detestare.

6. Si diligenter tecum expenderes quis esses, vtique cognosceres, nullum esse locum tam humilem & abiectum, qui tuæ par esset vilitati; quemque si tua merita cum eo componeres, non tua humilitate altiorem ac superiorem æstimares. Etenim per peccatum, non modò omnem confusionem ac depressionem, verum etiam infimum ac profundissimum tartari locum promeritus es.

7. CONSIDERA. Quo pudore ac verecundia suffundentur, qui nunc præ summa animi elatione cælos se manibus capturos arbitrantur: cum in extremo iudicij die se in infima terræ loca relegari, acerbissimisque suppliciis æternùm cruciandos, dæmonibus tradi: illos verò quos aliquando in derisum & in similitudinem improperij habuerant, extolli, summis honoribus affici, ac inter filios Dei numerari conspexerint.

MEDITATIO II.

PRO FERIA SECVNDA.

CONSIDERA. Quàm benignè humaniterque Christus inter Pharisæos conuersatus fuerit, eorum malignitatem, inuidiam & obtrectationem patienti animo sustinendo, vt hac via sibi eos adiungere, ani-

masque

masque eorum lucrari posset. Documentum hinc accipe, quomodo te cum proximis agere oporteat: quàm placidè mores eorum quantumuis peruersos tolerare debeas, vt illos partim tua patientia, partim bono exemplo Christo lucrifacere, & ad meliorem vitam reducere valeas.

2. Disce ab hoc hydropico accedere ad Christum, eique vulnera & necessitates tuas detegere. Caue ne cum Adamo primo parente nostro latibula quæras, Deique præsentiam defugias; hoc enim esset medicinam fugere.

3. Exemplo Christi Sabbato sanantis, dies festos in operibus misericordiæ, pietatis & charitatis insume. Cùm enim dies festi eam præcipuè ob causam instituti sint, vt iis diebus singulari cultu & honore Deum colamus: ea tum opera nobis potissimum exercenda sunt, quæ Deo magis honorifica & grata esse nouimus, vti sunt opera misericordiæ.

4. CONSIDERA. Christum securè conuiuia adire potuisse. Tanta enim erat sanctitate, vt non modò nullum ei damnum inde accederet, verùm etiam insigne simul accumbentibus emolumentum proueniret: sua enim præsentia, talibus conuiuiis sanctitatem conferebat. Te verò qui maximæ fragilitatis es, propter infirmitatis tuæ conscientiam, ea vitare & abhorrere debere, potiusque consilio sapientis acquiescere qui dicit: *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij*; quia scriptum: *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.*

5. Pharisæi Christi æmuli, dira inuidiæ peste laborantes, Christum in omnibus quæcumque aggrediebatur, obseruabant, vt haberent quod calumniarentur. Tu verò, omnia Christi dicta & facta diligentissimè contemplare & annota: non animo Pharisaico, sed tamquam verus Christi discipulus, vt nimirum ex verbis ipsius & operibus erudiaris. Quia verba ipsius *lucerna sunt pedibus nostris*, & opera eius sunt norma seu regula totius sanctitatis & perfectionis.

6. CONSIDERA. Humilitatem eiam in hac vita vtilem esse: quia cum humilis infimum sibi locum deligit, non potest metuere ne alius aliquis inuidiæ spiritu concitatus ipsum inde deturbet. Is verò, qui propter animi arrogantiam & magnificam de se opinionem, digniora ferè subsellia occupat, magno in periculo versatur, ne ab alio fortè honoratiori, non sine ingenti pudore, loco pellatur.

7. Disce à Filio Dei, quomodo te oporteat agere cum Deo. Hic enim te docet, eò te altius euehendum magisque extollendum esse, quò te amplius omnibus hominibus submiseris, quòque humiliori loco assederis:
Luc. 1. DEVS enim *deponit potentes de sede, & exaltat humiles.*

MEDITATIO III.

PRO FERIA TERTIA.

CONSIDERA. Infinitam Dei bonitatem, quæ omnem malitiam superat.

Pharisæi

Pharisæi peruersa mente atque intentione ad mensam illũ inuitauerant, vt nimirum actiones illius obseruarent, & aliquid in eo, quod calumniari possent, reperirent: Christus verò voluntarius ac libens ad eorum ibat conuiuia, vt illos panis gratiæ suæ, quem de cælis in terram attulerat, participes faceret. Da laudem anima mea huic summæ bonitati.

2. CONSIDERA, Iesum Christum Dei filium, cùm æterni Patris sui mensæ cum ipso assideret, atque eadem, qua ipse, gloria & beatitudine frueretur, ad nostra conuiuia descendere; nostrasque miserias, tormenta, & mortem denique acerbissimam gustare & experiri voluisse: vt hac ratione nobis cælestem gloriam promereretur, atque superni conuiuij nos participes efficeret.

3. CONSIDERA. Eum quem Pharisæi obseruabant, vt haberent aliquid, quod in eo carperent, illum esse, in quem Angeli gaudent prospicere, & quem contemplantes, attonitis & stupefactis similes redduntur, dum infinitam illius sapientiam, & sublimitatem operum eius intuentur.

4. Attende quanta cum facilitate ab ægritudine sua soluat Dominus hydropicum; tamquam is cuius potestas erat infinita. Agnosce hinc, illum esse qui *sanat infirmitates tuas*. Lauda supremum hunc medicum. *Psa. 102*

5. CONSIDERA. Sanationem hydropici in die Sabbati, hoc nobis indicare, quòd in Sabbato quietis, inextinguibilis illa sitis & ardens cupiditas animarum nostrarum satianda sit, quæ nullis præsentis vitæ bonis expleri potest, quoadusque illuc

 perue-

peruenerint, vbi inebriabuntur ab vbertate domus Dei, ac torrente diuinæ voluptatis potabuntur: vbi continuo ad illum omnis boni fontem, nempe Deum assidebunt, nec-inde vllo vmquam tempore separabuntur.

6. CONSIDERA. In illo supernæ gloriæ conuiuio, nullam dominaturam esse inuidentiam, nec vllam ibi de locorum dignitate rixam futuram. Deus enim vnicuique locum ac sedem suam assignabit, & quilibet eo loco contentus erit, eò quod omnia loca sint honorata. O infelix anima mea! vtinam & tibi concedatur locus in hoc conuiuio.

7. CONSIDERA. Deum nolle, vt in præsenti vita sublimiora & honoratiora loca concupiscas, quia non vult vt propter inordinatam momentanei honoris, quo in hoc mundo ornari possis, cupiditatem, illius maximæ & verissimæ gloriæ ac dignitatis, quam tibi in cælis paratam conseruat, iacturam facias. O qualis & quanta erit gloria, cernere homuncionem abiectissimum coram cælestis aulæ frequentia & celebritate, amplissimis à Deo honoribus & laudibus decorari, eique quoniam in hac vita pro Dei amore nouissima loca dilexit ac tenuit, à Domino dici: *Amice ascende superius.*

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

SVMMA EVANGELII.

SAncti Euangelij lectio de duabus agit interrogationibus: prior Pharisæorum est,

est, de magno præcipuoque mandato veteris legis Christum percunctantium: Altera Christum habet interrogantem de genere Messiæ, sitne is filius Dauid. S. Matth. cap. 22.

MEDITATIO I.

CONSIDERA. Pharisæos non idcirco ad Christum accessisse, vt ex doctrina & sermonibus eius instruerentur, & fructum aliquem caperent, sed vt inde calumniandi & tentandi materiam haurirent. Expende quoties idem tibi euenerit, quando non ea cum animi synceritate atque intentionis rectitudine, qua par erat ad res diuinas accessisti: quo factum est, vt ea quæ malorum tuorum remedia fuerant, in toxicum tibi conuersa sint.

2. CONSIDERA. Pharisæos Christum quidem Magistri nomine compellare, cuius tamen doctrinam sequi recusabant. Pudeat te quòd cùm firma fide Christum verum omnium hominum Magistrum & Doctorem atque à cælesti Patre de cælis in terras missum esse credas; nihilominus tibi curæ non fuerit, ea quæ docuit opere adimplere.

3. CONSIDERA. Verbum Magistri esse quidem verbum humilitatis: sed animum tentandi, animum esse superbiæ, non humilitatem ac demissionem, sed arrogantiam intus latentem indicantis. Non aliter, tu sæpe in verbis maximam humilitatem præ te tulisti, cùm in corde ingentem elationem absconsam gereres.

4. Interrogauit Legisdoctor de maximo

præcipuoque veteris legis mandato, qui ne minimum quidem custodiebat. Idem tibi non rarò vsuuenit, grandia quædam & alta de teipso præsumens, cùm ad minimarum rerum impletionem vix sufficeres.

5. CONSIDERA. Quàm perfectum amorem ab hominibus exigat Deus. Et è contrario tecum expende, quàm imperfectus & remissus sit amor ille, quo tu erga Deum flagras.

6. CONSIDERA. Quàm longè absis ab hoc præcepto Christi, quo iubet proximum ab vnoquoque diligi sicut semetipsum, cum tam parum necessitatibus eius condoleas: contra verò tam diligens sis in propriis commodis curandis, ac tam facilè tuas necessitates sentias.

7. CONSIDERA. Si contra Dei præceptum est, non diligere proximum, quomodo non erit, illum odisse ac persequi? Expende, quod Deus Pater positurus sit aliquando inimicos Christi scabellum pedum eius: inter hos autem, non tantum numerantur illi, qui non crediderunt in Christum, illumque in terris viuentē persecuti sunt; sed etiam qui credentes in illum, doctrinam eius contemnunt, & leges ac præcepta illius seruare negligunt.

MEDITATIO II.

PRO FERIA SECVNDA.

CONSIDERA. Condecens esse, vt sæpè ad Dominum Deum magna cum animi humilitate accedas, cumque illo de negotiis

gotiis tuis tractes, & illum de dubiis tuis consulas. Si enim haberes amicum quemdam valdè sapientem, & in consiliis dandis prudentissimum; vtique nihil, quod alicuius momenti esset aggredereris, nisi prius cum eo consiliū caperes: quanto ergo magis illius consilium in omnibus te requirere oportet, qui est *magni consilij Angelus?* *Isa. 6.*

2. CONSIDERA. Christum esse verum magistrum: & scientiam quam docet, non illam esse *quæ inflat*, sed *scientiam sanctorum*, de qua alibi dicit: *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* Et iterum: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* *1. Cor. 2* *Psal. 33* *Mat. 11*

3. CONSIDERA. Nonnullos esse, qui totum studium suum ad hoc tantummodo conferunt, vt sciant multa; quæ tamen opere non implent. Tu verò vt de illorum numero non sis, cotentus esto, illa scire, quæ statui tuo conueniunt ac propria sunt, & illa diligentissimè in opus conferre.

4. CONSIDERA. Christum totam legem in dilectione DEI & proximi comprehendisse: ne dicere posses dura & aspera esse quæ tibi imperat. Quid enim suauius, quid dulcius, quid delectabilius quàm amare?

5. CONSIDERA. Christum dicere: *Diliges Dominum Deum tuum*, non autem, *Timebis eum*: non quia timor necessarius non sit; sed ne timoris verbo terrereris: præsertim cùm timor amori plerumque coniunctus sit. Si enim Deum diligis, times etiam illum offendere; quemadmodum filius, qui Patrem simul & amat, & offensam eius incurrere metuit. Quamuis autem timor

pœnarum bonus ſit, non tamen in eo ſiſtendum eſt, ſed ille aſſumendus eſt, vt ad amorem peruenias, quem Deus potiſſimum à nobis exigit.

6. CONSIDERA. Deum iubere, vt *diligas eum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua:* hoc autem tunc perfectè adimplebis, quando nihil prępoſueris amori eius, & omnes actiones tuas ad purum ipſius honorem & beneplacitum retuleris.

7. CONSIDERA. Quanti faciat Deus præceptum de proximo diligendo, cum Chriſtus affirmet præceptum illud priori ſimile eſſe, quod Dei dilectionem præcipit.

MEDITATIO III.

PRO FERIA TERTIA.

GRatias age, anima mea, Deo Patri, qui tibi dedit vnigenitum Filium ſuum in Magiſtrum. Deſidera omnes homines cæleſtis huius Magiſtri doctrinam amplecti & ſequi.

2. Gratias refer Deo, qui tibi legem donauit, ex qua voluntatem ipſius clarè ac manifeſtè cognoſceres, quidque te agere oporteat vt illi acceptus ſis.

3. Admirare, anima mea, Dei bonitatem: qui, quamuis tu ſis abiectiſſima creatura, ipſe verò infinitæ maieſtatis Dominus; nihilominus ad ſui amorem te inuitat, tibique vt ſe diligas clariſſimis verbis præcipit.

4. Deſidera ab omnibus hominibus præceptum

ceptum de Deo diligendo perfectè adimpleri; quandoquidem Deus solus dignus est amari super omnia.

5. Medullitus ingemisce, quòd te adhuc corpore hoc corruptibili circumdatum esse conspicias, quod mentem tuam ad hæc inferiora deprimit, nec patitur te perfecte mandatum hoc, de Deo diligendo implere. Desidera corruptibili hoc corpore liberari, vt Deum perfectè amare, nec quicquam aliud in præsenti vita facere possis, quàm ipsum diligere.

6. CONSIDERA, illum qui tibi præcipit se amari, te ab æterno ante mundi constitutionem dilexisse; ipsumque pro tui amore, pretiosum Sanguinē suum profudisse, vitamque exposuisse, vt tu quanto pretio amorem tuum coemisset cernens, ad ipsum amandum, ex multis simul causis obligareris & incitareris.

7. Adora, anima mea, Christum Filium & Dominum Dauid: qui cum esset Dominus Angelorum & hominum, dignatus est fieri filius hominis, vt tu eum tibi similem in natura factum esse conspiciens, ad illius dilectionem tanto potentius traheteris & allicereris.

DOMINICA XVIII.
POST PENTECOSTEN.

SVMMA EVANGELII.

IN Sancto Euangelio sanat Christus hominem quemdam paralyticum: seque po-

 testa-

testatem dimittendi peccata habere, clarissimo argumento demonstrat. S Matth. cap. 9.

MEDITATIO I.

CONSIDERA. In hoc Paralytico humanam miseriam, quæ tam multis subiecta est infirmitatibus. Expende tecum, omnium illarum originem & causam esse peccatum. Itaque toto corde illud detestare.

2. CONSIDERA. Paralysin interiorem, cui subiecta est anima tua, nisi diuina gratia roboretur, ac fulciatur. A seipsa enim similis est homini paralytico, nullum corporis membrum mouere valenti: inhabilis nimirum & inepta ad omne Dei beneplacitum, promptissima verò & admodum alacris ad malum.

3. CONSIDERA. Christum in hoc paralytico prius animam, quàm corpus sanasse. Tu verò econtrariò potiorem corporis, quàm animæ curam habuisti. Animæ namque infirmitates neglexisti, nec vllum eis remediū adhibere curasti: corpore verò languente, omnem sollicitudinem & diligentiam ad illius curationem impendisti.

4. CONSIDERA. Humilitatem & benignitatem Christi, qua hominem hunc quamuis egenum, infirmum, & peccatorem; filium nihilominus appellat. Et tuam hinc argue superbiam, animique arrogantiam, qua sæpè proximos tenuioris conditionis spernis, eisque loqui dedignaris.

5. CONSIDERA. Scribas & Pharisæos omnia Christi dicta & facta in peiorem partem inter-

interpretasse. Cogita sæpenumerò te idem ex mera malitia proximis tuis fecisse.

6. CONSIDERA. Si scelus est malè cogitare de proximo: quanto maioris sceleris erit, contumeliosis verbis in eum inuehi, & apud alios famæ ipsius detrahere; quod tu sæpe fecisti.

7. CONSIDERA. Christum paralytico post ipsius curationem præcepisse, vt iret in domum suam. Et tecum expende, ideò te post spiritualis sanitatis beneficium perceptam, in peccati infirmitatem recidisse, quia te ad domum conscientiæ tuæ non contulisti, nec satis diligentem tuiipsius custodiam egisti.

MEDITATIO II.

PRO FERIA SECVNDA.

CONSIDERA. Illorum, qui paralyticum hunc Christo adduxerunt, in proximum charitatem. Disce hinc proximo in necessitatibus tum corporalibus, tum spiritualibus, quantum potes succurrere.

2. CONSIDERA. Fidem illorum permouisse Christum ad misericordiam. Hinc collige, quàm bonum sit Sanctorum orationibus se commendare: non tantum eorum qui in cælis beatissimam vitam viuunt & Deo sine intermissione perfruuntur; sed etiam eorum qui in terris adhuc degunt. Hinc enim est, quòd S. Paulus orationibus eorum qui-

olof. 3. bus verba ſalutis miniſtrabat ſe commenda-
Theſ. 3. uerit. Et S. Iacobus ait: *Orate pro inuicem, vt ſaluemini.*
eb. 11.
acob. 5.

3. CONSIDERA. Verba Chriſti quæ dixit ad Paralyticum: *Confide fili remittuntur tibi peccata tua.* Quibus verbis indicare voluit, infirmitatum cauſam peccatis vt plurimum aſſignandam eſſe: perinde enim eſt ac ſi dixiſſet, Sublata infirmitatis cauſa, confide fili, quòd & infirmitas ipſa tollenda ſit. Quare quotieſcumque infirmitatibus aut tribulationibus premeris, conſidera, illas tibi euenire propter peccata tua: ideoque de illis dole, vt Deus tibi propitius fiat, & manum ſuam à flagellis remoueat.

4. CONSIDERA. Te ad exemplum Chriſti Redemptoris eſſe debere benignum & manſuetum erga omnes homines: nec quemquam, quantumuis pauperem, derelictum aut peccatorem ſpernere.

5. CONSIDERA. Si tam facilis eſt Deus in dimittendis peccatis: iuſtum eſſe, vt tu multò facilior ſis in condonandis iniuriis, à proximo tibi factis.

6. CONSIDERA. Chriſtum hortari paralyticum, vt tollat lectum ſuum. Quo facto Chriſtus te docuit, poſt perceptam peccatorum veniam, neceſſarium eſſe, vt pro illis per opera pœnitentiæ ſatisfacias, hoc enim eſt tollere lectum, in quo ante iacuiſti.

7. CONSIDERA. Domum tuam eſſe templum Dei, ad quam te poſt adeptam curationem conferre debes, vt ibi de beneficio accepto debitas Deo gratiarum actiones referas, Dei verbum auſcultes, Sacramenta Eccleſiæ fre-

frequentes: vt ſic in accepta ſanitate perſe-
uerare poſſis.

MEDITATIO III.

PRO FERIA TERTIA.

CONSIDERA. Filium Dei noſtræ humanitatis quam aſſumpſit, nauiculam ingreſſum fuiſſe, atque veniſſe in ciuitatem ſuam hoc eſt mundum: vbi tamen, vti S. Ioannes Euangeliſta teſtatur, *ſui eum non receperunt.* Et nihilominus tanta ingratitudo, ipſum commouere non potuit, vt ſubtraheret à nobis miſericordiam ſuam, in ſanandis infirmitatibus noſtris. Pro quo ſit ei benedictio & gloria. *Ioan. 1.*

2. *Remittuntur tibi peccata tua*, dicit Chriſtus paralytico: *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus; quod* nimirum *Chriſtus in hunc mundum venerit peccatores ſaluos facere.* Ideoque appellat paralyticum hunc filium, quia gratiæ ſuæ auxilio, *dedit poteſtatem filios Dei fieri.* O diuitias inæſtimabiles, quas nobis Chriſtus Saluator & Redemptor noſter promeritus eſt. *1. Tim* *Ioan. 1*

3. CONSIDERA, Liberalitatem Chriſti. Poſtulabat Paralyticus hic ab eo corporis ſanitatem: & ipſe largitus eſt ei non tantum corporis, ſed etiam animæ ſanitatem; ideoque rectè canit ei Eccleſia: *Deus qui pietatis tuæ abundantia & merita ſupplicum excedis & vota.* O Deum munificentiſſimum.

4. CONSIDERA. Quantò facilior ſit Deus ad miſericordiam, quàm ad iram. Fides

enim illorum, qui offerebant ei paralyticum permouit illum ad misericordiam, sanationemque paralytici. At scribarum & Pharisæorum malitia non potuit eum ad iram ita prouocare, vt eum à cœpto misericordiæ opere impediret: quin potius effecit, vt misericordiæ suæ viscera eo magis aperiret, oblatumque paralyticum simul in corpore & anima curaret. *Miserator & misericors Dominus, longanimis & multum misericors.* Psal. 102.

5. CONSIDERA. Clarissimam, quæ in huius paralytici curatione elucet, diuinitatis Christi probationem. Christus enim vt demonstraret se auctoritatem hebere dimittendi peccata, quod soli Deo conuenit, sanauit solo verbo paralyticum. Adora anima mea Christum verum Deum, & verum hominem.

6. *Vade in domum tuum*, ait Christus paralytico, posteaquam ei sanitatis beneficium impendisset. Agnosce, anima mea, hunc esse illum Dominum, cuius beneficio à peccatorum languore sanata, ad domum tuam, hoc est ad cælum à quo peccando cecideras, continuo tendis. Gratias refer illi pro hoc beneficio.

7. CONSIDERA. Turbas viso hoc miraculo glorificasse Deum. Glorifica & tu anima mea Deum: & desidera illum ab omnibus creaturis suis laudari, prædicari, & glorificari.

DO-

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

SVMMA EVANGELII.

SAnctum Euangelium, continet quamdam Christi Redemptoris nostri parabolam, qua regnum cælorum comparauit homini regi facienti nuptias filio suo: ad quas cùm nollent venire inuitati, obuios quoscumque accersiri iussit; ex quibus cum quemdam sine veste nuptiali intrasse cerneret, præcepit illum ligatis manibus & pedibus proiici in tenebras exteriores. S. Matth. cap. 22.

MEDITATIO I.

CONSIDERA. Te, cùm esses Regis huius seruus, rebellasse, atque hostium illius partibus te adiunxisse.

2. CONSIDERA. Te, cùm vocatus fuisses à Deo ad conuiuium, quod ipse instruxerat de fructibus Incarnationis sanctissimi Filij sui, per quam desponsauit sibi naturam nostram, totique mundo conuiuium remissionis peccatorum illius, atque participationis gratiæ ac donorum suorum exhibuit, eo tamē ire noluisse, quia nimirum à præsentis vitæ voluptatibus retinebaris.

3. CONSIDERA. Te, Dei nuntios, hoc est diuinas inspirationes, sæpè occidisse. Ex tali autem scelere quid aliud sperari potest, quàm quòd Deus te voluntati tuæ relinquat, quæ est vna maximarum quæ à Deo hominibus immittuntur, castigationum?

4. Con-

4. CONSIDERA. Quamuis te Deus in Ecclesia sua collocauerit, vt in ea particeps fieres Dominici conuiuij, tibi tamen deesse vestem nuptialem; cùm semper vestitus sis detritis pannis veteris Adami, hoc est, malis tuis habitibus; non autem Christi vestimentis, hoc est, illius moribus & virtutibus.

5. Obmutuit is, qui conuiuium sine veste nuptiali intrauerat, cùm à Rege increparetur, quòd sine veste nuptiali ingredi ausus fuisset. Potuerat homo iste respondere, se tenuioris fortunæ esse, nec aliam vestem præter illam qua vestitus erat habere; sed excusatio hæc locū non habet in conuiuio Dominico: idem enim Rex qui inuitat, vestem nuptialem, qua omnes qui conuiuium hoc ingrediuntur ornati esse bebent, præparatam tenet, & cunctis offert: sed homo iste imprudens, ne opus haberet despoliare se vestibus peccatorum suorum, contempserat vestem splendidissimam.

Idem accidet peccatori, cùm Deus ad rationem ab eo repetendam aduenerit: ad primum enim verbum obmutescet, nec habebit quod iudici suo respondeat.

6. Mandauit Rex, illum qui veste nuptiali caruerat, ligatis manibus & pedibus proiici in tenebras exteriores. CONSIDERA, quantum hoc tormentū illis futurum sit, qui propriæ voluntatis in præsenti vita amicissimi extiterunt, quòd omnis eis libertas eripienda, & manibus pedibusque colligatis proiiciendi sint in sempiterna gehennæ incendia.

7. CONSIDERA. Quem finē habitura sint gaudia & voluptates hominum peccatorum, vide-

videlicet fletus & lamenta perpetua; pœnas, nullo vnquam tempore finiendas; supplicia demum, quorum atrocitatem nulla hominis intelligentia comprehendere possit.

MEDITATIO II.

PRO FERIA SECVNDA.

CONSIDERA. Quandoquidem Deus est Rex & Dominus noster, nos eniti debere, vt Regis huius & Domini fideles serui simus; qui facit illos reges qui sibi famulantur.

2. CONSIDERA. Seruire Deo non esse opus fastidiosum, vti mundi amatores existimant; cum Dominus illud nuptiis comparauerit, in quibus sunt omnia festiua, læta & gaudiosa: quia verè loquendo, in Dei seruitio verus est gustus, pax, & securitas bonæ conscientiæ, & quasi perpetuum conuiuium. *Prou.15*

3. CONSIDERA. Diuinæ voluntatis esse, vt omnes qui suum adeunt conuiuium, nuptiali veste ornati sint. Hinc intelliges, diuina omnia, magna cum reuerentia tractari debere: cum enim pergis ad orationem, magna humilitate te vestitum esse oportet. Cum accedis ad percipiendum Sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramentum, singulari cordis munditia te præditum esse necessarium est. Idem in aliis.

4. CONSIDERA. Vestem nuptialem esse charitatem, qua vestitus fuit Christus harum nuptiarum sponsus: quia propter amorem quo dilexit nos, desponsauit sibi Ecclesiam.

Eadem omnes suos vestiri vult, ac proinde in
Ioan. 13. Euangelio ait: *Hoc est praceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Et iterum: *In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis adinuicem.*

5. CONSIDERA. Regem iubere, vt ei, qui sine veste nuptiali intrauerat, manus ac pedes vinciantur. Tu vero da operam, vt quamdiu Deus bene agendi libertatem tibi concedit, eadem ad tuam salutem vtaris, ac te totum illius seruitio impendas.

6. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Contende igitur intrare per angustam portam quæ ducit ad vitam, & arctam illam
Eccle. 1. semitam inire, quam pauci ambulant. Caue ne sequaris multitudinem stultorum huius mundi, quorum *infinitus est numerus.*

MEDITATIO III.

PRO FERIA TERTIA.

O Quàm magnus & potens Rex, anima mea, est Deus tuus! quàm immensa maiestas illius! quàm late patens illius imperium! quam ingentes illius opes ac
Psal. 94. diuitiæ! *Venite* igitur omnes creaturæ, *adoremus & procidamus ante regem nostrum, quia ipse est Dominus Deus noster: nos autem populus eius, & oues pascuæ eius*; quas nimirum ipse pascit, regit, ac moderatur.

2. CONSIDERA. Quàm plenæ mysteriis fuerint nuptiæ Incarnationis Filij Dei: in quibus

quibus conuiuium exhibuit toti mundo, quia omnes inuitauit ad participationem gratiæ, quam Christus sua incarnatione nobis promeruerat. Lauda Deum pro singulari hoc beneficio, quo humanum genus decorauit.

3. CONSIDERA Dei bonitatem. Qui, quamuis Iudæi, qui per legem & prophetas ad ipsius conuiuium vocati & inuitati fuerant, venire noluissent; non tamen idcircò, viscera misericordiæ suæ conclusit, sed per Apostolos Gentes idolorum cultui deditas, nec vlla veri Dei cognitione illustratas vocauit, & conuiuij sui participes effecit.

4. Refer, anima mea, gratias Deo tuo, qui te ad Ecclesiam suam vocauit, in qua proponitur nobis manducandus verus Agnus Dei, qui abstulit peccata mundi.

5. CONSIDERA. Quàm suaue sit conuiuium illud, quod Deus exhibet piis hominibus, qui omnia propter ipsius amorem deserentes, gustare merentur quàm *dulcis & suauis* sit Dominus.

6. CONSIDERA. Admirandum illud connubium, quo anima per gratiam Deo coniungitur, atque vnum fit cum illo, per veram cum ipsius voluntate consensionem atque conformitatem. Desidera, anima mea, hoc pacto, à Deo in sponsam suscipi, atque cum illo ita coniungi, vt numquam ab eo separari valeas.

7. CONSIDERA. Quales futuræ sint illæ nuptiæ. Celebrabuntur in superna gloria; vbi sponsa Christi, quæ est Ecclesia, erit tota pul-

chra,

chra, sine macula & ruga; vbi non amplius in speculo & ænigmate, sed facie ad faciem, hoc est clarissima visione sponso suo perfruetur, illumque amplexabitur, non amplius perditura. O sponse mi, quando anima tibi perfectè copulabitur, tecumque indissolubili amoris nexu vnietur.

DOMINICA XX.

POST PENTECOSTEN.

SVMMA EVANGELII.

IN Euangelio Christus curat solo verbo filium cuiusdam Reguli, qui iam mori incipiebat. S. Ioan. cap. 4.

MEDITATIO I.

CONSIDERA. In hoc filio Reguli febri laborante, animam tuam ex ardore carnalium concupiscentiarum languentem.

2. CONSIDERA. Reguli huius, in quærenda filij sanitate sollicitudinem Et contra tuam expende negligentiam & socordiam, in quærendis remediis animæ tuæ periculosè infirmanti.

3. CONSIDERA, quàm nihilipendendæ sint diuitiæ & honores mundi: quia hunc adolescentem, quamuis hominis prædiuitis, potentis, & inter suos admodum honorati filius esset, ab infirmitate liberare non potuerunt; nec pater illius sufficiens fuit sanare illum.

lum. Hinc animaduerte quanto in errore versatus fueris, quando res tam exigui pretij totis viribus sectatus es.

4. CONSIDERA. Imperfectam huius Reguli fidem, qui non credebat, Christum etiam absentem filio suo sanitatem conferre posse. Ita & tu, cùm Deus se à te paulisper subtrahit, statim tamquam homo infirmæ fidei conturbaris.

5. Aspice. Quanta cum precum instantia Regulus hic Christum roget, vt veniat, & filio antequam moriatur sanitatem restituat. CONSIDERA, te non aliam ob causam, spiritualem animæ mortem, hoc est peccatum incurrisse, quàm quia tempore tentationis, quæ est infirmitas animæ per feruentes preces, diuinum auxilium non implorasti.

6. CONSIDERA. Christum ad Reguli huius domum pro filij eius curatione non pergere; & contrà, Centurioni serui sanitatem postulanti sponte promittere, se venturum esse ad curandum illum: vt hoc exemplo nostram arguat superbiam; qui pauperum domicilia inuiti, diuitum vero ædes libentissimè adimus.

7. CONSIDERA. Christum hoc miraculo Regulum cum tota familia conuertisse. Expende hinc tuam duritiam, quia post tot miracula, necdum ad Deum toto corde te conuerteris.

MEDITATIO II.

PRO FERIA SECVNDA.

CONSIDERA Capharnaum fuisse ciuitatem Christi, in qua vt plurimum morabatur; & tamen in ea plurimi erant infirmi: vt hinc intelligas nullum esse locum tam sanctum, nullam societatem tam religiosam, in qua non possis infirmari, & etiam spiritualiter mori, nisi magnam animæ tuæ adhibeas custodiam.

Peccauit Angelus in cælo, peccauit homo in paradiso, & Iudas Christum vendidit in Apostolico Collegio.

2. CONSIDERA. Adolescentem hunc fuisse filium hominis prædiuitis & honorati. Hinc intellige, diuitias & voluptates præsentis vitæ nutrire plerumque vitia carnis.

3. Infirmabatur adolescens hic ex febribus, & iam morti propinquabat. CONSIDERA, ne ardor carnalis concupiscentiæ animam nostram enecet atque interimat, opus esse, vt quemadmodum in febricitantibus fieri solet, ei cibum & potum inordinatum reliquasque superfluitates subtrahamus; occasiones etiam sollicitè vitemus. Ignis enim non extinguitur, nisi ligna subtrahas: linum etiam apud ignem tutum non est.

4. CONSIDERA. In tentationibus ad orationem confugiendum, diuinamq; opem implorandam esse, ne permittat nos ab illis superari: maximè in tentationibus carnis, quę igni similes sunt, qui nisi statim, cùm adhuc exiguus est summa cum diligentia restinguatur,

tur, paulo post in tantam altitudinem excrescet, vt non nisi maxima cum difficultate restingui possit.

5. CONSIDERA. Christum Reguli huius exiguam fidem carpere: intellige hinc, necessariam tibi esse magnam fidem, firmamque in Dei bonitate fiduciam: vt videlicet quando Deus à te recessisse videtur, firmiter speres & credas ipsum haudquaquam permissurum vt pereas, aut mali aliquid tibi eueniat. *Multi*, ait Propheta Dauid, *insurgunt aduersum me, multi dicunt animæ meæ, Non est salus ipsi in Deo eius. Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea & exaltans caput meum.* Ideoque: *Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo.* *Psal. 8.*

6. CONSIDERA. Quomodo Reguli huius fides creuerit. Quando ad Christum venit, fides eius admodum imperfecta erat: sed ex Christi verbis aliquantò auctior facta est: & denique viso miraculo, omnibus suis numeris absoluta reddita est. Accede ad Christum, age cum illo, considera admiranda illius opera, & crescent in te fides, spes, charitas, ceteræque virtutes omnes.

7. Credidit hic Regulus in Christum, & domus eius tota. CONSIDERA. Quantum momenti ad aliorum conuersionem habeat, capitis quem ceteri intuentur, & ad cuius se imitationem confingunt, exemplum.

8. CONSIDERA. Etiam tibi sufficere non debere, quod Deo seruias; sed etiam operam dare vt idem familia tua, & omnes amici & noti tui, aliique quos ad hoc tuis monitis & exemplo inducere potes, faciant.

ME-

MEDITATIO III.

PRO FERIA TERTIA.

CONSIDERA, anima mea. Quàm magnus Dominus sit Deus: cui omnes terreni Reges, Imperatores & Monarchæ, collati Reguli tantummodo sunt: coram quo gentes omnes sunt quasi non sint.

2. CONSIDERA. In ciuitate Christi, quæ in hoc mundo est, hoc est in militanti Ecclesia, plurimas esse peccatorum infirmitates: at in cælesti Ierosolyma, nullas esse molestas corporis ægritudines: neque illuc vllum omnino peccatum vmquam appropinquaturum. Vtinam ciuitatis huius conciuis esse merear.

3. CONSIDERA. Nos corporis medicos non rogare absolutè, vt nos curent: sed vt nos inuisant, medelamque nostris infirmitatibus, quantum possunt, adhibere conentur, quia vltra procedere nequeunt: sanitatis enim collatio non est in ipsorum potestate. Hic autem Regulus à Christo petit, vt sanet filium suum; neque hoc immerito: ipse namque in manibus & potestate sua sanitatem habet, & quandocumque, & quemcumque vult curare potest. *Sana me Domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero.* Benedicta sit talis potestas, & gloria sit tali medico.

4. *Filius tuus*, inquit Christus, *viuit*. Agnosce anima mea, Christum esse illum qui viuificat omnia, & *in quo viuimus, mouemur, & sumus.*

5. Cog-

5. Cognoſce anima mea Chriſtum eſſe illum, qui vitam gratiæ nobis confert, per quam anima viuit vita ſupernaturali, & diuinæ redditur conſors naturæ. Refer ei gratias pro inſigni & pretioſo hoc dono. 2. Pet. 3.

6 Agnoſce Chriſtum eſſe illum, qui ſuis vitam gloriæ largitur, hoc eſt, vitam æternam, omnibus bonis circumfluentem, quæ *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt*; quæ nemo nouit, niſi qui accipit, atque illis perfrui meruerit. Glorifica anima mea Dominum Deum tuum, qui te ideo creauit, vt horum bonorum particeps eſſes. 1. Cor. 2.

7. Credidit Regulus & domus eius tota in CHRISTVM. Deſidera anima mea Chriſtum ab vniuerſo mundo agnoſci, omnéſque in ipſum credere, illum diligere, illi ſeruire, illumque in æternum laudare & glorificare. Amen.

DOMINICA XXI.

POST PENTECOSTEN.

SVMMA EVANGELII.

IN ſancto Euangelio Chriſtus quamdam nobis parabolam proponit, qua regnum cælorum comparat Regi volenti rationem ponere cum ſeruis ſuis: cui cùm oblatus fuiſſet quidam, ingentem ei pecuniæ ſum-

summam debens, nec vnde redderet habens, dilationem petenti, omne debitum dimisit. Quia verò idem debitor erga conseruum suum, paruam ei pecuniæ summam debentem, nulla vsus fuerat misericordia, indignatus Rex, illum ad se accersitum, carceri mancipauit, donec vniuersum debitum restitueret. S. Matth. cap. 18.

MEDITATIO I.

CONSIDERA. Adfuturam aliquando diem, qua Deus venturus est, ad repetendam à te omnium quæ gesseris rationem. Time igitur quòd Iudici iustissimo & Domino potentissimo tam strictam rationem redditurus sis.

2. CONSIDERA. Te esse seruum hunc, decem millia talentorum Domino suo debentem. Quia enim diuinam legem, quæ decem mandatis continetur, sæpè violasti, decem millium talentorum debitor factus es Deo tuo. Expende tecum, quam ingens sit hoc debitum: si enim vnius dumtaxat præcepti transgressio hominem à regno cælorum excludit, & inferno dignum reddit; quid putas faciet tam frequens, non vnius, sed omnium mandatorum Dei violatio.

3. CONSIDERA. Te tot talentorum debitorem esse Deo, quot sunt beneficia, quæ tibi contulit, & pro quibus necdum ei debitas gratiarum actiones persoluisti, quæ-

quæque ad maiorem ipſius gloriam, & tui-ipſius proximorumque tuorum vtilitatem nondum contuliſti. Quid verò ſentiendum eſt de illis beneficiis, ex quibus occaſionem DEVM offendendi arripuiſti? aurum enim & argentum, à Deo tibi vt ad pios vſus illud conuerteres donatum, in prophanos & impios vſus expendiſti: atque ex illis idola, quæ veri Dei loco adorares, tibi fabricaſti.

4. Non habebat [hic ſeruus vnde redderet debitum. CONSIDERA. Paupertatem tuam, cùm omnia quæ habes, & à teipſo habere potes, non ſufficiant, vel ad minimum debitum, quo Deo obſtrictus es, diſſoluendum.

5. Seruus hic, cùm non haberet: vnde redderet debitum, procidit ad pedes Domini ſui, & petiit ab eo miſericordiam.

CONSIDERA, pro debito tuo diſſoluendo, tibi aliud nihil ſupereſſe remedij, quàm vt ad pedes Domini Dei tui prouoluaris, tuamque ingratitudinem, & ſcelerum tuorum grauitatem agnoſcas, pro illis doleas, atque cum firmo emendationis propoſito eorum veniam à Deo poſtules.

6. Rogat ſeruus hic Dominum ſuum, vt patientiam ſecum habeat. CONSIDERA, quantam Deus tecum patientiam habuerit, quando te proditorem & hoſtem in domo ſua diutiſſimè tolerauit; quantamque modò tecum patientiam

habeat, cùm aliud nihil agis, quàm quòd eadem peccata, quæ semel reliquisti, repetas; & tamen te sustinet adhuc, atque longanimiter ad pœnitentiam expectat.

7. CONSIDERA. Quàm inclemens & immitis fueris erga proximos; quibus exiguas offensas, quibus te irritauerunt, dimittere noluisti. Time igitur, cùm videas, Deum hoc inclementiæ genere maximoperè offendi. Hoc enim Christus per hanc parabolam, quam attulit, docere nos voluit, cùm affirmat: Quemadmodum hic Rex propter serui huius in conseruum suum inclementiam tradidit eum tortoribus, donec redderet vniuersum debitum: ita & Patrem cælestem nobis facturum, si non dimiserimus ex animo fratribus nostris.

MEDITATIO II.

PRO FERIA SECVNDA.

CONSIDERA. Necessarium esse, vt sæpe cum animabus nostris rationem ponamus, atque de peccatorum debitis Deo per orationes, ieiunia, & eleemosynas, ceteraque pœnitentiæ opera satisfacere studeamus; cùm adfutura sit aliquando dies, qua Deo de omnibus his rationem reddituri erimus.

2. CONSIDERA. Nos gratos esse debere

bere Deo pro beneficiis acceptis, & operam dare, ne dona illius in nobis sint otiosa; quemadmodum de seipso S. Paulus Apostolus testatur: *Gratia Dei in me vacua non fuit.* 1.Cor.15.

3. CONSIDERA. Dominum iussisse, seruum debitorem, cum vxore & filiis venumdari. Aduerte idem nobiscum agere Deum, quando temporalia nobis aufert: ideoque cùm tibi temporalium rerum damna euenerint, agnosces has esse Dei voces, quibus à te postulat solutionem, eorum, quorum propter peccata tua debitor es.

4. CONSIDERA. Seruum hunc non negasse debitum, neque excusationem aliquam prætexuisse: sed simpliciter agnouisse, seque coram Domino suo humiliasse atque misericordiam flagitasse. Si tu idem ageres, proculdubio apud Deum misericordiam inuenires.

5. Centum denarios debebat alter seruus ei, qui Domino suo decem millia talentorum debebat. CONSIDERA. Ea, quorum proximi debitores nobis sunt, nihil esse, in comparatione illorum, quæ nos Deo debemus.

6. CONSIDERA. Verba, quibus Rex seruum inclementem, qui conserui misericordia motus non fuerat, alloquitur: *Serue nequam*, ego Rex & Dominus tuus, *debitum* ingens *tibi* seruo meo *dimisi*, non propter tua in me officia & merita, sed *quoniam rogasti me: nonne ergo &*

te oportuit misereri conserui tui, qui eiusdem tecum est conditionis, & cuius debitum in tui comparatione perexiguum est? Pone verba hæc in corde tuo, atque ex illis ad misericordiam proximo incessanter exhibendam permouere.

7. CONSIDERA. Diuinæ voluntatis esse, vt proximis offensas omnes ex corde dimittas. Non enim sufficit dicere: Non persequor illum, non cogito me de ipso vlcisci; conuersor enim & loquor cum illo: sed opus est, vt cor tuum ab omni odio & rancore alienum sit, omnisque iniuriæ memoriam deponat, proximum complectatur, & ex toto corde diligat.

MEDITATIO III.

PRO FERIA TERTIA.

CONSIDERA. Quòd Deus homines seruos suos in iudicium adducturus, cumque cum illis rationem positurus sit, non hoc agit propter suum commodum, sed quia infinitè iustus est, & vnumquemque hominem secundum merita sua præmiis aut suppliciis munerari vult. Lauda hanc
Ps. 144. Dei iustitiam, & dic cum Propheta: *Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.*

2. CONSIDERA. Quàm ingens sit debitum,

bitum, quo obſtricti tenemur Deo. Ipſius eſt eſſe, quod habemus; ipſius eſt vita, qua viuimus; ipſius eſt aer, quem haurimus; ipſius eſt panis, quem manducamus; ipſius eſt aqua, quam bibimus; ipſius eſt anima & corpus noſtrum; ipſius denique toti ſumus, atque omnia hæc, quoniam ab ipſo mutuata ſunt, illi reddere debemus.

3. CONSIDERA. Dominum hunc ſerui ſui debita multiplicari permiſiſſe, vt tantò magis clementiam ſuam manifeſtaret, quantò maius ei debitum donaret. Aduerte, quòd eamdem Deus miſericordiam in magnis peccatoribus quotidie monſtret, quos ipſe ad ſe conuertit, debitaque illorum ſuper numerum arenæ maris multiplicata, illis donat. Lauda & glorifica Deum pro tam immenſa miſericordia.

4. CONSIDERA. Ingentem Dei patientiam & longanimitatem in ſuſtinendis & ad pœnitentiam expectandis peccatoribus. Offendit peccator, & Deus tacet, quaſi fortitudine ad ipſum caſtigandum careret. Vocat peccatorem ad conuerſionem & pœnitentiam, & ipſe diuinas voces negligit; & nihilominus tolerat. Vocat iterum & tertio, & ille Dei voces multò magis ſpernit & à ſe repellit: & tamen Deus patienter expectat. O infinitam patientiam! O longanimitatem incredibilem! O interminatam Dei bonitatem & clementiam!

5. CONSIDERA. Domini liberalitatem. Seruus petit dilationem; & Dominus vniuersum debitum dimittit ei: quia certò sciebat, ipsum quantumuis diu expectaret, numquam sufficientem futurum ad dissoluendam vel minimam debiti sui partem.

6. CONSIDERA. Deum, cum non haberemus vnde ipsi satisfacere possemus, donasse nobis vnigenitum Filium suum,
2. Cor. 1. qui *factus est redemptio nostra*, atque semetipsum in debitorum nostrorum solutionem expendit: ex cuius meritis nostra satisfactio virtutem accipit. Benedictio sit Filio, qui semetipsum pro nobis dedit: Benedictio sit Patri, qui Filium nobis donauit.

1. Cor. 4. 7. CONSIDERA. Deum, quia *charitas est*, velle, vt sui quoque viuant in amore, charitate, ac pace, summaque voluntatum inter sese consensione, donantes sibi inuicem, mutuaque dilectione sese arctissimè complectentes. Benedictio sit huic Regi. Benedictio & illis in quibus regnat.

DO-

DOMINICA XXII.

POST PENTECOSTEN.

SVMMA EVANGELII.

IN S. Euangelio, Pharisæi, vt inuenirent aliquid in quo Christum calumniarentur, mittunt ad eum legatos qui quærant, dandúmne sit tributum Cæsari, an non. Quibus Christus sapientissimè respondit: Vt quæ Cæsaris essent, Cæsari redderent; & quæ Dei, Deo. S. Matth. cap. 23.

MEDITATIO I.

CONSIDERA. Tales esse hominum conatus & studia, in quibus die noctúque desudant; videlicet, vt sibi inuicem laqueos struant, quibus ipsos ad casum perducant. Et sicut Propheta inquit: *Vir fratrem suum ad mortem venatur.* *Mich. 7.* Imo eousque pertingit malitia eorum, vt etiam ipsum Dei Filium tentent capere in sermone. *Filij hominum vsquequo graui corde?* Quem finem habebit malitia cogitationum vestrarum? *Psal. 4.*

2. CONSIDERA. Hos Iudæos pulchris quidem verbis Christum affari, corde autem fuisse peruersissimo. Expende tecum te his sæpenumero similem extitisse.

3. *Magister*, inquiunt, *ſcimus quia verax es.* Veriſſimùm erat hoc: ſed tu potius dilexiſti vanitatem & quæſiuiſti mendacium, neque veriſſimi huius magiſtri præcepta ſecutus fuiſti.

4 *Scimus*, aiunt, *quòd viam Dei in veritate doces.* Tu verò viam hanc, quam ipſe monſtrauit, non modò non tenes; ſed etiam ad aliam latiorem & ad inferos ducentem deficis.

5. *Scimus*, inquiunt, *quod non eſt tibi cura de aliquo* CONSIDERA. Te tantam habere hominum rationem, vt etiam ſæpenumero propter illos Dei obliuiſcaris: & ne hominum offenſam incurras, Deum omnipotentem offendere non verearis.

6. CONSIDERA. Deum impreſsiſſe imaginem ſuam in animam tuam, quando te hominem condidit: poſuiſſe etiam in te ſuperſcriptionem ſuam, quando te Chriſtianum fecit. Et nihiloſecius tu, qui totus ipſius eſſe debueras, totum te iuratiſſimo hoſti eius, hoc eſt Diabolo, per peccatum tradidiſti.

7. CONSIDERA. Quàm ſollicitus fueris, in perſoluendis Cæſari quæ Cæſaris erant, cauens ne alicubi in retibus & conſuetudinibus mundanis offenderes: quàm verò contra negligens fueris in perſoluendis Deo, quæ ipſi debebantur, hoc eſt, vt ſollicitus ambulares coram illo, atque omnia quæ ad ſeruitium ipſius pertinent, diligenter exequereris.

MEDITATIO II.

PRO FERIA SECVNDA.

CONSIDERA. Beatum esse hominem, *qui non ambulat in consilio impiorum, & in via peccatorum non consistit; sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditatur die ac nocte.* *Psal.1.*

2. Caue ne duplici corde sis, & vti communi prouerbio fertur, duo paria manicarum habeas: ne videlicet aliud corde sentias, aliud ore proferas; tales enim exosi sunt Deo & hominibus.

3. Esto amicus veritatis, nec vlla ex causa mendacium profer: magna enim virtus veritas est, quam Christus tanti æstimat, vt se veritatem appellet. Et sapiens inter ea quæ Dominus odit & detestatur, *linguam mendacem* enumerat. *Prou.6.*

4. Noli tolerare, aut aures attentas præbere adulatoribus. Dic cum Propheta: *Corripiet me iustus in misericordia & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* *Psal.140*

5. Cùm Christus homines viam Dei in veritate docuerit, ambula tu per eam quam ipse tibi verbo & exemplo demonstrauit semitam, & non errabis.

6. Caue ne à sermonibus hominum dependeas, eorumque seruus efficiaris; sed esto corde libero: cumque videris de glo-

ria Dei agi, nihil verearis homines, nec sermones eorum formides. *Pretio magno empti estis*, ait Apostolus, *nolite fieri serui hominum*.

7. CONSIDERA. Deum à nobis exigere iustitiam perfectã, qua non solũ satisfaciamus hominibus, in his quæ secũdum Deum & rationem ipsis debemus: sed etiam Deo. Non enim vult seruos indiscretos, rebelles aut aliis molestos: sed voluntatis ipsius est, vt quæ Cæsaris Cæsari, & quæ Dei sunt, Deo tribuant.

MEDITATIO III.

PRO FERIA TERTIA.

VIdentur hic inter se concertare malitia hominum & diuina bonitas. Pharisæi excogitabant rationes & modos quibus Christum condemnare & occidere possent; Christus verò occasiones quærebat, quibus illis benefaceret.

2. CONSIDERA, idem fere semper in hoc mundo etiam modò fieri: homines enim à peccatis non desistunt, Deus verò numquam illis cessat benefacere. Gloria & laus sit immensæ huic bonitati.

3. CONSIDERA. Christum esse summum Magistrum. Itaque desidera, vt omnes homines veritati huic credant, errorumque & peccatorum mendacia relinquant. Gratias age Deo, quod suam in anima tua impresserit imaginem, quodque superscriptionem

ptionem ſuam ſupra te ſcripſerit, quando te Chriſtianum fecit.

4. CONSIDERA. Chriſtum, poſteaquam contaminaſſes, & deformaſſes imaginem ipſius per peccatum, eamdem imaginem quam formauerat, in te reformaſſe. Gratias age illi pro tanta clementia.

5. Cum ea quæ Deo debentur, Deo reddi debeant; tu qui temetipſum totum Deo debes, totum te illi redde, per integrum & perfectum amorem.

6. CONSIDERA. Magnum non eſſe, quòd tu te tradas Deo, cum ipſe ſe totum tibi tradiderit, in Patrem, Fratrem, Redemptorem, Magiſtrum, Paſtorem, & cibum. Dic ergo: Tu me Domine propter bonitatem tuam dilexiſti; ego autem diligam te, quia multis ad hoc nominibus obligatus ſum.

DOMINICA XXIII.

POST PENTECOSTEN.

SVMMA EVANGELII.

IN S. Euangelio Chriſtus reſuſcitat filiam cuiuſdam Principis: ad quam cum pergeret, in via mulierem ſanguinis fluxum patientem, ſolo fimbriæ contactu ſanat. S. Matth. cap. 9.

MEDITATIO I.

CONSIDERA. In hac filia principis mortua, animam tuam, æterni Regis filiam, per peccatum mortuam.

2. CONSIDERA Eam quæ mortua fuerat, adolescentulam, & femellam fuisse. Intellige hinc, te ideò spiritualem peccati mortem incidisse, quia animo eras femineo & imbecillo: & quia illa quæ tibi se offerebant, suis ponderibus librare atque æstimare neglexisti.

3. CONSIDERA. Te mortem animæ tuæ floccifecisse, ideoque in remediis quærendis sollicitum non fuisse.

4. CONSIDERA. Mulierem hanc sanguinis fluxum patientem esse animam tuam, quæ de vno scelere in aliud scelus ruit, non valens se retinere, neque terminum peccandi facere.

5. CONSIDERA. Mulieris huius humilitatem. Namque immunditiam suam agnoscens, coram Domino comparere ausa non fuit, sed maxima cum reuerentia accessit ad eum à tergo; vt fimbriam tantummodo vestimenti eius contingeret, certò credens, se hac ratione sanitatem consecuturam esse. Pudore suffundere, quòd cùm peccator sis, nihilominus tanta in te sit animi arrogantia, vt quàm vilis & abominabilis per peccatum factus sis, non agnoscas.

6. Præcepit Christus submoueri turbas,

vt

vt filiam Principis mortuam resuscitaret. Hinc intellige, nihil aliud spiritualem resurrectionem tuam magis impedire, quàm cogitationum & desideriorum mundanorum turbam: quæ te ita distinent, vt te perditionem tuam videre, aut locum Deo vt in te operetur, dare non sinant.

7. Arripuit Christus manum puellæ. Manus tuæ sanguine plenæ sunt: & nisi eas Christo porrexeris, vt eas emundet, numquam a morte spirituali resurges.

MEDITATIO II.

PRO FERIA SECVNDA.

CONSIDERA. Quanti æstimare debeas animam tuam: cum ipsa sit filia Principis ac Regis potentissimi, videlicet Dei. Quare non patiaris eam ad tantam humilitatem deuenire, atque tantopere se abiicere, vt carni, mundo ac Dæmoni seruiat.

2. CONSIDERA. Principem hunc, cum filiæ sanitatem peteret, ad pedes Christi procidisse. Disce hinc, quanta cum humilitate ad summum Regem, cæli & terræ Dominũ te accedere, cumq; ipso agere oporteat.

3. CONSIDERA. Peccatum, quod statim per pœnitentiam non deletur, animam suo pondere in alia atque alia peccata trahere, donec tandem anima eò perueniat, vt fluxum sanguinis peccati patiatur, nisi conueniens adhibeat remedium.

4. Tria

4. Tria ſunt in muliere hac, ſanguinis fluxum patiente, imitatione digna. Credidit ſe ſolo veſtimentorum Chriſti contactu ſanari poſſe. Dixit deinde intra ſe: *Si tetigero tantum veſtimentum eius, ſalua ero.* Tetigit denique viua cum fide, ac ſumma cum reuerentia, ſtatimque ſanitatem recepit. Credendo enim, confitendo, & operando, ſalus animæ acquiritur.

5. CONSIDERA. Tangere veſtes Chriſti, nihil aliud eſſe, quam opera Chriſti humanitatis veſte, noſtræ ſalutis conſtituendæ cauſa, induti, conſiderare. Illa enim tantæ virtutis & efficaciæ ſunt, vt ſi attente, viua cum fide conſiderentur, ſanitatem animæ nobis conferre poſſint: ſi manibus etiam illa tangamus, in opus videlicet conferendo quæ Chriſtus docuit, & exemplo ſuo facienda eſſe demonſtrauit.

6. Diſce turbam ſollicitudinum mundanarum à te abiicere, & ſolus cum Chriſto manere: tum videbis, quanta tibi in hac ſolitudine conſtituto, Chriſtus facturus, atque in te operaturus ſit.

7. Porrige manus tuas Chriſto, da te totum ipſi. Roga eum vt tibi manum auxiliatricem præbeat, teque à tepiditate in quam corruiſti, releuet, eademque manu ſuſtentet, vt rectè perambulare poſſis ſemitam diuini ſeruitij.

ME-

MEDITATIO III.

PRO FERIA TERTIA.

CONSIDERA. Illum quem Princeps adorat in terris, eum esse, qui à Principatibus adoratur in cælis. Adora similiter eum.

2. Petit princeps à Christo, vt veniat, & filiæ mortuæ manum imponat, credens certò ipsam hoc pacto resuscitandam esse. Agnosce anima mea, hanc esse manum potentissimam illius, *per quem facta sunt omnia*, & cui nihil est imposſibile. *Ioann. 1.*

3. CONSIDERA. Mulierem hanc sanguinis fluxu laborantem, atque à Christo sanatam; & filiam Principis synagogæ mortuam, atque à Christo resuscitatam, duos populos significare, Iudaicum & Gentilem, qui simul per Christum lapidem angularem, in vna eademque Ecclesia coniuncti, ab eo salutem accipiunt. Benedictio & gloria sit ei, qui mirabilia hæc operatur.

4. CONSIDERA. Admirandam Christi virtutem; cuius vestem mulier tangens, statim curata fuit ab infirmitate difficillima, pro cuius curatione omnem substantiam suam in medicos, & medicinas expenderat, nec tamen sanari potuerat. O singularem medicum! Non est tibi salus, anima mea, extra Christum.

5. Non

Ioan. 1. 5. *Non est mortua puella, sed dormit*, ait Christus : Ipsi enim difficilius non erat, puellam mortuam ad vitam reuocare, quàm dormientem suscitare. Omnia viuunt, anima mea, Christo, qui est *resurrectio & vita*: & in quo omnia antequam crearentur, viuebant. Gloria, laus, & adoratio sit ei in sempiternum.

6. Apprehendit Christus manum puellæ mortuæ, & illam vitæ restituit. *Tenuisti Domine manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.* Psal. 72. Hæc manus erigit lapsos, stantes sustentat ne corruant : aut si ceciderint seruat ne collidantur, & conquassentur. O manum potentissimam! Beati quibus ea porrecta fuerit. Hac enim adiuti, *current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient, ascendent denique de virtute in virtutem, donec videant Deum deorum in Sion.* Isai. 49. Psal. 83.

7. Peruagata est miraculi huius fama totam illam regionē. Desidera anima mea, nomen Christi per vniuersum mundum diuulgari : vt omnes ad ipsum adorandum veniant, agnoscantque illum pro vero Deo & saluatore suo. *Omnis terra adoret te Deus, & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo.*

DO-

DOMINICA XXIV.

POST PENTECOSTEN.

SVMMA EVANGELII.

IN sancto Euangelio disserit Christus de Antichristi persecutione, designis mundi finem antecessuris, ac de generali omnium resurrectione. S. Matth. cap. 25.

MEDITATIO I.

CONSIDERA. Ingentem illam ruinam, & stragem, quam fecit peccatum in anima tua: ideoque Deum inde recedere compulit. Plange sanguineis lachrymis hanc ruinam.

2. CONSIDERA. Te non modò peccando à Deo temetipsum separasse, verumetiam, quod maioris peruersitatis est, ex creatura idolum fecisse, cum in ea vltimum finem tuum constitueres. Expende tecum quanti sceleris sit hoc.

3. Hortatur nos Christus, vt pro effugiendis spiritualis mortis periculis, nihil curemus perdere temporalia: Tu vero ita insipiens es, vt ne temporalium iacturam facias, animæ vitam perdere non dubites. Deplora tantum scelus.

4. CONSIDERA. Ex illorum numero te fuisse, qui bona sua desideria num-

numquam in opus conferunt; ac proinde minima tentatione ſuperatus fuiſti, eò quod non ſtatueras animo deliberato, Chriſtum ſolum ſequi; ſed ſemper eſſes in deſideriis inſtar pigri illius de quo ſapiens ait: *Vult & non vult piger.*

5. *Væ*, ait Chriſtus, *lactentibus in illis diebus tribulationis.* CONSIDERA. Bona tua propoſita, ſi quæ in te ſunt, infirma eſſe, & ſimilia pueris lactentibus, qui minimo etiam aere corrupto offenduntur, & ex leui infirmitate, in periculum vitæ veniunt.

6. CONSIDERA. In anima tua ſemper eſſe hiemem, propter ingens frigus tuum in rebus diuinis. Præterea continuum in ea ſabbatum eſſe; non quale illud eſt in quo Deus requieſcit, ſed quia à virtutum operibus ceſſas.

7. Reſonet ſemper tuba illa terribilis, de qua Chriſtus in Euangelio loquitur, in auribus tuis: & ſiue comedas, ſiue bibas, ſiue aliud quid facias, videaris tibi ſemper audire horrendam illam vocem: Surgite mortui, venite ad iudicium.

MEDITATIO II.

PRO FERIA SECVNDA.

MOnet nos Chriſtus, vt perſecutionis tempore fugiamus ad montes. Conſidera, quam tutum ſit tempore tentationis ad montes confugere; videlicet, vel ad

ad orationis montem, vel ad montem illum ceteris omnibus excelsiorem, Christum videlicet, ad quem, iuxta Isaiæ prophetæ vaticinium, *fluent omnes gentes*: vel denique ad alios montes, videlicet sanctos Dei, qui propter sanctitatem suam & vitæ sublimitatem rectè montes appellantur: quique veluti montes, eos qui ad ipsos se conuertunt, meritis & intercessionibus suis protegunt.

2. Prohibet Christus, ne is qui in tecto est, descendat tollere aliquid de domo sua; & qui in agro, reuertatur tollere tunicam suam. CONSIDERA. Hoc te doceri, cauendum tibi esse, ne retro redeas in semita diuini seruitij, neve propter rerum temporalium cupiditatem, Dei & sanctorum exercitiorum societatem relinquas.

3. CONSIDERA. Enitendum tibi esse, vt in opus conferas bona desideria, in bonis propositis constans permaneas, cum feruore viam Dei perambules: & quodcumque facere potest manus tua, instanter opereris; sic enim roborabitur anima tua ad tempus tentationis.

4. Dicit Christus aduentum suum similem esse fulguri, vt hinc intelligas te semper paratum esse oportere. Nisi enim hoc egeris, Deus ex improuiso tamquam fulgur te aggredietur, & ex hoc mundo abripiet.

5. *Plangent*, dicit Christus, *omnes tribus terræ*; quando videlicet Christus venerit ad iudicium.

Plange

Plange tu etiam in hoc mundo, vt illis annumereris, de quibus dicit Christus: quod in extremo iudicij die leuaturi sint capita sua, eò quod vicinam esse sciant redemptionem suam.

6. *Vbicumque fuerit corpus*, ait Christus, *illuc congregabuntur & Aquilæ.* CONSIDERA, vnicum remedium ne errore aliquo circumueniaris hoc esse, vt semper corpus Christi mysticum, hoc est, Ecclesiam sequaris, & instar veræ Aquilæ non intendas nouitatibus, sed oculos in illa, quæ docet S. Romana Ecclesia, fixos teneas.

7. *Veniet filius hominis in nubibus cæli, cum virtute multa & maiestate.* CONSIDERA, ne aduentum hunc formides, nihil aliud superesse remedij, quam vt vigilanter ac sollicite aduentum ipsius in animam tuam expectes, eique ostium, quamprimum pulsauerit, aperias.

MEDITATIO III.

PRO FERIA TERTIA.

CONSIDERA. Deum esse illum qui desolationes tuas restaurat, & ruinas reparat: eumdem esse illum, qui, cum anima tua esset cubile & habitaculum ferarum, ipsam ab omni abominatione repurgans, effecit templum & habitaculum SS. Trinitatis.

2. Glo-

2. Glorifica, anima mea, Dei bonitatem; qui, cum tota abominabilis facta esses per peccatum, & indigna quæ appellareris ancilla ipsius, per gratiam & bonitatem suam elegit te in sponsam.

3. Quàm securus sit mons Deus, ad quem nullum appropinquare potest malum, & habitationem tuam in hoc monte constitue, atque in illo, qui semper idem est & numquam mutatur, requiesce.

4. CONSIDERA. Quàm ingentem habeat Deus curam electorum suorum, quodque numquam illorum obliuiscatur, & propter illos furorem persecutionis mitiget; ac denique faciat vt omnia conuertantur illis in bonum. *Rom. 8.*

5. CONSIDERA. Firmitatem sermonum Christi, quia citius cælum & terra transibunt, quàm verba ipsius: & securus esto de promissionibus ipsius, atque certissimè tene, si tu ei fidelis fueris, ipsum pollicitationibus suis non defuturum, quia *fidelis est & non potest negare seipsum.* Felices, Domine, qui collocant fiduciam suam in te, quia etiamsi mundus pereat, numquam tamen spe sua frustrabuntur.

FINIS.

Laus Deo Virginique Matri.

PANIS QVOTIDIANI
PARS SECVNDA,
IN QVA VARIÆ
MEDITATIONES
PRO
Quatuor vltimis Hebdomadæ diebus.

PANIS QVOTIDIANI, SIVE SACRARVM MEDITATIONVM, LIBER SECVNDVS.

PRO FERIA QVARTA.

Quæ hoc libro repræſentantur meditationes, ex tribus Auctoribus deſumptæ ſunt. Priores viginti octo ſunt ex cōpendio Ludouici de Ponte à P. Nicolao de Arnaya adornato: ſeptem ſequentes eæ ſunt quæ Catechiſmo Petri Caniſij ſubiungi ſolent. Reliquas R. P. Ioannis Buſæi Enchiridion ſuppeditauit.

MEDITATIO I.

DE FINE AD QVEM *homo conditus eſt.*

CONSIDERA, hominem ab initio conditum eſſe, vt Deum ſuum laudaret, coleret, eiq́ue ſeruiret, & hac ratione tandem cœleſtem beatitudinem conſequeretur. Hîc ergo primùm expendam, è nihilo Deum me con- 1.

condidisse, omnium creaturarum perfectissimam, corpore adeò perfecto, quinque sensuum organis prædito donasse, & ad horum singulos diuersa creasse obiecta, & quidem numero plurima: deinde & creasse animam rationis compotem, spiritualem, immortalem, tamque præclaris potentiis ac facultatibus illustratam, memoriâ scilicet, intellectu ac voluntate; quibus omnibus nullo meo merito, ex mera bonitate sua, me beauit; vt illi seruiens tãdem ad vltimum meum finem pertingam. Hîc ergo considerabo, quantopere ad his omnibus bene vtendum obliger, quantumque malè vtendo deliquerim: perpendam quoque damna & mala, mihi, si à fine meo deflexero, imminentia. Cogitabo, non esse me conditum, vt appetituum prauorum inclinationem sequar, voluptatibus indulgeam, honoresque aut diuitias ambiam.

Meditabor adhæc animâ me donatum, quæ ad Dei similitudinem & imaginem efformata sit, idque duplici de causa; primò vt assiduè diuinę eius maiestatis reminiscar, cùm eiusdem in me similitudinem circumferam; deinde vt de anima conseruanda exornandaque sollicitè laborem, cùm ipsa Dei imago sit. contumelia enim & ludibrium regis illatum imagini, in ipsum redundat; vtque omnium virtutum venustate ac decore eam illustriorem reddam.

Secundò considerabo, animam meam cum vniuersis angelis affinitate iunctam; indeque eius bene habendæ summam occasionem. Cogitabo, quanto me diuina bonitas
sibi

ſibi beneficio deuinxerit, cùm me creando ad tam ſublime & honorificum officium deſtinauit, vt ſcilicet ipſi obſequerer, quantumque de illo adimplendo eſſe debeam ſollicitus: denique perpendam, idem mihi in terra agenti officium dediſſe Deum, quod in cælo prçſtant angeli; vt ſcilicet illi ſeruiam, eumque laudem, quò pòſt eo in æternum fruar.

2. Conſidera, ceteras creaturas terræ cõditas eſſe, vt homini in fine ſuo aſſequendo adiumento ſint. Cogita hîc primò infinitam Dei liberalitatem, quòd in hominis vſum domum ita omnigenâ ſupellectile inſtructam condiderit, etiam antequam conderetur, tot illi oblectandi ſui occaſiones dans: quæ te conſideratio excitabit, & ardentius diuinæ eius maieſtati ſeruiendi ſuggeret deſiderium.

Perpende, per ſingulas creaturas diſcurrendo, quàm directè & conſtanter illæ fini ſuo, in quem ſunt conditę, inſiſtant, continuò homini dum obſequuntur. Quantopere iiſdem ſis abuſus, inde offendendi Dei occaſionem ſumens, vnde ei ſeruiendi argumentum elicere oportuiſſet, cor tuum inſtabilitatis illarum dilectioni applicando, & magno infinitæ maieſtatis contemptu, finem tuum vltimum in iiſdem ſtatuendo.

Cogita, creaturas eſſe dumtaxat media, à quibus ad vltimum finem perducaris, ac velut gradus, per quos ad Dei cognitionẽ aſcendas; & harũ nonnullas eſſe velut perfectionum diuinarũ indices, ac docere, quidquid in ipſis boni ac perfecti reperitur, id

multò in creatore ipsarum perfectius & excellentiùs reperiri.

3. Ex iis quæ dicta sunt colligam, esse mihi sobriè, moderatè atque indifferenter creaturis vtendum; nihil ex iis amplius ambiam, quàm quod præcisè ad finem meum supremum obtinendum conducat ac necesse sit, non diuitias, non paupertatem aliáve appetendo; quemadmodum in medicamentis sumendis fieri solet, è quibus nec plus nec minus sumitur, quàm quantum necesse sit; ne quod emolumenti causâ adhibetur, in detrimentum vertatur; idque viatoris diurni exemplo, qui plus secum viatici non sumit, quàm quantum ad iter necessarium est, ne si fortè nimium se grauaret, sibi ipsi impedimento foret.

Conabor hîc me indifferentem in omnibus, quæ Deo de me, vel quoad ipsius obsequium, vel quoad superiorum meorum velle, disponere visum est, exhibere.

Dabo hîc etiam operam, vt omnem erga creaturas affectum & prauum illarum amorem ex animo eliminem, & immortale peccati mortalis odium ac detestationem concipiam; vtpote quod solum me à fine meo vltimo directè diuertere possit.

MEDITATIO II.

DE PECCATI GRAVITATE.

1. AD cognoscendum quàm abominabile & detestabile sit peccatum, considerabo quanto ipsum Deus odio prosequatur; quod è scue-

è seuera aliquot scelerum castigatione videre erit.

Primò reuocanda in memoriam præuaricantium angelorum deturbatio: hi namque in cœlo cùm essent creati, ob superbiam inde ad inferos præcipitati sunt, inq; malignos dæmones transiere. Circa hoc primò perpendam, quàm se erga angelos suos liberalem & benignũ Deus exhibuerit, ad suam illos imaginem ac similitudinem creando, & singularia tum naturæ tum gratiæ bona in ipsos effundendo, quibus ad eum agnoscendum obligabantur.

Deinde considerandum, quàm ingrati nõnulli ipsorum exstiterint, aduersus Deum se extollendo, & iis ipsis, quibus illum colere & honorare debebant, contra eum insurgendo.

Tertiò meditabor, quàm peccatum sit abominandum, cùm creaturas nobilissimas repentè ita deturpare, éque pulcherrimis turpissimas, fœdissimas, & maximè terribiles reddere potuerit.

Quartò considerabo, quantopere Deus peccatum abominetur, cùm vnam ob noxam ab angelorum plurimis commissam, ipsos velut fulgura è summo cœlorum ad æternas tartari flammas deiecit, omnibus, quæ in ipsos contulerat, gratiæ bonis illos, nullo pulchritudinis naturalis, nullo dignitatis & magnitudinis status ipsorũ intuitu, priuans.

Denique perpendam, quàm graue & ponderosum onus peccatum mortale sit oportet, quod tam repentè & citò angelos è cœlo in tartarorum fundum deturbauit. Co-

gitabo item, quantopere animam meam tot inficiant & coinquinent peccata, cùm vel ob vnicum in dæmones mutati sint angeli.

2. Ponam ob oculos, quomodo in primos generis humani parentes, è vetita comedentes arbore, Deus animaduerterit. Hîc considerabo primò, quàm liberalem se erga illos Diuina Maiestas ostēderit, cùm ipsos ex sola bonitate sua ad imaginem & similitudinem suam condidit, in paradiso terrestri, loco voluptatis ac deliciarum collocauit, gratia ac iustitia originali insigniuit, beatam ipsis vitam & tranquillam impertiuit, nec ipsis duntaxat, sed & posteritati omni eadem daturus, &c.

Secundò quàm ingrati tanto suo benefactori fuerint, eius mandatum quodammodo proculcantes, quò diabolo obtemperarent, qui mendacibus illos promissis in fraudem pellexit, effecitque vt primò Eua, deinde Adamus è fructu interdicto comederit, qui quò vxori obsequeretur ac placeret, Deo displicere non est veritus.

Tertiò expendam mecum, quàm seuerè & grauiter (licet iustè) in illos Deus animaduerterit; dum perpetuò illos paradiso voluptatis eiecit, gratia & iustitia spoliatos, ac morti, non corporis duntaxat (quæ temporalis est) sed & animæ, quæ sempiterna, ipsos simul & omnem posterorum seriem subiecit: hinc etiam omnes filij iræ nascimur.

Quartò cogitabo, omnia mala & ærumnas, quæ hactenus vel fuere, vel aliquando futuræ sunt, à peccato velut à radice pro-

gnatas esse: hūc igitur cùm fructum videro, qualis arbor sit, facilè perspiciā, vtpote cùm tot mala proferat, totque bonis nos spoliet.

Denique in mentem reuocabo longam ac diuturnam protoplastorum pœnitentiam, quàm carò funestus ille morsus ipsis steterit, qui tantam illis attulit amaritudinem. omnem namque vitam, quæ ad nongentos extensa fuit annos, Adamus gemens & plorans traduxit.

3. Perpēdam, ob vnicum lethale delictum, infinitas ignibus sempiternis apud inferos animas addictas esse, ibique acerrimè torqueri, atque in perpetuum torquendas. proinde peccati lethiferi grauitatē mecum euoluam, cùm iudex ille æquissimus tam horrendis tamque atrocibus in ipsum modis animaduertat.

Cogitabo, quàm iustè me iam à longo tempore similibus addicere suppliciis, non quidem vnum ob crimen, at infinita peccata enormia, pœnitentiam meam non exspectando, potuisset. Credam igitur, non minus me illi debere, quòd ad inferos me, mox vt peccato commisso puniri merebar, non deiecerit, quàm si iam eodem deturpatum inde denuò eduxisset.

4. Contēplabor, multo peccati grauitatem apparere & elucere longè euidentiùs in castigatione & supplicio, quod Pater æternus de Filio suo sanctissimo & innocentissimo ob aliorum commissa sumpsit, quā in reliquis suppliciis, quibus in alios animaduertit, etiam grauissimis & acerrimis.

Repræsentabo mihi Dominum nostrum

Iesum Christum, cruci affixum, cumque toto corpore saucium, & à capite ad pedes vsque plagis conscissum contemplabor, & mille cum suspiriis, quæ dolor & metus elicient, dicam: Si in viridi ligno hæc fiunt & irrogantur supplicia, in arido quid fiet; me inquam, quem infinitorum criminum ariditas igni sempiterno disposuit.

MEDITATIO III.

DE PECCATORVM GRAVITAte, quoad eorum multitudinem, & repugnantiam cum ratione.

1. REuocabo in memoriam commissa iam antè flagitia, tempus, loca, officia & exercitia quibus vacaui, & similia percurrendo. Hoc magno cum pudore, rubore, mei confusione, & concepto ob offensum Deum meum dolore præstabo, suppliciter ap illo veniam petens, tum illorum quorum recordabor, tum aliorum quę minimè occurrent, & cum Psalmista dicam, *Ab occultis meis munda me* Domine. Mirabor deinde Dei patientiam, qui me talem tantumque peccatorẽ, toties repetitis peccatis immersum, nec emergere volẽtem, tam benignè tolerarit, & longanimiter pœnitentiã meam exspectarit.

Psal. 18.

2. Hinc gradatim ascendens cogitabo, qualis sim, quos produxerim fructus, peccata scilicet, quæ velut tetras quasdam & abominabiles imagines, in vitæ meæ tabula, mihi ob oculos statuam.

Fingam quoqne, peccatum simile esse lapidi

pidi molari peccatoris collo alligato,quo ipſe grauatus in profundã inferni abyſſum demergatur:aut velut catenam è plurimis conſtantem anſulis, quam cacodæmones ad ſe violenter attrahant;aut inſtar rudentis nautici è ſexcentis compoſiti funiculis; denique inſtar agminis canum rabidorum, taurorum ferocientium, leonum rugientium, ſerpentium virulentorum,aliarumque ferarum, à quibus peccatrix anima diſcerpatur: atque inde metum ac confuſionem in me excitabo.

3. Ponam mihi ante oculos ipſam peccati rationi naturali aduerſantis deformitatem, cui etiamſi nullæ apud inferos conſtitutæ eſſent pœnæ, meritò tamẽ idipſum abominandum. Primò nãque, quòd is qui ſcelus admittit, rationi, ad cuius normam actiones omnes dirigere debet, aduerſetur. Omne proinde peccatum mortale contra naturam fieri dici poteſt; per ipſum namque peccator in brutum commutatur, bruti inſtar viuit,peccati ac cacodæmonis ſe mancipium conſtituit. Secundò ob ignominiam & confuſionem, quam ſecũ ferre peccatum ſolet,vt videre licet in eo quòd qui peccant, tenebras ac loca abdita ſectentur, quò ita confuſionem euitent è flagitij turpitudine promanantem. Tertiò ob amaritudinem & aculeum, qui poſt factum, peccantem torquet, quique è rodente conſcientiæ verme naſcitur.

4. Conſiderabo, quis ac qualis ſit homo, qui diuinam infinitamq; creatoris ſui maieſtatem peccando non veretur offendere:

eumq; quoad corpus, è pauxillo luti & cineribus compositum esse, sexcentis ærumnis, morbis, laboribus obnoxium, vermium saccum, & originem putoris; animam verò è nihilo conditam esse, & proinde, quò ad esse suum perueniat, non posse aliud producere quàm ipsum nihil; nec eam iam animam, sed peccatricem esse, ignorantiæ & errorum tenebris inuolutam, tētationibus infinitis tam intus quàm foris circumcinctam, ab inimicis & visibilibus & inuisibilibus exagitatā, inconstantē, fragilem, & verbo, vt dicam, in omne flagitiorū & scelerum genus pronam. Quamobrē putiscenti, mortuo & horrorem adferenti cani me non absimilem statuam, & mecū ipse mirabor, eam rei adeò vilis fuisse temeritatem, vt infinitam Dei maiestatem ausa sit lacessere.

Meam quoque tenuitatem cum incomprehensibili eius magnitudine comparabo, ignorantiam cum eius omniscientia, debilitatem cum eius potestate omnem limitem ignorante; nimiam meam malitiam cum bonitate eius immensa; demirans, huic ipsi vilitati, fragilitati, & paruitati eam infuisse audaciam, aut potius impudentiam, vt incomprehensibilem magni illius Dei sublimitatem, magnitudinem & maiestatem haud verita sit offendere; notabo hîc, eò crimen ipsum esse maius, quò qui ipsum admittit indignior, & læsus dignior.

Multo etiam magis mirabor, ab angelis diuinæ iustitiæ administris, eiusque honoris æmulatoribus acerrimis, millies me non esse castigatum & in partes discerptum.

Hac

Hac in meditatione ac duabus sequentibus, primæ hebdomadę exercitia, quoad peccata, vsui esse poterant.

MEDITATIO IV.

DE PECCATI GRAVITATE, EX *infinita Dei, qui eo offenditur, bonitate.*

SI ad maiorem de commissis dolorem se excitare, magis erubescere, & clariorem suiipsius cognitionem obtinere velit anima peccatrix; non abs re futurum est, si perfectionum diuinarum aliquas, & præsertim illas, quæ peccando violatæ sint, mẽte euoluat. Prima & infinita eius bonitas, quæ verè eum amabilem reddit. Secunda illius immensitas, per quam omni in loco præsens adest. Sapientia etiam illius incomprehensibilis, quâ nouit & videt omnia. Illius omnipotentia, quæ dat omnibus esse, & conseruat omnia, ac præsertim peccatorem, quando est in actu peccandi. Vnde eruam, si nullus mortalium adeò desperatus est, aut adeò audax, qui peccare vel semel præsumat coram illo, qui delictum castigare potest, quanto magis oculos regis illius, arcana abditissima videntis, ac visu penetrantis metuere debeamus.

2. Considerabo fauores & gratias à liberali benefactoris Dei manu receptas: & primò cogitationis oculis beneficia creationis, conseruationis, aliaque quæ naturale corporis atque animæ esse spectant, peruagabor; ac dicam; si crimen filij in patrem admissum graue & intolerabile est, quid dicendum

de

de creatura creatorem iis ipsis offendente donis, quæ ad illum honorandum illiq; obsequendum accepit? Secundò, beneficia redemptionis, iã inde ab incarnatione ad eius ascensionem vsque continuâ serie procedendo percurrã; item ipsa sanctificationis, qualia sunt sanctissima Sacramenta, aliaque dona & gratiæ ineffabiles. Obstupescam, quòd malè tot obligationibus, toties peccando responderim; quin & certamen mirabor, quod inter diuinam maiestatem, dum numquam ipsa à mihi benefaciendo cessauit, & me intercessit, dum semper illi malum pro bono vicissim reddere contendi.

3. In memoriam reuocabo motiua, quæ mihi lædendi Dei occasionem dedêre; ac videbo, illa vel vilissima fuisse, quæ fumi instar euanescunt, & ob quæ Deum viuentem spreui, illis obsequens, & stultitiâ, ne dicam furore ineffabili, Barabbam Saluatori Iesu præponens. Cogitabo, ecquæ sit cæcitas, credere quæ sunt fidei, & nihilominus talem, qualem viuo, vitam instituere; ac mihi persuadere, peccatum esse quid adeò detestabile, & nihilominus sine omni prorsus scrupulo me ipsum admittere non vereri; vt exploratissimum habere, Deum summè bonum esse & simul iustum, & tamen de illo offendendo nihil dum me laborare.

Hinc mirabor, creaturas aduersus me non insurrexisse; non esse apertam ad me deuorandum terram; non in puluerem me esse Sodomæ instar ab igne cœlesti redactum; denique animalia, plantas, & alias creaturas mihi obsequi non detrectasse.

M.E.

MEDITATIO V.

DE PECCATI GRAVITATE, *quæ è pœnarum temporalium atq; æternarum, quibus punitur, similitudine sumitur.*

COgita, peccatum esse causam omnis perniciei & iacturæ bonorũ, quæ Deus peccatoribus auferat; item honorum, quorum Heli & filij eius iacturam fecere, regnorũ, quæ Saul & Nabuchodonosor amisere; valetudinis, gaudij mentis, quietis, & vitæ temporalis, quorum loco subeunt morbi immedicabiles, tristitia mortifera, mortes repentinæ & infames, rerum penuria, bella, contagiosi languores, aliaque mala, quibus mundus hic deteritur & impetitur.

2. Meditare, præter hæc mala & miserias infinito & supremo bono, Deo inquam, qui boni omnis fons, peccatorem per crimina sua priuari, cuius profectò iactura omni alia maior & grauior: peccatum proinde ipsa dici potest infelicitas, pernicies, malum, ac velut substantia, ac fons omnis illius, quod vt malum ac perniciosum cogitari fingiue potest. vtpote cùm malum culpæ sit, quod infinities mala omnia pœnæ excedat. atque hinc extremum peccati odium & horrorem concipiam. Considerabo ad hæc, quomodo infinita Dei sapientia ac prouidentia, mala pœnæ ordinet ac disponat, vt iis, velut medicamine opposito, ipsa mala culpæ tollantur, atque inde eruam, quàm grauis morbus

bus hic sit oporteat, ad quem curandum pellendumque tam amara adhibenda sunt remedia.

3. Expendam, etiam alias miserias ac mala secum peccatũ trahere; æterna inquam & tartarea, quæ infinito animam bono & iucundissimâ Dei visione in sempiternum priuent, quâ nulla pœna & infelicitas maior grauiorq; concipi cogitarive potest. Adhæc ipse mihi persuadebo, peccatum à seipso tam graue malum esse, vt omnia vitæ præsentis simul & inferni mala, iunctim sumpta, ludicra eius intuitu cēseantur: adeò vt si quis vel vnico crimine mortali admisso nullam pœnam pateretur, & alius omnis peccati expers, omnia solus mundi huius & alterius ferret tormenta, hoc ille miserior & infelicior foret. Quamobrem si quando datur vel ad vnicum crimen lethale cōmittendum, vel ad quodlibet supplicium subeundum optio, antè mors oppetenda quàm scelus admittendum esset. Hæc porrò maturè expendenda sunt, quò peccati turpitudo ac fœditas perspecta habeantur, vt & ipsum horrorem incutiat, & de eodem admisso ingemiscamus ac doleamus.

MEDITATIO VI.

DE MORTE, EIVSQVE PROprietatibus.

1. CONtemplabor, mortem esse certissimam; Deum & annum, & mensem, & diem, denique & horam moriendi certam cuique

cuique determinasse, nec quempiam extremam hanc necessitatem cogere posse: nam & eo, quem Deus selegit, die in mundum ingressus sum, ita & eo, quem ad moriendum mihi constituit, hinc egrediar, cuius hora mihi penitus incerta est: atque inde firmiter mecum statuam, ita viuere, vt paratus sim semper hinc decedere, cùm, quomodo & quando hinc emigrandum sit, ipse ignorem: veniet siquidem dies illa, quemadmodum fur, &c.

* Perpendam, hac in incertitudine idcirco me Deum relinquere voluisse, quo perpetuò vigilem, mihiq́ue caueam, peccatorum pœnitentiâ bonisq́ue operibus seueritatem iudicij præueniendo, quòd eo ipso quo exspiro momento subeundum est, de quâ re toties in Euangelio Saluator est locutus.

Reuoluam etiam, mortes omnes repentinas atque inexspectatas, quæ contigere hactenus, & quotidie contingunt, mihi velut monita & admonitiones à Deo dari, quò me ad eandem præparem, cùm non minùs certus sim aliis, & peccata mortalia, quorum ipse reus sum, rigidè mulctari mereantur.

2. Considerabo, nonnisi semel subeundam mortē, atque inde efficiam malæ mortis detrimentum & damnum, præterquam quòd sit omnium malorum summum, nullâ etiam arte ac ratione reparari posse; mortis quoque bonæ bonum ac beatitudinem æternam esse, teste Ecclesiastic. *In quocumque loco lignum ceciderit, ibi erit.* Proinde sedulò diligenterq́; conscientiam excutiam, Cap. 11.

fru-

fructus dignos agam pœnitentiæ, vt cadente corpore, anima in gloriæ latus prolabatur.

Hinc conſequenter admirabor mecum, quòd, cùm ſuperiora tam indubitatè ac certò credam, tam parum tamen de ſalute mea laborem, tamque negligenter vitam inſtituam.

MEDITATIO VII.

DE IIS QVÆ IN MORTIS ARTICVLO conſtitutos cruciant, & affligunt.

Conſiderabo ineffabilem dolorem & angorem, quem cauſabitur præteritarum omnium voluptatum, ſenſualitatum, deliciarum carnalium, diſſolutionum, luxus, ambitionum, vindictæ, aliorumque delictorum memoria: tum frigidæ negligentiæ meæ, & ſocordiæ in diuino obſequio oſtéſæ recordatio vndique me coanguſtabit, atque inſtar belluarum ferocium ad me deuorandum vndequaque vi factâ, in me violenter ingruet, adeò vt in hoc adeò premente agone & certamine, abſinthio habiturus ſim amarius, quod antè mellis inſtar deglutire intrepidè ſolebam.

Conſiderabo, quàm me torquebit grauiter temporis, quod ad negotium tanti momenti (ſalutem inquam animæ) ritè debiteque peragendum conceſſum erat, amiſſi recordatio quam me affliget, dum perpendam quot quamque præclaras benè agendi occaſiones à Deo datas inutiliter elabi ſim paſſus. Tum quoque vel vnum deſiderabo

diem illorum, quos hodie tam nequiter sine vllo prorsus fructu prodigo, frustrà fortasse pœnitens, quòd diuinis sanctisque inspirationibus non auscultarim, quòd negligenter in religione vixerim, Sacramentis debitè non sim vsus, denique innumeris cælitus acceptis fauoribus ac donis minimè responderim.

Perpendam, mortis in hora longè aliter de mundi me rebus iudicaturum, quã modò censeam: tum quippe eas quales reuerà sũt, existimabo; modò verò, quales minimè sũt, eas esse mihi persuadeo. Quamobtem firmiter mecum statuam, nullum posthac tempus omittere, aut occasionem aliquam benefaciendi sinere elabi, vti probè mihi Spiritus sanctus hisce verbis suggessit (*non defrauderis à die bono*) quin etiam proponam nullius rei, quæ exteriori quadam specie me ad peccatum pelliciat, vanitate velle abripi. Eccl. 14.

2. Imaginabor quantopere affligenda sit anima, vbi præsentia se deserere debere perspexerit, honores scilicet, facultates, voluptates, &c. imprimis verò quòd à carissimo sui dimidio, corpore scilicet, auellenda sit, hospite inquam & amico, cui ipsam Deus vinculo adeò stricto coniunxerat, nihil vt secum auferre possit. Tum scilicet omnia in amaritudinem & tristitiam inenarrabilem transibunt, quando extrema necessitas ipsam à parentibus, amicis, & omnibus mundi rebus auellet. Lugubre ac funestum erit illud vale, quod creaturis omnibus visibilibus tum dicere oportebit, quando in æternum illæ deserendæ sunt, quasi in hominis illæ obse-

quium

quium conditæ haud essent, & quò teneriori illas amore dilexit, eo amarior ab iisdem & funestior erit separatio; atque hinc affectum meum ab ordinato creaturarum amore diuertere studebo, ne dum in mortis easdem articulo deserere oportebit, ægrè ab ipsis auellar, & auellendus dolorem sentiam. Meditabor adhæc, quanta fatuitas aut potiùs quàm infandum peccatum sit, ob res adeò vanas & futiles Deum deserere.

Prætereà cogitabo, esse mihi easdem vel inuito aliquando deserendas; vnde lætabor & mihi ipsi congaudebo, quòd ipsis ob Christi amorem valedixerim, daboq́ue operam, ne deinceps nimis alicui creaturæ affectum meum applicem.

3. Meditabor perplexitatem, horrorem & mortalem amorem, ad quem horâ illâ supremâ redigar, quâ vitæ mihi superioris apud Deum reddenda erit ratio: nam quod mihi intentatur malum, omni quod imaginatione fingi potest, longè maius est; sententia definitiua sine vlla appellatione aut effugio, quæq́ue sine vlla dispensatione quamprimum executioni mandabitur; res meæ ancipites quin & penè deploratæ. Scio quippe, me peccasse, & num veniam impetrarim nescio. Hinc ingens meus erit metus, formido ac pauor incomprehensibilis, quem & maligni spiritus astutia tentando oppugnandoq́ue adaugere contendet. nam in supremo illo certamine omni ratione connitetur, vt in desperationis me abyssum deturbet, vitæ scelestæ & diuinæ iustitiæ seueritatis

tatis imaginem menti meæ obiiciendo; proinde à meipse rationem deposcam, & præterita examinabo.

MEDITATIO VIII.

DE PARTICVLARI IVDICIO, in ipso mortis articulo peragi solito.

IMaginabor, animam vltima illa hora ante thronum Iesu Christi sistēdam, vt vel boni vel mali, quod egerit, rationem ibidem reddat. A solis ipsam operibus in metuendo illo tribunali comitandam. hîc ab ipsa & angelum custodem, & cacodæmonem tetrâ quâdam & horribili formâ, quin & iudicem supremum, vultu terribili, qui de beneficiis præstitis rationem deposcet, conspiciendum. Denique iudici æquissimo, qui infinita polleat sapientia, neminem fraude imponere aut circumuenire posse. 1.

Proponam mihi deinde actionem acerrimam, mihi à cacodæmone vt actore interminandam, in qua delicta mea omnia mirum in modum aggrauabit. Indeque firmiter proponam, sanctè riteque vitam posthac instituere: cùm in vltima illa hora nullos sim vades aut patronos, quàm bona opera, habiturus.

2. Considerabo tempus, quo iudicium hoc peragetur, esse illud ipsum instans, quo anima corpus animare & informare desinit; instans, inquam, quod toto vitæ tempore semper ob oculos habere debeo, sæpè

mecum

mecum repetendo, O momentum! ô instās, è quo pendet æternitas! Iudicij huius locus est is ipse, in quo hominem mors opprimit, tum terrā, tum mari. Vnde Deum in aliquo mundi loco offendere verebor, vxorem Lothi mihi ob oculos ponendo, quæ mox vt caput respectura retrouertit, confestim in statuam salis conuersa est. quin & alios plurimos, qui in ipso peccandi actu derepentè exstincti sunt.

3. Ordinem iudicij huius excutiam, ac videbo, accusatores ipsos fore diabolos, mortales ac iuratos hominum aduersarios: propria conscientia, quæ etiam à parte sua grauiter premet, quadam tenus testis vicem supplebit. quin & angelus custos, rebellionem & peruicaciam meam, quâ sanctas eius inspirationes reieci, improperabit. Hinc igitur discam diuinis inspirationibus non aduersari.

Cogitabo etiam, in stricto illo iudicio examinandas omnes cogitationes meas, verba, opera, omissiones, negligentias, & ob beneficia tum priuatim, tum generaliter accepta ingratitudines. Hoc item examen euidentissimum & clarissimum fore, adeò vt peccatrix anima de criminibus conuincenda sit; ad quod Deus luce quadam clarissima concurret, quâ delicta omnia, item bona animæ sanctæ opera, eius cogitationes, verba, obedientiam, pœnitentiam, &c. apertissimè deteget; quod bonis solatio, malis ac reprobis horrori futurum.

4. Meditabor, quomodo Christus iustâ sententiâ suâ priuaturus sit reprobos gratiis

&

& donis supernaturalibus, quæ in ipsis post peccatum supererant: ipsos quodammodo degradando (quemadmodum Sacerdotem ob enormia delicta morti addictum Episcopus) quò dæmonibus eos cruciandos tradat, à quibus in perpetuum deuoluentur incendium; auferendo quoque fidem, spem & dona gratuita. itaque anima omni bono nudata erit, sola confusione, opprobrio, & ignominiâ induta, & ad perpetuas infernalis pelagi triremes in æternum condemnata.

Perpendam hîc etiam mecum, animam peccatricem, iam sententiâ prolatâ, à Christo repudiandam, eiusque protectione destituendã, & ab angelo custode deserendam, à quo audiet; Quandoquidem consilia mea sequi, & inspirationibus meis auscultare noluisti, eius te iam trado potestati, quem mihi prætulisti; diaboli inquam; qui ilico animam illam infelicem plurimis lictoribus stipatus comprehendet, & ad tartari voraginem abripiet. Ita autem vnico momento peragentur: adeò vt à momentaneis deliciis peccator ad infinita & intermina sit tormenta transferendus.

5 Excutiam sententiam pro iusto ferendam, qui à Christo iudice audiet, *Veni benedicte Patris mei, posside paratum tibi regnum, intra in gloriam Domini tui.* Tunc diabolus rubore suffusus & frendens fugam capesset, & angelus tutelaris, aliis comitantibus angelis, animam hanc rectà ad cœlum transferet, si nihil purgatorij pœnis in ea restet expiandum. Instituenda quoque hîc non incongruè comparatio inter bonos &

malos

malos, atque ita meipsum ad vitæ probitatem excitabo, cum hæc benè sanctèque moriendi sit occasio.

MEDITATIO IX.

DE IIS QVÆ CORPORI POST *mortem euenient, ac de sepultura.*

MEditatio hæc est ad passionum mortificationem, mundique contemptum in anima excitandum, quàm efficacissima, cùm tam ex iis quæ hactenus dicta sunt, quàm quæ pòst dicentur, finis & terminus, in quo eiusdem vanitas terminetur, perspiciatur.

1. Considerandum, quo in statu maneat corpus post animæ digressum: quod scilicet sensuum, ac membrorum vsu ac motu, visu, audituq; destituatur, & non minùs res mundi habeat perspectas, quàm si non essent. Pallescit, fit luridum, horridum, putet, & in putredinem & vermes transit. Solum manet, nemo ipsum videre sustinet, ab amicis deseritur, domestici fugiunt, omnes horam exspectant, vrgentes vt sepulturæ tradatur. Ex qua consideratione colligam, quo corpus mihi habendum sit modo, cùm sciam qualis eius sit sors futura.

2. Perpendam vestem, quæ illi iam mortuo datur, quâ nulla tota in domo vilior & simplicior, linteum scilicet abiectum quo inuoluatur; tumulus quoque angustus illi in habitaculum assignatur, pro molli lectulo terra frigida & dura illi paratur, illius

cetuical

ceruical futura iam mortuorum ossa & crania; vermes ipsum ambiēt, serpentes amplectentur, bufones circum ipsum plaudent. Vnde eruam quàm mundus sit fallax, & si religiosus sim, ad paupertatem rerumque mundanarum contemptum me excitabo.

3. Cogitabo, quàm breue sit corporis iam inde ab vtero materno ad vsque sepulcrum iter, in quod ab aliis deferetur, his quidem plaudentibus, illis lacrymantibus, quomodo in tumulum deuoluatur, terra operiatur, pedibus proteratur, saxo graui prematur, ab omnibus obliuioni tradatur, atque vermibus in escam relinquatur. Atque hæc quidem honestissima eius sors. quot enim à feris ac belluis in saltibus deuorati sunt? quàm multos aues & pisces suâ tumularunt aluo? O lugubris carnis corruptibilis status, quàm me euidenter doces, in quid omnis mortalium transeat gloria.

MEDITATIO X.

DE CINERIBVS, IN QVOS CAdauer conuertitur.

MEditabor hæc verba, *Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris*. His primum parentem Adamum, statim à delicto commisso, Deus verbis cōpellauit, vt secum dispiceret qualis esset, & quales nos futuri. Diuina eius maiestas corpora nostra è vili cassaque materia, luto inquam, condere voluit, vt originis memoria in animis nostris perpetuò inhærente, superbiæ alas 1.

alas contrahamus, noſque profundè humiliemus, & cogitemus, ſi terræ in modũ conculcemur, nullam nobis expoſtulandi occaſionem ſupereſſe; denique vt potentiam & ſapientiam factoris noſtri admiremur, qui è materia adeò vili & abiecta opus adeò eximium condere potuit.

2. Perpendam ob ſuam Adamum ſuperbiam à Deo ad mortem, & puluerem, in quem redigeretur mortuus, eſſe condemnatum, vt ſcilicet declararet, quantopere illi peccatum diſpliceat, quamque deteſtandum ſit: tum etiam vt futuræ noſtræ in puluerem conuerſionis imaginatio, efficacis pharmaci inſtar, ſuperbiæ noſtræ mederetur, vtque caſtigationis huius metus noſtrum ad pœnitentiam teporem velut ſtimulus excitet, & fræni inſtar effrænes paſſiones noſtras compeſcat, ac proinde in domo pulueris puluere nos conſpergamus, vti Michæas ſuadet. Hîc cogitabo, ſi terrena eo ardore & affectu ſequar & ambiam, id ideo fieri, quòd è terra ſim compoſitus: quin & omnia quæ hîc in terra habere & videre poſſum, non eſſe niſi puluerem & ſordes, ne mundi vanitas falsâ ſpecie ſuâ oculos mihi præſtinguat, & faſcinet.

Fingam, ſæpè mihi Deum hæc verba ſuggerere, *Memento quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Sæpè quoque illud Eccleſiaſtici, in quo defunctum quemdam lo- cap. 38.
quentem inducit, mẽte voluam, *Memor eſto iudicij mei, ſic enim erit & tuum: mihi heri & tibi hodie.* Oſſa, caluariæ & cadauera mortuorum hanc in me cogitationem efformare

formare debent, & ipse seriò verbum hoc *hodie* euoluere, ne emendationem de die in diem differam.

MEDITATIO XI.

DE DECEPTIONIBVS ET damnis, quæ mortis afferre obliuio solet.

PErcurram parabolam illam, in qua diuitem quemdam, sed parcum Redemptor inducit, ingenti collectâ opum vi sibi adulantem, & annos vitæ plurimos spondentem; sed inani & casso voto. Cogitabo hîc ergo, primam quâ diabolus imponit fallaciam esse, spem vitæ longioris; & forsan citiùs hinc abripiendi sumus quàm videatur. Alteram, quâ quis sibi perpetuam firmamque valetudinem, robur corporis vegetum, & perpes atque assiduum mentis, ob facultates quas possidet, gaudium spondet; cùm tamen à diuina bonitate dependeant omnia. Tertia est obliuio & negligentia in se ad mortem præparando, quasi post hanc vitam, aliam exspectaremus. & proptereà diues hîc à Redemptore stultus & fatuus dictus est; quod nomen non incongruè omnibus illis dari potest, ipsum qui imitantur. 1.

2. Perpendam inexplicabilem illam calamitatem, quæ in mortis articulo accidere solet iis, qui vanâ spe sensualitati suæ, dum viuerent, adulari voluere; damna quoque irreparabilia quæ incurrunt. Primum est, quòd in cæcitate sua moriantur non antè

agnoſcendo miſerias ſuas quàm dum nullâ iuuari ratione poſſunt. Secundum, quod ſubitò moriantur tot peccatis, delictis, & delitiis immerſi. Tertium, quòd violentâ & coactâ morte, cùm non ſit voluntaria, hinc abripiantur, cùm inuitos & refragantes hinc Deus abire compellat.

Cogitabo, quantam anxietatem pœnamque ſentiant illi, qui hinc emigraturi relinquere coguntur bona illa, quæ tam perditè & carè poſſederunt, cùm de iiſdem diſponere minimè poſſunt. hoc namque eſt dicere, vt olim illi diuiti; *Quæ autem paraſti, cuius erunt?* Hoc porrò pacto ſe quiſque interrogare poteſt: Animæ illi, quæ modò in corpore tuo hoſpitatur, quid fiet?

Horum occaſione meditabor, quod de Balthazare rege refert Propheta Daniel, qui
Cap. 4. dum ſolenni in epulo largiùs genio indulgeret & commeſſaretur lautiùs, vidit ſubitò manus ſcribentis in pariete regiæ digitos, *Numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud. Appĕſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens. Diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt hoſtibus tuis.* Noſtro ſenſu id erit, Deus corpus tuum, & animam diuiſit. illud dedit vermibus, vt ab iiſdem deuoretur; hanc verò dæmonibus, vt in æternum crucietur. Hæc porrò ſententia, in regem, medias inter delicias, executioni mandata fuit.

ME-

MEDITATIO XII.

DE IVDICIO VNIVERSALI quoad ſigna illi præuia.

PRæmittendæ ſunt rationes, ob quas iudicium vniuerſale & publicum inſtitui velit Deus. Prima eſt, vt ſententia in particulari iudicio lata confirmetur, ſimul vt mũdo palàm eius æquitas fiat, vt item corpori vel laborum merces, vel demeritorum pœna & caſtigatio reddatur. Secunda cauſa eſt, quò tum iuſtorum honori, qui hac in vita fuere oppreſſi, tum verò multo magis gubernationis ſuæ exiſtimationi conſuleret, & cur virtutem opprimi obſcurariq́ue quodammodo ſiuerit. Tertia, vt Chriſti Ieſu gloria non bonis ſolùm in cœlo, ſed & in terra, vbi eius ignominia publica fuit, improbis nota fieret, quiq́ue eius vidêre contemptum & humilitatem, iam eiuſdem videant exaltationem; hæcq́ue illos viſio confuſione & angore compleat. 1.

2. Ruminanda ſunt prodigioſa illa ſigna vniuerſale iudicium præceſſura, illorumq; horror & multitudo: omnes ſcilicet aduerſus peccatorem creaturæ armabuntur, vt in ipſum, quòd ipſarum obſequio ad Dei offenſam abuſus ſit, ſæuiant; Luna ſanguinolentum induet vultum, ſtellæ cœlo decident; ſphæræ & orbes cœleſtes iam breui à motu ceſſaturi horrendum edent ſtrepitum; terribili boatu fluctus maris terrorem incutient: omnes denique creaturæ in homines

insurgent, qui hoc in angore quid facturi sint, aut quam in partem concessuri ignorabunt, præ ariditate luridi, & anxietate exsucci & exsangues, ac præsertim improbi & flagitiosi, quos infinitis conscientia rodens torquebit modis; vtpote quorum cruciatus ac stridor dentium iam tum incipiet. Hic Deum orabo, vt sancto timoris sui fræno effrænes animæ meæ motus refrænare dignetur.

3 Cogitabo ignem à quatuor mundi climatibus emissum correpturum & in cineres redacturum quidquid mundus habet inferior. Hic ergo diutiùs meditabor ecquis gloriæ mundi sit finis. Ignis porrò hic scelestos tum quidem viuentes acerrimè torquebit, in iustos verò paulò mitior, quibus & purgatorij erit loco, & gloriæ illis meritum ac coronam adaugebit. Hocce autem incendiũ non prius finietur, quàm iudicium ipsum peractum sit: ignis porrò hic sine vlla prorsus læsione electorum illuminabit corpora, improborum verò torquebit, quibuscum tandem post latam sententiam ad inferos descendet.

4. Considerabo, diem iudicij vniuersalis in diuinitatis arcanis & adytis abditum delitescere, proinde & subitò mortales, nihil minùs opinantes, & voluptatibus penitus immersos corripiet; quemadmodum & tempore diluuij & in conflagratione Sodomæ contigisse constat.

MEDITATIO XIII.

DE GENERALI MORTVORVM resurrectione, deq́ iudicis aduentu.

PErpendam, omnibus in terræ superficie rebus iam in cineres redactis, ilico terribilem angeli cuiusdam vocem per quatuor mundi angulos personaturam, *Surgite mortui, venite ad iudicium:* quæ vox eius est futura efficaciæ, vt eo ipso momento mare & terra, quæcumque iam inde à principio sinu suo concluserint, corpora, prolatura sint, quæ mox suæ quæque animæ sine vlla difficultate counientur. 1.

Hîc cogitabo, quàm deformia & grauia dãnatorum tum futura sint corpora, quemq́ue animæ persensurę dolorem, vbi se tetro hoc & putiscenti carcere coarctandas conspiciẽt. quibus se inuicem conuitiis & maledictionibus proscindent, dum alter alteri communem calamitatem ascribet, & eiusdem causam dicet. Imaginabor quoque, animâ corpus subeunte, ipsum mox arsurum; & fornacis accensæ instar fumosos gyros eiaculaturum; è contra verò beatorum corpora leuia, mori & pati nescia, & splendore ac luce circumdata resuscitanda, & illustres ipsorum animas summo cum gaudio & plausu illis coniungendas, gratias agendo quòd interim dum viuerent, fidele ipsis præstiterint obsequium. Expendam hîc, quod inter vtrasque futurum sit discrimen, vt meipsum ad virtutum studium excitem.

 2, Con-

2. Contemplabor, quanta cum maiestate Redemptor Christus ad iudicium venturus sit, gloriosum eius comitatum, vexillum regium, crucem, solium eius inclytum, quis eius futurus sit vultus, innumeras item angelorum turmas, assessores eius, & reliquã comitatus seriem; quomodo venturus sit igneum torrentem effundens, quem in impios effundat, qui magnâ sui confusione & opprobrio, sacrosanctum crucis vexillum, sublimè prælatum conspicabuntur, quod bonis è contra consolationi ac gaudio futurum est.

Meditabor, quomodo Saluator in illustri sedebit throno ex splendidissima composito nube, vultu bonis placido & benigno, improbis terribili. Ex eius autem sacratissimis vulneribus lucis prodibunt radij, qui illos recreabunt, & fulgura horrenda, quibus hi percellentur. Eius ad latus collocabitur solium benedictæ matri eius, non vt iam peccatorum sit aduocata, vel vt misericordiam imploret, quemadmodum modò; sed ad reproborum confusionem, qui tempore opportuno sub eius præsidium confugere noluere, simul & iustorum exultationem, quos honor illi ab vniuerso mundo exhibitus mirificè recreabit. Apostoli quoque singuli in sede sua considebũt ad iudicandas duodecim tribus Israel, idque operibus & sanctioris vitæ exemplo. Addere hîc potero, quod à Doctoribus communiter traditur, & pauperes voluntarios, Religiosos scilicet, Apostolorum imitatores, etiam in thronis gloriæ cõsessuros. Hic mecum expendam, ecquod sit

modò

modò inter pauperem Religiosum & potentes orbis principes discrimen, & præsertim quale tum futurũ sit. Multi siquidem principũ ibi inter mundi fæces recẽsebuntur. Hinc igitur meam ipse sortem beatiorem, quàm mundanorum existimabo, Deoque ob vocationem ad statum religiosum gratias agam.

2. Considerabo, Iudicis imperio iussuque ab improbis iustos secernendos, hos ad dextram, illos ad sinistram collocandos: etsi hodiè promiscuè in mundo illos agere videamus, & improbos maiori quàm probos honore coli: tum verò confusionem illã auferendam, granum purum à palea segregandum, frumentum à lolio, & ab hœdis fœtidis agnos. Fingam hîc mente improborum furorem & rabiem, vbi se ab electorum cœtu ita proscribi & pelli viderint; è contra verò horum gaudium, videntium se electos, & è sceleratorum colluuie iam sequestratos. Quàm beatam tum existimabunt suam obedientiam, humilitatem, patientiam; quomodo benedicent labores, quos in mortali hac & caduca vita subiere?

4. Cogitabo omnium hominum tunc cõsciẽtias apertas fore, vt quid quisque fecerit, tum manifestum futurum sit. Hîc coram mundo vniuerso patebunt cogitationes secretissimæ; hîc ad oculum videbuntur horrenda scelera in tenebris olim locisque abditis commissa; item illa, quæ in confessione celare pœnitens non est veritus; adeò vt quoniam perbreuem & exiguam pati verecundiam noluit, publicam iam, æternam & ineffabilem coram omnibus morta-

libus confusionem perpessurus sit. Hîc palàm patebūt omnia illa opera exteriori sanctitatis velamine palliata, nihilque abditum remanebit aut occlusum; omnia reuelabuntur, tum bona tum mala; tum peccatum in propria apparebit deformitate & prout reuera est, & virtus eo quo est splendore, atque inde ad ipsam modò diligendam, & ad vitium quod ei oppositum est fugiendum animabor.

5. Considerabo, de quàm horrendis criminibus impij accusabuntur, tum à malignis spiritibus, qui obiicient, quòd suis suggestionibus auscultarunt, cùm tamen nihil ipsorum causa præstiterint; tum à Deo, qui tam priuata quàm publica illis beneficia, sáctas inspirationes, Ecclesiæ Sacramenta, & cætera, quæ ad ipsos à vitio deterrendos, & ad virtutem traducendos media dedit, exprobrabit. Angeli custodes peruicacem illorum contumaciam, dum sancta consilia quę suggessere, neglexerunt, criminabuntur; iusti, quòd bona ipsorum exempla reiecerint; denique & propria conscientia à veritate conuicta, acerrimè impios coarguet.

MEDITATIO XIV.

DE IVDICIS PRO IVSTIS ET contra improbos sententia.

1. CONsiderandum, Saluatorem Iesum placidé ad bonos conuersum, blandâ dulcique voce ipsis dicturum: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à con-*

à constitutione mundi: Esuriui enim & dedistis mihi manducare, &c. Huius sententiæ verba singula expendam ad animam ad virtutis studium excitandam, vt in supremo illo die harum benedictionum diuinarum particeps esse, & regno cœlesti frui queat, quod electis Deus in præsentia & prædestinatione suâ æternâ præparauit. Perpendam hic, sola misericordiæ opera ius ad regnum hoc concedere, & cœli ianuam reserare, quæ statuam executioni deinceps mandare, liberalitati & bonitati Dei infinitæ gratias agẽs, quòd rebus adeò exiguis inæstimabilẽ gloriæ hæreditatem promiserit. Cogitabo adhæc, Dominum Iesum singulos electorum allocuturum, velut congaudẽtem, & iis gratias acturum, quòd eius nomine hæc & illa præstiterint; Religioso, quòd mundum, ipsius in honorem contempserit; casto, quòd castitatem ipsius intuitu coluerit.

2. Considerandum, quàm ad impios conuersus, iratum Deus vultum præferet; & tremẽdâ voce dicet; *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius; Esuriui enim & non dedistis mihi manducare.* Discedite, separemini à me, qui vester sum Deus & benefactor, &, si voluissetis, Redemptor; cùm toties mihi clamanti aures occluseritis. Ite, discedite, à mea vos amicitia proscribo, à regno societateq; mea, & matris & sanctorum omnium excludo. Ite, ite maledicti in ignem æternum, inextinguibilem, interminabilem, in quo sine fine, sine relaxatione, vnà cum dæmonibus tartareis torquendi,

quibus sponte & vltrò libertatem vestram in mancipium addixistis. Hîc maledictionis huius terribilis, & exilij adeò stricti occasionem excutiam; quam non aliam esse reperiam, quàm quòd misericordiæ erga proximum opera, quæ Redemptor velut sibi facta reputat, neglexerint. Cogitabo item, impios, horum verborum audito fulmine, mortali & ineffabili tristitiâ corripiendos, vbi se in æternum Dei commercio, sine vlla recuperationis spe, exclusos videbunt, & sub cacodæmonum tyrannide infernalibus ergastulis mancipatos.

3. Euoluam, sententiam iam latam ilicò executioni mãdandam, & terrâ sub pedibus impiorum dehiscente, omnem hãc infamem multitudinem velut immundos quosdam sues, quos suarij ipsorum, dæmones inquam, in infernalium abyssorum profundum præcipites dabunt, absorbendam, quibus absorptis, denuò terra claudetur, atque ita in æternum funestis illis carceribus ac cauernis inclusi manebunt.

4. Meditabor angustiã, rabiem & desperationem, & acutissimos inuidiæ stimulos, quibus impiorum corda transpungentur, vbi iustorum è contrà gloriam ac felicitatem contemplabuntur, à quibus se adeò probrosè separatos cernent. Quàm tunc experientia discent, quàm triste & noxium fuerit, quòd in vita hac mortali à creatore se sequestrarint, eius mandata posthabuerint, diuini timoris iugo excusso. Quàm probè cognoscent, licet seriùs, rerum, ob quas bonorum inæstimabilium iacturam fecerũt, vanitatem?

Con-

Consequenter & iustorum gaudium meditabor, vbi diuinæ iustitiæ flagella perspicient, etsi vel parentes ipsos inter damnatos viderint, cùm ęquissima ratio, quæ in Deo elucebit, illis satisfaciet, & gaudio complebit. Meditabor hîc item quomodo iusti in aëra sublimes euehentur, ducem suum Iesum, Regem regum sequentes, cuius in laudem mille cantica & hymnos concinent, & imprimis versiculum illum Psalm. 123. *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dētibus* inimicorum nostrorum. Itaque celerrimè, ac sine vlla grauedine in sublime elati, cœlos omnes penetrabunt, solem, lunam & sidera pedibus prement, orbes omnes cœlestes ad vsque cœlum empyreum transcendentes; quò cùm peruenerint, in thronis gloriæ collocabuntur, in quibus in sempiternum permaneant. O beatos labores, felicem obedientiam, & fortunatam humilitatem!

Denique mecum ipse perpendam, mundum hunc inferiorem esse velut domum probationis, in qua qui præceptis & inspirationibus diuinis non obtemperant, in æternum repellentur: è contra verò qui Deo obsequentes sese subiiciunt, vltrò legibus & iussis eius parent, voci auscultant, motus sequuntur, mandata seruant, in consortium illud cœleste admittentur, vt Deo, & Beatitudine, quæ in diuinę eius essentię fruitione consistit, in æternum fruantur.

MEDITATIO XV.

DE INFERNO, QVANTVM AD *æternitatem pœnarum, & horribilem loci faciem.*

1. PErpendam, infernũ perpetuum esse carcerem, igne & grauissimis tormentis refertum, ad excruciandum in perpetuum illos, quos mortali in delicto mors inuadet. Esse quoque statum æternæ durationis, in quo peccatores sine fine agẽt, omnibus priuati bonis, quæ ad beatitudinem complendam optare possent, & omnia perferent mala, quæ ad sui cruciamentũ horrere potuissent. adeò vt in loco illo infelici nihil reperire sit, quàm omnium bonorum temporalium & æternorum carentiam, & omnium malorum tum huius tum alterius vitæ cruciationem, malorum inquam adeò ingentium & extremorum, vt grauissima & durissima quæ in terra fingi cogitarique possunt, nonnisi picta sint cum tartareis comparata.

2. Cogitabo, quidquid apud inferos est, in sæcula sæculorum perduraturum, & eos qui extremo in furore sui consumptionem & peritionem desiderant, in vanum & frustra desiderare, quod penitus obtinere illos impossibile est. Carcerem, ignem ardentem & non exurentem, vermem rodentem conscientiæ, & immutabile Dei decretum, æterna esse; in inferno enim nulla redemptio aut liberatio; pretiosus filij Dei sanguis eò vsque

vſque non penetrat, nec vmquam penetrabit, diuina eius virtus ad vſque locum illum infortunatum ſe non extendit; non eſſe ibi ſatisfactionem aut pœnitentiam veram, peccatores ibi fide, ſpe, & omnibus virtutibus priuatos fore, velut iis indignos. Denique cùm res ipſorum deploratæ & peſſimo ſint loco, illorum infelicitas durabit, & erit immutabilis & æterna, cum culpa, per quam hucdelapſi ſunt, pariter æterna ſit.

3. Perpendam, continuam pœnarum adeò atrocium, quæ ne vel momento quidem relaxabuntur, nec atrocitatem minuent (vti exemplum diuitis epulonis euidenter oſtendit) durationem non fore ſicut hac in vitâ, in quâ pœna omnis conſuetudine & ferendo fit lenior, & tempore miteſcit; è contra verò repetitione ipſa quotidie tormenta apud inferos renouanda. Si vel vna moleſta nox adeò longa videatur ægro vel mediocri tolerabilique ægritudine oppreſſo; quid de nocte illa tenebris tartareis nigricante dicendum?

4. Imaginabor, infernum in terræ eſſe centro, obſcurum, omni priuatum lumine, ignem eius vrere, non tamen lucere, anguſtum eſſe, in eoque impios coanguſtatos non aliter fore, quàm lateres ardenti in fornace compactos, vt ne vel parum mouere ſe poſſint: locum quoque peſſimæ temperiei, quem nullus flabri halitus vel aura ad ardorem exceſſiuum mitigandum perflare queat; locum immundiſſimum & fœtidiſſimum, vtpote cùm ſudor & immundities corporum damnatorum fœtorem purulentum & intolerabilem

lerabilem efflatura sint. Miseros quoque illos vndique clausos, nec vi, nec astu aliquo egredi posse.

5. Ponam mihi ob oculos inenarrabilem miseriam, & calamitatem inexplicabilem iniquorum illorum hîc compactorum, qui hic sexcentis se inuicem maledictis proscindent, in quo nec filius parenti, nec domino seruus parcet: mutuis exarsuros odiis, in se inuicem bacchaturos furore plenos, præsertim qui in delicto socij complicesque exstitere; qui furor & rabies etiam augebitur magis, cùm considerabunt, se vel inuitos perpetuò simul in cruciatibus permanere cogendos, ita vt alteri alterum occidere non liceat, nec à se inuicem diuelli, nec in gratiam mutuo redire, nec inde fugere; sed furore diabolico acti hi leonum instar rugient, alij velut feræ belluæ vlulabunt.

6. Consideranda horribilis carnificum infernalium, à quibus cruciabuntur, figura; nam prætorquam quòd damnatorum quisque omniũ futurus sit tortor, & omnes singulorum, particulatim tamen eos dæmones torquebunt, & odium & maleuolentiam, qua Deum eiusque filium Iesum Christum prosequũtur, in ipsos exonerabunt. Adhæc immortalis consciẽtiæ vermis incessanter atrociterque eos arrodet, insignes & commodas, quas sui saluandi hîc habuere occasiones, item auxilia quæ toties iis Deus submisit ad se peccato educendos, & supplicia & cruciatus quos patiuntur euitãdos, iis obiiciendo. Denique inuincibilis & ponderosa omnipotentis Dei manus vindicem iram suam in

sacri-

sacrilegum caput ipsorum exeret; ipsi verò contrà, qui non ignorabunt ab irato numine hæc sibi tormenta intentari, aduersus maiestatem eius omnigenas euoment blasphemias, optantes vt & esse & potestas illius penitus intercidat: verùm hæc omnia illis noui tormenti erunt occasio. Hinc mecum ipse perpendam, quàm sit horrendum in irati Dei manus incidere.

MEDITATIO XVI.

DE POENA SENSVVM, ET POtentiarum interiorum, ac damni, quæ improbis infligitur.

CONsidera, damnatos per hæc ipsa puniri, per quæ offenderunt, & sicut peccatum per portas sensuum intrauit, per easdem etiam pœnam ingredi: adeò vt visus horrendis spectris & tetris figuris cruciandus sit, & nec ad eas non videndas claudi oculi valeant: auditus execrandis blasphemiis, & maledictionibus cõtra Deum; atque ita de reliquis sensibus, quorum singuli affligentur, eò quòd dolorem illis ac cruciatum causabitur. Erit hoc in causa, vt in tempore pœnitentiam agam de peccatis, quę per sensuum organa commisi.

2. Cogitabo asperitatem & acredinem intolerabilem ignis infernalis, cui ignis noster terrenus & elementaris collatus nonnisi ignis pictus est; ignis inquam, qui in tantum impiis damnatis alligatus erit, numquam ab eo vt expedire se queant; alter

tamen

tamen plus, alter minus eo affligetur; hi vno in membro, alij in alio amplius: murmuratores, detractores, blasphemi in lingua, gulosi & vinosi in faucibus. Ignis porrò hic lumine caret, (si namque lucidus foret, solatio damnatis esse posset) quin & spissum & tetrum eiaculatur fumum, excruciat quoque, nec necat. Si ignis nostri ardor adeò intolerabilis est, vt ne vel ad momentum tolerari queat, quid erit viuere moriendo in medio flammarum deuorantium? vt ait Isaias.

Cap. 33. 3. Perpendam pœnam potentiarum animæ internarum, vt phantasticæ, quæ horrendis imaginationibus agitabitur; memoriæ, quæ continuâ rerum præteritarũ quas possederint, simul & præsentium, & quæ in futura æternitate euenturæ sunt, recordatione excruciabitur; intellectus, qui tenebris offuscabitur, erroribus & deceptionibus, nihil vt intelligant aut comprehendant, quod voluptatem illis afferre queat; verùm temerariâ peruicaciâ sibi persuadentes Deum ipsis esse iniurium, illum iniustitiæ & iniquitatis arguent, quòd hoc eos modo affligat; voluntatis denique, quæ in delictis suis & odio irrecõciliabili aduersus Deum & Sanctos concepto perstabit contumax, nunquam vt flectatur, mutetur aut pœniteat. Cogitabo postremò, impios velut in profũdo amaritudinis mari fore, in quod torrentes omnes miseriarum ac tormentorum vndiquaque se exonerant.

4. Perpendam mecum pœnam damni, quæ in æterna summi boni, & æterni diuinarum

narum deliciarum fontis priuatione sita est, vbi scilicet impij in perpetuum se cœlo exclusos, & fine, ad quem conditi erant frustratos perspicient. Inexplicabilis huius pœnæ arrocitas, & pœnarum maxima, similitudine aliquâ aut comparatione à rebus terrenis ductâ explicari potest; an non graue foret viro principi, si cùm ius ad regnum haberet, in quo voluptates, honores, diuitias haberet, sua ipsius culpa & iure & spe eiusdem obtinendi se priuatum cerneret, & è contra miseriis & ærumnis bono sperato directè aduersantibus, oppletum?

Hîc imaginando in tenebrosam tartari cauernam descendam, & infelicia damnatorum habitacula perlustrando, sciscitabor caussam, cur hi in medio flammarum positi ardeant, alij per extremè frigida stagna natitent, &c. quò maiorem in animo timorem, ne diuinam maiestatem offendam, & ardentius de delictis pœnitentiam agendi desiderium concipiam, cum D. Augustino dicendo; *Hîc vre, hic seca, vt in æternum parcas.*

MEDITATIO XVII.

DE PVRGATORIO, QVO AD pœnitentiam excitemur.

COgitabo, neminem vel minimo peccati culpæ, aut pœnæ næuo coinquinatum regnum cælorum subire posse, atque ideò Deum locum quemdam constituisse, quem purgatorium dicimus, in quod anima iusti trans- 1.

transfertur, si quid ei purgandum post mortẽ restet, vt ibi diuinæ iustitiæ soluat, quod illi debet; quæ in eo mirabiliter elucet, quòd nullam impunè habere culpam velit, nullũ esse delictum impunitum, nullum crimen cui non satisfiat: etsi infinita eius bonitas misericordiæ dulcedine castigationis & flagellorum seueritatem temperet, pœnã, quæ æterna esse debebat, in temporalem commutans: quam si in mortali hac vita plenè peccator non pertulerit, post culpæ remissionem, postquam anima ex hoc mundo decesserit, quidquid sibi ad plenam satisfactionem defuerit, suppletura est. nam diuina illa puritas nihil in suam prouinciam admittit, quod non niteat ac solis instar splẽdeat. Mirabor hîc proinde prauam & malignam peccati naturam, quod etsi veniale duntaxat sit; anima tamen, licet alioquin sanctissima & iustissima, ex hac vita emigrans, non antè cœleste habitaculum subire potest, quàm igne purgatorij expurgata sit. Obstupescam item peccati venialis grauitatem, quod suo animam pondere in profundã illam terræ abyssum deturbet, impediat quò minus quàm citissimè in cælum feratur, & ad tempus illam visione Dei priuet.

2. Extremum euoluam dolorem, quem animæ illæ modò sentiunt, & quem nostræ habituræ sunt, vbi se in duri huius carceris obscuritate coarctatas conclusasq; videbunt, in quo optatâ numquam felicitate ac beatitudine perfrui poterunt. fides namque, quæ Dei illis pulchritudinem certò depingit, in illis viuit, ipsosque potentis & pungentis stimuli

ſtimuli inſtar exſtimulat, & ardens in ipſis ad videndum & habendum finem ſuum vltimũ excitat deſiderium, ac proinde fruitionis illius dilationem ægerrimè ferunt, atque eadem ſummopere anguntur.

3. Ad hæc amor diuinus in ipſis etiamnũ impreſſius manet, adeò vt anima ſancta ardẽter amoris ſui obiectũ, eiuſque pulchritudinem ad ſe arctè & inſeparabiliter illi vniendũ videre deſideret. Si viri ſancti, interim dũ in vitæ huius miſerabilis exilio verſarentur, ob viſionis glorioſæ dilationem adeò doluere; quantum dolere & angi ſanctas illas animas putabimus, quòd vel ad tempus ab hac ſe ſeparatos videant?

Incertitudine quin etiam, quæ illos ſuſpenſos tenet, quòd ignorent, quamdiu tenebroſo hoc & moleſto carcere detinendi ſint, incredibiliter angentur, etſi in omnibus & ſemper diuinæ ſe voluntati attemperent, cùm perpendunt, hanc ipſis pœnam, ob culpas & negligentiam in iiſdem ſatisfaciendo, interim dum in terris agerent, commiſſam infligi.

Priuatio etiam viſionis Redẽptoris, glorioſæ eius matris, & ſanctorum omnium in cælo, & ſimul reliquarum rerum cœleſtium, quas viuâ ac certiſſimâ fide credunt, mirificè illos torquebit: quemadmodum certum eſt, virum eximium non parum cruciandum, ſi priuatus omni eo quod afferre illi voluptatem poſſet, in tetrum inſuper & obſcurum eſſet carcerem compactus.

Animæ quoque igne illo terribili torquebuntur, qui infernali per omnia ſimilis
eſt,

eſt, eaſque non ſine miraculo adurit, velut inſtrumentum Dei & iuſtitiæ eius ad peccatores puniendos adminiſter. Ac ſicut ignis noſter aurum liquefacit, quo purius reddatur, ita quoque purgatorius animas torquet, quo puriores ac nitidiores euadant. Quamobrem aiunt Doctores, ipſa purgatorij tormenta omnibus vitæ præſentis multo eſſe grauiora, quin & iis omnibus quæ Sancti vnquam martyres, & rex ipſe noſter & anteſignanus Chriſtus Dominus pertulit.

Atque inde iuſtitiam Dei imaginando, & horrendorum flagellorum eius formidinem menti imprimam, dum tam ſeuerè in animas ſibi dilectas animaduertit, idq; ob leuia quædam commiſſa. Quin & firmiter mecum ſtatuam, peccatis in hac vita vſquequaque ſatisfacere, omneſque pœnitentias aut afflictiones mihi impoſitas æquanimiter ſuſcipiendo, cùm, prætcrquam quòd ſatisfaciant, etiã meritum adferant: quæ prærogatiua purgatorij pœnis etiã duriſſimis acerbiſſimiſque negata eſt. Dabo & operam, vt quantum mihi licuerit, peccata venialia fugiam: nam eadem paſſim ac ſæpiùs, & ad omnem occaſionem patrare, aliud non eſt, quàm ſemper & aſſiduè lignum ad ignem, quo diutiùs in purgatorio adurar, fouendum coaceruare.

4. Conſiderabo, animas purgatorij voluntatem ſuam planè in Dei voluntatem, quãtum ad acerbitatem & durationem pœnæ, quam ſuſtinent, reſignare, idque patienter & æquo animo, nec dolentes de Dei in ſe puniendis iuſtitia; ipſas quoque imprimis

anxias

anxias esse, ac desiderare, quò per suffragia, sacrificia, orationes, eleemosynas, aliaque satisfactoria fidelium opera iuuentur. Considerandum quoque, neminem nostrûm fore quin, si iisdem pœnis addictus esset, iuuari ab alio vellet; iam verò nos ipsis simul & nobis prodesse posse. certum quippe, ipsos pòst in cælum admissos benefactoribus suis gratiam reddituros, nec ingratos fore.

MEDITATIO XVIII.

DE SVPERBIA AC VANA gloria; deq; humilitate.

COnsiderabo, superbiam esse inordinatum excellendi, & cæteris præstandi desiderium, tum temporalibus bonis, honoribus, dignitatibus, splendoribus, & sanguinis nobilitate suffultum; tum etiam spiritualibus, qualia sunt scientia, virtus, gratia, &c. Porrò in quatuor ipsa membra diuiditur. Primò, sibi attribuere, quod Deo proprium est; deinde, propriis asscribere meritis, quod è mera Dei gratia, & gratuita eiusdem misericordia procedit. Tertiò, cogitare esse alios, quàm reuera sumus, & maiora habere bona ac plura, quàm reuera habeamus. Quartò denique, aliis persuadere, digniores nos esse ac maioris meriti, quàm ceteros omnes. 1.

Hæc porrò superbia alia plura peccata progignit, vt vanam gloriam, quæ est inordinatus appetitus laudis & magnificentiæ apud homines; iactantia, ambitio, præsumptio,

ptio, hypocrisis, præfracta in tuenda senten-
tia peruicacia, aliorum contemptus, vt &
Deus ipse vili pendatur. Circa singula hæc
examinanda conscientia, ac videndum in
quod lapsi simus, & lapsus corrigendus

2. Reuocabo in memoriam, quibus in su-
perbos Deus suppliciis animaduerterit, scrip-
tum quippe; *Qui se exaltat, humiliabitur*,
id est, ea ipsa quam habet excellentia priua-
bitur, quãque habere desiderabit, illi nega-
bitur, eiusque loco irroganda confusio ac
contumelia quam veretur: exemplo sunt an-
geli, Nabuchodonosor, & alij sexcenti.

Superbia miram in anima ariditatem, &
erga res cælestes insensibilitatem & nauseam
procreat; permittente nimirum Deo, vt su-
perbi hac in vita in varia incidant scelera;
in altera verò ab omnibus omnino homini-
bus rideantur, facti omnibus ludibrium, sub-
sannatio, & fabula.

3. Examinabo, quàm ingentia nos ma-
neant bona, si superbiam refrenare & mor-
tificare, & è contra humilitatem amplecti
conemur; nam *qui se humiliat, exaltabitur*:
id est, humiles ab iis immunes erunt mise-
riis, ad quas sua ipsos infirmitas deiecerit;
augebit Deus iis gratias, quas iam à liberali
eius manu receperunt, quin & aliis excellen-
tioribus, fauoribusque amplioribus illos
complebit & cohonestabit. Quamobrem
danda opera, vt hanc virtutem comparemus,
vitiumq; contrarium fugiamus: nam hoc in-
primis peccatum diuinæ maiestati displicet.

MEDITATIO XIX.

DE GVLA, ET TEMPERANtia virtute.

COnsiderabo, gulam esse inordinatam comedēdi & bibendi appetitionem; quæ cōtingit, si quis vetitis ab Ecclesia cibis vescatur; dein si nimium cibi potúsue sumatur, vt corporis sanitati aut animæ noceat; adhæc si genio indulgendo, sæpiùs comedatur aut bibatur, quàm oporteat, aut nimia cum delectatione saporis. Examinandum hîc, num in aliquo deliquerim, & de delicto agenda pœnitentia. 1.

2. Excutiam quomodo hoc vitium à Deo punitum sit. Primò, sui ipsius supplicium est gula, secum ipsa excessus sui & nimietatis flagellum ac pœnam ferens; corpus siquidem grauat, sanitatem aufert, mortem accelerat, ingenium hebetat, mentem eiusque subtilitatem reddit obtusam. Quin & olim grauiter à Deo punita fuit, vti in primis humani generis auctoribus, ob esum pomi vetiti, in Israelitis, dum carnes inordinatè appetiere, aliisque pluribus. In altero verò sæculo grauissima ac durissima gulones patientur supplicia: testis epulo ille Euangelicus, cui ne aquæ guttula ad linguæ ardorem refrigerandum concessa est. Verisimile porrò est, intolerabili illos, rabida, & canina fame cruciandos, &c.

3. Ingentia percurram bona, quæ ab ipsa proueniunt temperantia: vtpote quæ sanitatem

tatem conſeruet, vitam producit, animam ad orandum & conſolationes cæleſtes, iis frequenter immitti à Deo ſolitas, qui eius in gratiam, datis diuinitus bonis vltrò ſibi interdicunt, percipiendas capacem reddit; in alio verò ſæculo muneribus eos colit amplissimis, & lautius digniuſque habet, ſuæ illos adhibens menſæ, & eoſdem ipſis porrigens cibos, quibus diuina maieſtas ipſius, diuinitate inquam ipſa, veſcitur.

MEDITATIO XX.

DE LVXVRIA, ET CASTItatis virtute.

1. COnſiderandum, Luxuriam eſſe inordinatam voluptatis venereæ appetitionẽ, contra ordinem videlicet à Deo in ea præſtitutum. Cogitatione peccatum hoc admittitur, quando moroſè voluntas delectationi conſentit, quin & opere ac verbo.

2. Cogitabo, quàm horrendè peccatum hoc caſtigatũ ſit; quod ſatè referri nequeat, vti nec miſeriæ & pudendi abominabileſque morbi, quos ſecum afferre ſolet, vt taceam bonorum, ſanitatis, voluptatis veræ, & vitæ denique iacturam. Ob infandum hoc peccatum Deo olim mundum vniuerſum perdidit, ac diluuio obruit, & igne cæleſti Pentapolim deuaſtauit, quin & aliis in ipſum animaduerſum fuit modis, vt ſcriptura teſtatur. Apud inferos quoque luxurioſi intolerabilibus tormentis ſubiicientur, in ſtagnum ignis ſulphurei deiiciẽdi, in quo om-

nia

nia membra peccati huius instrumenta singulari pœnâ excruciabuntur.

3. Consideranda angelicæ illius virtutis, castitatis inquam pulchritudo, & quas castis Deus prærogatiuas concesserit. Huius actus sunt, oculos aurésque occludere, & casta cõseruare, ab hisce sensibus omne remouendo obiectum, quod inhonestæ cogitationis esse queat occasio. Quin & iis quæ gustum, odoratum, & tactũ delectant, cautè & purè vti: in verbis, actionibus, cõuersatione, oratione, risu, & gestu omni decentiam, & honestatem seruare; in familiari commercio purum se seruare, cum omnibus & vbique candidè sincereque agere; occasiones omnes euitare, quibus vel parum anima tum internè tum externè coinquinetur; cordis denique cogitationes refrenare, ac dare operam, vt puritas easdem in omnibus comitetur, sensuales carnis motus compescendo, eamque semper spiritui subiiciendo.

4. Meditabor, quas Deus castitatem colentibus gratias concedat, angelos iis assignando, à quibus in certamine aduersus libidinem inito iuuentur & protegantur; sicut olim auxilio fuit tribus adolescentibus in fornace Babylonica, in quorum medio conspectus angelus, qui ignis ardorem temperaret, eiusque actiuitatem suspenderet. Angeli namque castorum contubernio delectantur, ob magnam horum cum Deo similitudinem & proximitatem; quin & singulari quadam cura ac protectione pro iisdem excubant. Quare dum tentatio carnalis nostram adoritur animam, ad diuinam maie-

ſtatem ilico confugiamus, vt ad nos adiuuandos feſtinet; & ſanctorum angelorum opem auxiliumq́ue inuocemus, quibus caſtitatis ac puritatis ſectatores inprimis cari & curæ ſunt.

Deus præterea cum animabus caſtis & puris familiaritate arctâ iungitur, ſpirituales ipſis immittit conſolationes, terrenis carnalibuſq́ue voluptatibus dulcedine, & ſuauitate infinitis partibus præcellentes; quin & ſalutari eos gratiâ ſuâ abundè donat, qua ſanctis piiſq́ue operibus incumbentes, meritorum ſegetem comparent, facti ſpirituales ſacroſancti huius connubij filij.

Cogitanda etiam ſunt iura & prærogatiuæ, quibus caſtitatis ac virginitatis amatores præ aliis donabuntur: teſtis ſit virgo Deipara, Ioannes Euangeliſta, aliiq́ue, quorum in ſacris litteris eſt mentio, vt Elias & Eliſæus, &c. In cælo autem hoc illis datū præ aliis, vt ſequantur agnum quocumque ierit, ſicut ipſum in terra caſtimoniæ imitatione ſecuti ſunt. Inde videbo, quanti facienda ſit caſtitas, & quo ad eam obtinendam & conſeruandam ferri debeam deſiderio, &c.

MEDITATIO XXI.

DE VITIO AVARITIÆ, & paupertate.

1. COgitabo, auaritiam inordinatum eſſe diuitiarum atque opum terrenarum appetitum. Cogitatione hoc peccatum commit-

mittitur, cùm alienis bonis fraude ac rapinâ inhiamus; dein & opere, quando & eadem reipsa diripiuntur, aut ablata restituere, si quando licuerit, detrectamus. Hanc Religiosi culpam consciscunt, quando insciis aut inuitis superioribus, data oblataque recipiunt, cùm sine eorum notitia scientiaque sibi arrogare, aut distrahere, aut occultare hæc ipsa sit nefas, imò vel animum rei alicui inordinatè apponere, ad ea velut propria vtendum. Examinet se quis, num in hæc similiaque delicta prolapsus sit.

Considerandum, quomodo semper auaritiam punierit Deus: semper enim asperrimæ & grauissimæ eam secutæ sunt plagæ velut causam & radicem ipsarum, ipsaque cultores suos & sectatores in varias grauesq; anxietates & calamitates coniecit. Est namque laqueus, quo animas ipsorum constringens diabolus, per infinitarum tentationũ vepreta ipsas trahit, infinitis curis & rodentibus angoribus lancinat, & tãdem ad infelix desperationis patibulum eos raptat, quemadmodum nefarium proditorem Iudam, quem cælum terramque inter suspensum deseruit; ita & miseros auaros suspendit, impeditque quo minus bonis terrenis fruantur, & cælestibus penitus priuentur. Discimus è scriptura, quàm grauiter hoc vitium castigatum sit in Acham, Nabale, Iesabele, Giesi, Iuda, Anania & Sapphira vxore eius aliisque. Sed videndum in primis, quæ ipsam supplicia in alio maneant sæculo, sępeque meditanda damnati epulonis supplicia.

Perpendenda quoque sunt ingentia bona,

quæ in perfecta auaritiæ mortificatione cõtinentur, cùm paupertati voluntariæ & spirituali, quæ ei directè opponitur, regnum cœlorum in mercedem in altera vita, & in hac iustitia, pax, & gaudium Spiritus sancti promittantur: cùm se Deus liberalissimum ac munificentissimum exhibeat erga illos, qui se vicissim erga pauperes munificè gerunt, suis facultatibus illis succurrendo, & præsertim erga illos, qui se rebus suis penitus nudarunt, Euangelicam paupertatem amplectēdo, quibus in die iudicij thronum gloriæ assignabit, vt in eo confidentes duodecim tribus Israel diiudicent.

MEDITATIO XXII.

DE IRA ET IMPAtientia.

1. COnsidera, iram esse inordinatum iniurias proprias vlciscendi appetitum vel motum, & cordis, propter ea quæ contra nostram voluntatem ac desiderium eueniunt, concitationem. Hîc item cogitatione peccatur, vti verbo & opere. Iræ comes semper est impatientia, quando ob ea quæ voluntati aduersantia contingunt, nimiopere indignamur, & contristamur; atque inde plurima contra Deum, proximum, & nos ipsos peccata oriuntur.

2. Cogitabo mala, quæ ab ira proficiscuntur, per iram namque homo Deo, qui ipsa pax est, redditur dissimilis, conscientia quietem amittit ac turbatur, spiritus de-

deuotionis extinguitur; ira namque breuis stultitia est, & furor celeriter transiens, ac velut dæmon voluntarius, animam corripiens, in qua agitationes & motus varios causatur, non minùs absurdos & dedecentes, quàm variæ vultus irati & concitati figuræ ac gestus turpes sunt & ridiculi. Exemplum Caini & Lamech satis euidenter docent, quàm Deus vitium hoc exosum habeat, & ea quæ apud Euangelistam Matthæum Redemptor: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*, &c. Hinc discam omnem iræ motum fugere, eumque antè sistere, quàm in anima crescat & vires sumat. *Gen. 4.* *Cap. 5.*

3. Considerabo bona quæ ab iræ mortificatione proueniunt, idque per patientiam & mansuetudinem; hæ namq; virtutes plenum nobis nostri dominium & imperium concedunt, & hominibus nos & Deo amabiles reddunt, cuius spiritus & dulcedinis benignus & placidus particeps redditur; quin & paulatim se disponit, vt maiores è cælo gratias consequatur, seque magnanimitate sua, quàm per iniuriarum tolerantiam patefacit, in terra cunctis admirabilem reddit.

MEDITATIO XXIIII.

DE INVIDIA.

NOtandum 1. inuidiam esse inordinatam de bono proximi, quatenus nostrum excedit & obscurat, tristitiam. Oritur illa ex superbia, habetque iram sociam. 1.

Circa omnigena porrò versatur bona, tam spiritualia quàm temporalia, tam gratiæ, quàm naturæ, vt ex inuidia cacodæmonis erga hominem manifestum fit.

2. Cogitanda item sunt innumera culpæ & pœnæ mala, quæ inuidia progignit, hospitis sui carnifex assiduus. Esse quoque illã afflatum & sibilum serpentis tartarei, ad scelera grauissima hominem instigantis, qui & animam indurat, & ossa corporis, & multo magis animi virtutes exsiccat.

Inuidiam omniá suum in damnũ conuertere. num proximi bona inuido mala sunt, adeò vt morbus hic penitus sit incurabilis. Atroces eius effectus apparent in Caino, fratribus Iosephi, Dathane, & Abirone, Saule, & Iudæis, qui ferali acti inuidiâ ac rabie, Saluatorem Iesum cruci affixere.

Quæ apud inferos, inuidos manent tormenta, esse incomprehensibilia, & quidquid dici concipíve potest, longè transcendere; sufficiat cogitare, alterum alterius inuidia tabescere.

3. Reuocanda in memoriam ingentia bona, quæ in perfecta inuidiæ mortificatione, & in fraternæ charitatis exercitio continentur, quando scilicet tristitiæ ob proximi bonum resistimus; è contrà verò iisdem velut propriis gaudemus, optantes, vt gratiæ nobis collatæ, pluribus conferantur, quin & multo maiores, si ad maiorem Dei gloriam hoc foret, quam purè simpliciterque in omnibus quærere rebus debemus. Hinc proximi bona mea reddam, & iam in terra specimen quoddam felicitatis illius gustare incipiam

piam quâ beati perfruuntur in cælo, vbi quiſque velut ſua credit bona, quæ omnibus communia ſunt.

MEDITATIO XXIV.

DE ACEDIA, SIVE pigritia.

ACedia eſt inordinata quædam triſtitia, & nauſeabundum & nimium exercitiorum bonorum tædium. Illius actus ſunt nimius laborum metus, puſillanimitas, aut in rebus arduis pro Dei obſequio ſuſcipiendis inertia, languor in Dei lege, conſtitutionibus & regulis profeſſionis complendis, in virtutum actionibus proſequendis inconſtantia, quædam in aſſequendis quas ſectamur virtutibus diffidentia, rãcor & indignatio contra viros ſpirituales, otioſitas qua tempus amittitur, nimia dum exercitiis ſpiritualibus vacatur ſomnolentia, ad diuerſa illicita & vana euagatio, ſenſuum curioſitas, denique omnia omiſſionis & negligentiæ peccata quantum ad diuinum obſequium. 1.

2. Conſiderabo damna ex acedia manantia, quæ eſt vmbra mortis & inferno proxima: quòd ſcilicet animam conſolationibus cæleſtibus priuet, diſponatque, vt ſpirituum malignorum fiat habitaculum; quòd virtutum ſit cancer, bonorum operum tinea, conſcientiarum abſinthium; quòd denique animum, quem occuparit, diuexet, quòd multum aſſiduè laboret, & ne hilum proficiat, denique quòd apud inferos acerrimè ace-

diosi ac pigri puniendi sint.

3. Meditabor spirituale illius gaudium, qui omnem à se teporem & inertiam fugãs, virtutum operibus impigrè incumbit, quarũ vsus illi breui facilis redditur; quòd breuissimo tempore permultum lucretur, vti illi qui vltimâ diei horâ in vineã venêre; quòd item Deus feruore & promptitudine spiritus summoperè delectatur; è contra verò piger & languidus vomitum illi, ac nauseam creet, ob quam abiici mereatur.

MEDITATIO XXV.

AD VITIVM ALIQVOD CORrigendum, quando particulare circa illud examen instituitur.

E Meditationibus præcedentibus sumenda sunt puncta meditanda ad vitium aliquod ex anima euellendum. Primò considerandum, quale sit vitium, quænam eius fœditas, quàm animam sanctam dedeceat, quantum diuinæ maiestati displiceat, quàm proximo scandalosum. Secundò quoties in hoc inciderim, simul & causæ & occasiones eius lapsus excutiendæ. Tertiò quibus ipsum remediis conatus sum ab anima pellere, quæ documenta legerim vel audiuerim, quæ me ad ipsum superandum iuuent, vt eadem executioni mandem. Quartò quantum mihi nocuerit, quantum in me, tum in aliis experientia ipsa didici; item quomodo cælitus castigati sint, qui huic vitio succubuere. Deni-

Denique contrariæ virtutis excutienda pulchritudo, quantopere scilicet eam Christus tum exemplo tum verbis sanctis commendarit: quanti ab hominibus existimetur, quantamque pacem & tranquillitatem spiritus secum adferat. Vtile quoque fuerit, eodem modo & puncta aliquot particularia, quando aliquam obtinere virtutem volumus, meditari.

MEDITATIO XXVI.

CIRCA DECEM DEI *Præcepta.*

MEditabor decem præcepta, Prout eadem seruare debent, qui ad maiorem volunt perfectionem ascendere: vt non satis mihi sit omne peccatum mortale & veniale fugere, verùm etiam omne quod minùs perfectum est. Examinabo me circa hæc, iuxta statum & professionem meam, notans in quo deliquerim, & pro admissis veniam deprecabor. 1.

2. Euoluam maledictiones, quas legis suæ præuaricatoribus Deus interminatur, & eadem opera grauissima supplicia, quibus etiam in hac vita eos subiicit, vt è 27. & 28. Deuteronomij capitibus cernere erit. Cogitabo quoque, quibus quantoque grauioribus suppliciis in Religiosos Deus animaduertet, vitam perfectiorem profitentes, si eius mandata non seruent, ad quod ipsa eos professio & status obligat.

3. Perpendam benedictiones tam ſpirituales quàm corporales, quas conferre legis ſuæ obſeruatoribus Deus ſolet, vè capite 28. Deuteronomij & Pſalmo 18. fiet manifeſtum. Concludam ergo, quanti à nobis legem ſuam fieri Deus velit, adeò vt æquum ac rationi conſonum ſit, me eamdem reuereri & amplecti ex animo, cùm iuſta ſit ac ſancta, quò maladictiones plagaſque in præuaricatores conſtitutas euitent, & è contra benedictiones eiuſdem obſeruatoribus promiſſas obtineant; cùm æquiſſimum ſit, talem legem obſeruari, idque legislatoris, Dei inquam, intuitu, qui humanam naturam aſſumens, eamdem & quidem perfectiſſimè ſeruauit; denique ob legis eiuſdem erga ſe obſeruantes fidelitatem: per experientiam namque cognitum habeo, quàm bene meo in animo agatur, cùm officio fungor, quaque fruar mentis tranquillitate; è contra quantis angar perturbationibus, cùm ipſam tranſgredior. Quare cogitabo, nihil fore quod in hora mortis magis me conſoletur quàm mandata Dei ſeruaſſe, nihil quod cruciet magis, quàm eadem violaſſe. Expendam etiam & ruminabo verba illa Eccleſiaſtæ: *Deum time, & mandata eius ob-*
Cap. vlt. *ſerua. hoc eſt enim omnis homo*, id eſt, in hoc omne eſſe & perfectio hominis conſiſtit, ſi Dei præcepta ex animo ſeruet.

MEDITATIO XXVII.

CIRCA QVINQVE SENSVS, potentiasq; animæ externas.

PRimùm reuocanda ſunt in memoriam peccata, quæ quinque ſenſibus admiſi, ſingulos percurrendo, addendo item linguæ quin & immodeſtiæ & inordinati reliquorũ membrorum vſus commiſſa; quorum omnium conſideratione excitanda ſuiipſius confuſio, & venia à Deo petenda.

2. Grauia reuoluam dãna, quæ ex parua ſenſuum cuſtodia mihi prouenere. ſunt namque hi portæ & velut feneſtræ, per quas mors ingreditur, quæ mihi gratiæ vitam auferat; per hos quippe in animam ingrediuntur imagines & rerum viſarum figuræ, quæ imaginationem & memoriam ſexcentis diſtractionibus inquietant, & appetitus & cordis paſſiones commouent. Per haſce portas anima, velut altera Dina, egreditur ad in mundo diſcurrendum, ſecumque ſpiritum omnem deuotionis foras elicit: vt diſtractionum frequentia penitus areſcat, guſtus & ſenſus omnis in conſolationibus ſpiritualibus expers, vt ad ſe ipſa pòſt redire, cùm voluerit, nequeat. Hinc variis nos ſcriptura locis admonet, vt ſedulò ſenſus cuſtodiamus.

3. Meditabor bona, quæ è ſenſuum mortificatione proficiſcuntur. Nam præterquam quòd ſuperiora mala declinemus, ſpiritui orationis deuotioniſque ianuam aperimus,

eumque in animam introducimus. Libenter siquidem Deus in animabus sensuũ mortificationi assuetis, & vndique hortorum amœnorum more conclusis habitat; quando scilicet sensus ita mortificati nulli alij rei aditum dant, quàm ei, quæ animam viuificare potest. Porrò mortificatio illa exterior interioris virtutis est signum, ac proinde proximum ædificat, & Religionem condecorat, non secus ac vestibulum ac superbum propylæum domum illustrat, & prætereuntes ad spectandum cetera quæ introrsum latent allicit. Hinc Apostolus Philippenses admonet; *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Philip. 4.

Huic meditationi per colloquium cum Christo Iesu crucifixo finem inponam, mecum reputans, quomodo sensus eius quinque in cruce mortificati fuerint; ipsum obsecrans, eam vt mihi mortificationem concedat, quâ, quæ immodestia & parua mei custodia causantur mala, euitem, & iis quæ mortificatio hæc adfert bona, perfruar.

MEDITATIO XXVIII.

CIRCA INTERNAS ANIMÆ facultates

1. CONsideranda sunt vitia & peccata quæ ab intellectu originem trahũt, & damna quæ ab illis procedunt; ignorantia scilicet eorum quæ scire teneor, imprudentia, præcipitatio & defectus considerationis eorum quæ facere & dicere teneor, in dictis factil-

factisque proximi diiudicandis temeritas, inconstantia & nimia in eo quod facere decreueram bono mutabilitas, contumacia & pertinacia in proprio sensu & iudicio, astutia & prudentiâ carnis, in conceptibus vafrities & cautio; vana denique curiositas, scire dum volo ad me non spectantia. Circa septem hæc intellectus vitia si diligens examen instituam, valdè me reum inueniam, quocirca veniam deprecabor, meque accusabo & confundam.

2. Cogitanda sunt peccata quæ ex propria nascuntur voluntate, & detrimenta quæ incurri, quòd illam vsquequaque secutus sim. Nã voluntas propria est, quæ soli proprio palato gustuique satisfacere, reiectâ interim quacumque aliâ, siue Dei siue proximorum voluntate contendit. Ex hac velut radice pullulant peccata omnia, quæ in mundo committuntur. Hinc inobedientia generalis ad omnia quæ Deus, siue per seipsum, siue per suos ministros iubet, nascitur, intentionem rectam in bono peruertens & distorquens, quin & sibi quæcumque potest, vsurpans, non laborando, an in alterius id damnum vergat: ex quo innumeræ oriuntur iustitiæ; vnde D. Bernardus aiebat: *Cesset propria voluntas, & non erit infernus.* Quare hîc mecum repetam, quàm inordinatè vixerim hactenus, velle meum & appetitus sequendo, & quantopere à Deo horum veniam poscere tenear.

3. Repetam memoria peccata, quæ per imaginatiuam facultatem admisi, quæ instar aulæ est, in qua imagines variæ conspiciun-

ſpiciuntur, aliæ fœdæ, aliæ profanæ; hæ ridiculæ, illæ mõſtroſæ. Facultates porrò appetitiuæ ſunt inſtar maris turbatiſſimi, quod à paſsionum ventis, variorumque appetituum ſibi inuicem occurrentium fluctibus agitatur, amoris ſcilicet & odij, deſiderij & fugæ rei alicuius, gaudij & triſtitiæ, ſpei & deſperationis, audaciæ ac formidinis; quos motus vt plurimum ad malum aliquod, idque magnâ perturbatione applico; amo namque quod odiſſe deberem, &c. Hæ porrò paſsiones arma ſunt & laquei, quibus nos dæmon oppugnat & grauibus culpis illaqueat, vt ipſi hoſti potiſſima tradamus arma, quibus nos laceſſat, perſequatur ac deſtruat. Sunt prætere a velut animarum carnifices, quæ immortale bellum cum ipſis ineunt, nec pacem vllam indulgent. Qua-
Rom. 7. re cum Apoſtolo conditionem noſtram deplorare poſſumus, & dicere; *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ex hac conſideratione efficax & firmum concipiam propoſitum paſſiones has, & præſertim voluntatem propriam, mortificandi.

MEDITATIO XXIX.

DE HVMILITATE CHRISTI.

Philip 2. PRimò igitur cogitabis, quanta humilitate Dei filius, ſummus ille totius orbis Monarcha, è cælis in virgineum humilis virginis Mariæ vterum deſcenderit, atque ſeipſum exinanierit, formam ſerui accipiẽs.

Roga-

Rogabis proinde eundem illum Dominum, vt veram humilitatem donet, gratiamq; tibi infundat, quâ superbia omnis, inanis gloria, atque tui ipsius complacentia ex corde tuo radicitus euellantur; considerabisque tecum sæpenumerò, quot quantisque adhuc imperfectionibus sis obnoxius, quàm miserè in vitia quotidiè labaris, quàm denique parum hactenus in virtutibus promoueris.

Secundò considerabis, quantâ animi demissione à Ioanne Baptista se baptizari sit passus, haud aliter quàm si homo peccator fuisset, indigens purgatione aut expiatione; qui tamen Deus verus, & homo, ab omni prorsus sorde peccati immunis, ipse etiam Ioanni gratiam omnem qua præditus erat, contulerat. Tu igitur vermiculus cùm sis, creatoris tui exemplo, quibusuis qui te vel docent, vel hortantur, vel reprehendunt, subiicito, etiam si multò te sint & inferiores & imbecilliores.

Tertiò summam illam humilitatem perpende, quâ instante passionis tempore humanam suam exponens infirmitatem, animi sui tristitiam Apostolis declarauit, cùm diceret: Tristis est anima mea vsque ad mortem; cùm tamen ille ipse sit, qui vera lætitia tam eos qui in cælis quàm qui in terris degunt, perfundit. Disce igitur non nimium tibi fidere, neque in tentationibus (quæ vel exteriùs vel interiùs obueniunt) de teipso plus æquo præsumere, sed submissè de te sentiens, aliorum sana consilia non vereare & petere & amplecti.

Quartò cõsidera, quàm humiliter Christus

stus Dominus omnium potentissimus, veluti tamen homo ab omni auxilio destitutus, in terram se prostrauerit: Patremque suum, vt nostra expiaret crimina, illachrymans orauerit, & præ amoris magnitudine, sanguineum sudorē largiter emiserit. Eapropter etiam tu in quauis tribulatione & cordis angustia, humili oratione te ad Christum seruatorem conuertas, nihilque tibi amore illius indulgeas, te totum eius voluntati consecres.

Quintò intuere, quàm fuerit humilis illa resignatio, quâ voluntatem suam cælesti patri (cui tamen vt Deus æqualis erat) promptissimè obtulit, ita dicens: Non mea, sed tua voluntas fiat. Quamque non fuerit dedignatus angeli consolationem seu confortationem admittere, qui alioqui totius orbis est consolator, omnesq; in agone confortat. Igitur & tu profunda humilitate, Dei te voluntati submittas omnibus in rebus, quæ vel interiùs, vel exteriùs euenire possunt, magna cum fiducia consolationem cælestem expectans.

MEDITATIO XXX.

DE MANSVETVDINE CHRISTI.

PRimùm eam mansuetudinem diligenter expende, quâ innocens ille puerulus iam recèns natus, orbi se ostenderit, licet inimicissimo. Ora eundem ipsum, vt veram innocentiam & cordis mansuetudinem donare dignetur.

Secun-

Secundò cogita, quantâ mansuetudine, quantaque modestiâ cum Apostolis suis, licet imperitis ac simplicibus versatus sit, tam verbis quàm factis mansuetudinem omnem significans, quamque mansuetè Iudæorum captiosis & malignis quæstionibus responderit. Quocirca etiam tu summâ modestiâ animique mansuetudine cum omnibus versari discas, neque verbo, neque opere, vllum immodestiæ signum præbeas, quantumcumque tibi verbis aut factis aduersantur.

Tertiò, vide quàm mansuetè Iudam proditorem sit exosculatus, & se capiendum hostibus benignè obtulerit, omniaque corporis membra stringenda præbuerit. Proinde & tu mansuetè & amicè his omnibus occurras, qui te vel spernunt, vel ludibrio habent, quantumuis grauem tibi irrogauerint iniuriam.

Quartò, quâ sit vsus mansuetudine considera, dum coram impio Anna ita ligatus staret, quàm mansuetè ipsi insidiosè interroganti responderit, ac diram sit alapam perpessus. Quapropter etiam tu mansuetè feras, si quando tibi duriter respondeatur: etiam si rectè tibi, tuo quidem iudicio, aut fecisse, aut dixisse videaris.

Quintò, illam quoque mansuetudinem perpendes, quam in ædibus Caiphæ singularem exhibuit, in omnibus illis occultis pœnis ac illusionibus cùm videlicet facies illa suauissima (in quam desiderant Angeli prospicere) tam ignominiosè velaretur, alapis & colaphis crudeliter

cæderetur, & tam fœdè conſpueretur, aliiſq; id genus multis tormentis afficeretur, quæ nulli vnquam mortalium innotuerunt. Tu igitur diſcas manſuetè ferre quicquid moleſtiarum vel interiùs vel exteriùs occurret. Atque ſi occultè tibi quiſpiam moleſtus ſit, magnâ id æquabilitate, animi alacritate, hilarique vultu ſuſtineas, idque ob amorem amici Seruatoris, & dilectiſſimi animæ tuæ ſponſi Ieſu Chriſti Domini noſtri.

MEDITATIO XXXI.

DE PATIENTIA CHRISTI.

PRimò, diligenter aduerte ſingulare patientiæ exemplum, quod tibi in tenerrima illa ætate, nimirum in ſua circumciſione præbuerit, in qua pretioſum ſuum ſanguinem benignè pro nobis fundens, graui illo vulnere tenellus adhuc infantulus afflictus fuit. Idcirco in te vitia omnia, omnes prauas affectiones, omniaque mala deſideria circumcidere & amputare ſtude. Et vt Chriſtus legem ex animo perfecit, ita etiam ne ad latum vnguem à tibi præſcriptis viuendi legibus deflectas, quin potius ad eas temetipſum componas, licet id naturæ nonnunquam moleſtum videatur.

Secundò, cogita, quantâ patientiâ Iudæorum omnes iniquas perſecutiones tolerarit, *Ioan. 8.*
quando eum truculento vultu contuebantur, quando dæmonio obſeſſum dicebant; *Luc. 4.*
quando nunc lapididus eum obruere, nunc de monte præcipitare ſatagebant. Eſto & tu

ergo

ergo patiens in omnibus iis,quæ tibi occurrunt molestiis; atque æquabilem te præbeto, modestum & quietum in omnibus quæ obiiciuntur tibi vel impinguntur.

Tertiò contemplare, quanta fuerit eius patientia in domo Pilati, quando tot conficta mendacia & iniquas calumnias patientissimè sustinuit. Si quando itaque tibi falsum crimen obiicitur, aut quauis alia iniuria præter meritum afficeris, ita vt contemnaris, vilis vel etiam improbus habearis, tunc verbo illo Seruatoris te solare: Non est discipulus super magistrum suum, nec seruus maior domino suo. Et illo quod ad Pilatum *Ioan. 13.* dixit: Regnum meum non est de hoc mundo. Ac proinde nec hîc vllum quæras honorem.

Quartò, considerabis etiam, quàm patienti animo probra, iniurias atque irrisiones in domo Herodis perpessus sit, & quo pacto ad Pilatum non aliter atque stultus aliquis & delirus per plateas deductus, omnium risibus fuerit expositus, neque in his omnibus vel verbulum vnum respõderit, aut vllum impatientiæ signum exhibuerit. Sic tu quoque patienter taceas, etiamsi ob id simplex, rudis, vilis, imperitus ac stultus reputeris.

Quintò meditare, quantâ crudelitate Sponsus atque seruator animæ tuæ, columnæ alligatus, quantâ patientiâ durissima illa verbera propter te sustinuerit. Disce igitur etiam tu confusionem omnem, quocunque modo ea tibi acciderit, non solùm infracto animo tolerare, sed ob Christi amorem li-

bentet

benter illi teipsum subiicere. Disce omnem incommoditatem, dura verba, & quicquid tibi aduersi acciderit, æquanimiter sustinere. Disce nec verbera, si quæ Christi amore inferantur, refugere, memor tot tantarumq; plagarum, quas Redemptor tuus Christus amore tui accepit.

MEDITATIO XXXII.

DE OBEDIENTIA.

PRimò hîc de obedientia trium Regum cogitabis, qui statim visâ stellâ, regnis, diuitiis, patriaque relictis, ad exteras regiones profecti recèns natum regem inquisiuerunt, inuentumque oblatis muneribus prostrati in terra adorauerunt. Et tu igitur in primis summa diligentia internas inspirationes, & sancti Spiritus pias suggestiones obseruato: deinde sedulò quod admonent, perficito, Deoque voluntatem tuam in omnibus offerre studeto.

Secundò, ad Christi Domini tui attende obedientiam, quòd nulla in re sibi Christus pepercerit, vt Patris voluntatem perficeret in ieiuniis, in vigiliis, orationibus, concionibus, fatigationibus, quas pro conuertendis peccatoribus perpessus est. Quid multis? Adeo promptè Patri in omnibus obtemperauit, vt dicere sit solitus: Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei, &c. Neque tu igitur laborem vllum detractes, qui tibi ex obedientia obeundus est: nec vllis impendiis parcas, proximi saluti

saluti consulas, quantumuis id tibi molestum videatur.

Tertiò, obedientiam summam Christi Seruatoris admirare, quam non solùm Patri æterno ad mortem vsque crucis præstitit: verumetiam impiis tortoribus, quandò illis purpuram induentibus morem gerebat, iussus sedere obtemperabat, imponentibus coronam spineam, inclinabat caput, & arundinem contumeliosè oblatam, benignè suscipiebat, atque ita in cæteris quantumcunque duris & acerbis promptè obsequebatur. Libenter igitur tu quoque aliis obtempera in iis quæ salua & bona conscientia, ac citra peccatum vllum facere queas, & facilem ac promptum te illis exhibeas, qui operam tuam expetunt, in quocunque negotio, quantumuis etiam molesto.

Quartò, illam quoque non leuiter pertrāseas obedientiam, quâ ad præsidis Pilati iussionē ad populū ridendus ab omnibus, Rex gloriæ processit, ludicrâ illâ purpurâ indutus, spineâ coronâ redimitus, arundinē manibus gestans, totoq; corpore miserè dilaniatus. Quantâ hic confusione perfundebatur omniū ludibriis expositus, quamq; grauiter aures eius percutiebant crudeles illæ durissimęq; voces, quibus omnes illi acclamabant: Crucifige, crucifige eum. Esto igitur & tu obediens in toleranda quauis confusione & contumelia à quocumque, siue meritò, siue immeritò illata.

Quintò cogitabis, quantâ obedientiâ summus ille iudex viuorum & mortuorum, iniquam mortis sentētiam susceperit ab Ethni-

co & impio iudice. Ideò & tu Dei in primis, deinde maiorum tuorum voluntatem in omnibus lubens perficias, ad mortem vſq; obedire paratus eſto, nihil vana aliorum iudicia, nihil verba aliorum reueritus, à cœpto deſiſtas, aut inſyncerè quippiam agas, quin potius tibi perſuaſum habeas, hanc Dei eſſe voluntatem, nec quemquam in te vllam habere poteſtatem, quæ non ſit data deſuper.

MEDITATIO XXXIII.

DE AMABILI BENIGNItate Chriſti.

PRimò conſidera, quàm amabili Chriſtus benignitate in illius ſenis Simeonis vlnis præſentatus in templo requieuerit: precare ipſum, vt in vlnis animæ tuæ quieſcens, dulcedinem cordis tibi largiatur, & benignitatem amabilem, quâ cum omnibus hominibus ſuauiter & amanter verſeris.

Secundò benignitatem illam tecum expendas, quà ſimplicium diſcipulorum, adeóque ipſius proditoris Iudæ pedes, poſitis in terram genibus, & lauerit, & terſerit, & oſculatus ſit. Quâ etiam Apoſtolis & nobis omnibus in perpetuam ſuæ paſsionis, ſuæq; erga nos immenſæ charitatis memoriam, ſeipſum in ſacramento Euchariſtiæ dederit: quâ denique benignitate eoſdem ob diſceſſum paſsionemq́ue ſuam iam contriſtatos in extrema cœna conſolatus ſit. Da ergo operam, benignum & affabilem te exhibere omnibus hominibus, etiam ſi duro & alie-

no à

no à te animo esse videantur.

Tertiò considera, quàm benignè iugens peccatorum nostrorum pondus in se susceperit, ponderosam illam crucem in terram accliuis benignè portarit, quamque amicè ad mulieres conuersus, eas compellauerit, dicens: Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, &c. Proinde hilari ac benigno animo iugum Domini Seruatoris, sine obmurmuratione suspicito, neque vnquam tibi plus impositum esse causeris, quàm merueris, aut ferre queas. Præterea si quandoque aliquis operam tuam deposcat, non te morosum aut difficilem, sed benignum exhibeas; nec desidera, vt quis tibi compatiatur, quin potius tu aliis omnibus compatere ac subueni, quoad eius fieri poterit.

Quartò expende, quâ benignitate iamiam cruci affigendus, crudeles illos tortores iuuerit, dum illi vestes vulneribus inhærentes tam immaniter detraherent. Si itaque etiam tu benignus illis qui vitia tua, tuosque defectus tibi aperiunt, nec tantisper exspectes ea exuere, donec te necessitas compellat, aut quis te acriter vrgeat, sed ilicò vt aduertis quid alius in te reprehendere velit, non te excusa, verùm agnitâ culpâ tuâ, id omni conatu emendare contende.

Quintò considera, quàm benignè & amanter Saluator tuus, in crucem tam horrendè proiectus, extenderit brachia sua, diris clauis cruci affigenda: quamque benignè eos aspexerit, qui illũ tam crudeli ac ignominiosâ crucis morte afficiebant. Quocirca

tu quoque benignum blandumque atque amabilem vultum iis etiam omnibus præbeas, qui tibi vel maximè aduersantur: lætoque animo de manu Domini suscipito, quicquid aduersitatis occurrit. Et vires denique tuas omnes alacriter libenterque in Dei seruitium, fratrumque tuorum vtilitatem exponas.

MEDITATIO XXXIV.

DE INESTIMABILI, ARdentissimaq; charitate Christi Domini.

PRimò cogita diligenter, quantâ Christus Dominus accensus fuerit charitate, quando vt te hæredem constitueri regni Patris sui, profugus esse voluerit in terra aliena, furorem Herodis in summa paupertate infantulus adhuc tenerrimus cum matre declinans. Fugias igitur qualibet tentatione ingruente, in amabile cor Christi, eiusque aperta vulnera in iis ineffabilem eius bonitatem atque charitatem contemplare. E regione autem tuam abiectionem, malitiam & infidelitatem: vt ex tali consideratione superbus tuus, arrogansque animus deprimatur, & ad Deum redamandum inflammetur.

Secundò perpende etiam atque etiam quàm singulari dilectione omnes homines persequatur, dum cunctos quibuscunque premantur miseriis aut malis, amanter ad se inuitat, vt eos sublevatores recreet: Venite

(in-

(inquiens) ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tu itaque magna cum fiducia ad ipsum accede, quantumcunque te peccata grauent, sperans, si modò illi obtemperes, certò te liberatum iri. Atque etiam da operam, vt Dei amorem in temetipso experiare, qui efficiet, vt nihil tibi durum sit aut molestum, juxta illud D. Bernardi: *Amanti nihil est difficile.*

Tertiò, considera tecum seduló, quanta charitate animæ tuæ sponsus vires suas omnes tribus continuò horis, in ligno crucis suspensus exhauserit, atque ita planè sacratissimum eius corpus exaruerit, vt nihil in eo remanserit humoris. Tu ergo, vt tanto amori aliquid rependas, in eius seruitium nihil tibi parcas: sed in iis quæ grata illi fore cognoscis, libenter vires tuas omnes eius amore consumas. Cura autem seduló, ne eas in proprio tuo iudicio, atque voluntate & prauis concupiscentiis adimplendis expendas.

Quartò, quanto amore septem illa postrema verba cruci affixus protulerit; perpende. quibus ille nobis immensam charitatem, quam cordi inclusam tenebat, testatam reliquit. Esto igitur in verbis tuis Christi amore tam modestus atque maturus, tamque verax, humilis, & benignus, vt facilè quiuis animaduertere possit, te verum Dei timorem & amorem in corde gestare.

Quintò diligenter tecum animo versa, quã ineffabilis fuerit illa charitas, quâ Deus sũmus in maximis cordis angustiis, & totius mũdi opprobriis, pro te vilissimo vermiculo illam crucis acerbissimam mortem perpessus

 fuerit.

fuerit. Tu qui nihil dignum tanto amore referre potes, hoc tantùm conare, vt sensualem omnem affectionem in te mortifices, radices vitiorum euellas, atque ita te componas, vt mundo mortuus, soli Christo viuas, eique te totum dedas, qui etiam ad extremam vsque ignominiam, summosque cruciatus seipsum totum tibi impendit, quādo & sanguinem vniuersum in tuam vtilitatem profudit, & animam denique ipsam pro tua salute liberalissimè dedit.

MEDITATIO XXXV.

DE LIBERALITATE ET COMpassione Christi Seruatoris.

1. PRimò illam Liberalitatem expende, quâ seipsum puer duodecim annorum in templo manifestauit hominibus, declaraturus ob quam causam in hunc mundum venisset, nimirum vt cælestis sapientiæ ac diuinæ gratiæ suæ thesaurum liberaliter nobis communicaret. Semper igitur tibi ob oculos pone, qua de causa in hunc mundum veneris, videlicet non vt tua consecteris commoda, aut tibi plus æquo indulgeas, sed vt te potius deseras, te totum diuinæ voluntati & obsequio, proximorumque tuorum vtilitati offeras, atque aliorum commoda tuis præponas.

Secundò, vt summam Christus Seruator tuus liberalitatem omnibus exhibuit, aduerte. Aliquando enim in medio populi stans, ita clamabat: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat,*

bibat; paratum se ostendens omnibus omnium necessitatibus subuenire. Idcirco esto etiam tu erga omnes liberalis. Et si quando accidat vt opere illis succurrere nequeas, tunc verbis piis atque indiciis aliis exterioribus talem te aliis exhibeas, vt vel sic cordis tui liberalitatem declares.

Tertiò, considerato vt liberalissimè tibi cordis sui pretiosum sanguinem propinarit, quando sacro latere aperto, quicquid reliquum erat in corpore sanguinis profudit. Tu vicissim te illi gratum præbeas, atque ob eius amorē libentissimè in omnia, quæ etiam naturæ molesta sunt, effundas.

Quartò, de summis & internis sacratissimæ matris doloribus diligēter cogita; quantâ videlicet cordis tristitiâ toto illo passionis tempore affecta fuerit, quando oculis ipsa suis dilectissimum filium suum in cruce suffixum conspiciebat, quando in tantis eum angustiis videbat, & inter tantos cruciatus morientem cernebat; quando denique post mortem sinu suo eum complexa, omnia eius vulnera maximo animi mœrore contemplans lachrymis irrigabat. Ac proinde tu de sponsi tui passione sæpiùs cogitans, sedulò eam mente reuolues. Chresto eiusque benedictæ matri compatere, dolorē aliquē in te excitās quod tam ingentes cruciatus in gratiā tui Seruator Christus fuerit perpessus. Geras te interim apud omnes modestum atque maturum, citra vllam animi vacillationem ac dubitationem, tam in aduersis quàm prosperis, ac iis omnibus, quæ vel lætitiam vel mœrorem adferre possunt.

Quintò denique perpendas, quanto dolore matris ac aliorum piorum hominum Christus Dei filius sepultus sit. Tu igitur dabis operam, Christi Domini tui passionem in corde gestare, eamque sæpiùs mente reuoluere. Præterea conscientiæ tuæ sepulchrum frequenter vel à contritione ac oris confessione purgare. Denique voluntariè ac liberali animo in memoriam passionis Christi pœnitentiam peccatis debitam exoluere. Omnia in laudem Seruatoris nostri Iesu Christi, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat Deus in secula benedictus, Amen.

OCTO MEDITATIONES DE VOTIS RELIGIOSORVM.

E Enchiridio R.P. Ioan. Busæi.

MEDITATIO XXXVI.

De præstantia votorum.

1. COnsidera, vouere religiosi non esse aliud, quàm relicto sæculo, se totum diuino seruitio dedere, & ad perpetuam paupertatem, castitatem & obedientiam, in religione approbata obligare: his enim tribus virtutibus remouemus omnia impedimenta perueniendi ad vitæ Christianæ perfectionem,

quæ eſt religioſæ vitæ finis. *Quicquid* namque *eſt in mundo*, vel ſæculo, 1. Ioan. 2. *aut eſt concupiſcentia carnis*, quæ tollitur caſtitate; *aut conrupiſcentia oculorum*, quæ paupertate; *aut ſuperbia vitæ*, quæ tollitur obedientia & ſubiectione. 2. Conſidera horum votorum præſtantiam inde liquere, quod nobiliſſima ſint; 1. quia fiunt Deo omnis nobilitatis auctori, & in diuinæ eius maieſtatis gloriam; 2. quia iis ſe obligat voluntas noſtra, quæ inter animæ facultates tenet principatum; 3. quia vouere eſt actus religionis inter omnes morales virtutes nobiliſſimus. Vnde B. Auguſtinus lib. de virgin. dicit; Virginitatem, non quia virginitas eſt, ſed quia per votum Deo dedicata eſt, honorari; 4. quia ſicut vita corporalis pendet ex corde, tamquam à principio: ſic vita religioſa, & eſſe religioſum pendet ab horum trium votorum obligatione.

2. Conſidera, hanc votorum obligationem Deo eſſe gratiſſimam; 1. quia illis quaſi tribus clauis voluntariè religioſus ſe affigit cruci amore Dei, non per tres horas tantùm, aut dies, ſed per totam vitam: Chriſtus latronem in cruce ſecum pendentem ad breue tempus & pauca pia eloquentem, ſtatim fecit paradiſi hæredem; quid ergo faciet tota vita pendenti; 2. quia illis ſe totum offert Deo in holocauſtum, teſte B. Greg. hom. 12. in Ezech. Sæcularis homo benè agens tantùm fructus dat Domino Deo: at religioſus dat arborem cum fructibus, idque in æternum, quia abrenuntiat ſeculo, & ſe totum dedicat diuino ſeruitio;

5. quia perfectissimo modo se donat Deo, vt nullum sibi ius & imperiũ retineat, paratus Deo parere, & superiori eius vicem tenenti quacumque in re, quando, vbi, & quantum libuerit. Et ideo sine sacrilegio, si religiosus sis, non potes amplius voluntate & iudicio tuo vti, quomodo & vbi libet, sed tantum ad arbitrium Dei, cui es consecratus.

3. Considera, cùm religiosi inter omnes Dei seruos sint nobilissimi, vtpote ad perfectionem vitæ sanctæ semper contendentes, iuxta illud monitum Christi, Matth. 6. & 16. *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* & illud: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, &c.* prorsus conuenit, vt spondeant in tribus illis virtutibus, se ducem suum & Imperatorem Christum imitaturos. Quid enim pauperius, castius, obedientius Christo? 2. Perpende, cùm tam nobilis sit religionis status, debere etiam à religioso non vulgaria, sed heroica opera exerceri, votis congruentia. Vt ratione paupertatis ita contemnere opes, vt nec obulum proprium habere velit, & si opus sit, aut regula postulet, vili habitu incedere, & necessaria ostiatim emendicare. Ratione castitatis, virginitatem seruare intactam, nec vili turpi cogitationi locum dare, nedum verbis aut factis. Ratione obedientiæ non solùm voluntatem, sed etiam iudicium in parendo superioribus quibuslibet in quauis re submittere. Talis enim obidientia gratior est Deo omnibus victimis, & holocaustis.

MEDITATIO XXXVII.

De vtilitate votorum.

CONsidera, ſicut arbor, quo altiùs humi radices fixerit, & vitis, quo rectiùs ſtipiti alligata eſt, hoc meliores producere fructus: ſic voluntatē humanā, quo plus firmata fuerit in bono, hoc præſtantiora opera producere. Vota autē voluntatē in bono opere imprimis reddunt firmiorē, ac proinde & opera eius ſunt Deo gratiora, & amplioris præmij meritoria, haud ſecus quàm opus paruum à voluntate peruerſa & obſtinata profectum, deteſtabilius eſt aliis malis operibus & grauioris pœnæ meritorium. Secundò perpende, etiamſi religioſus per vota ſibi imponit neceſſitatem ſeruandi caſtitatem, & alia; non tamen ideo tollere ſibi libertatem & meritum, quia illa neceſſitas non à natura, ſed à voluntaria promiſſione profecta eſt: & ideo D. Auguſtinus vocat illam neceſſitatem felicem, quæ ad meliora compellat: facit enim opus voluntatis perfectius & magis meritorium. Angeli ſiquidem naturâ ſunt liberiores homine; & tamen eo beatiores ſunt, quo minus poſſunt vel ad momentum faciem ſuam à diuinæ maieſtatis conſpectu auertere. 1.

2. Conſidera, proculdubio homini vtiliſſimum fore, ſi Domino vniuerſitatis arctiſſimè eſſet coniunctus: atqui religioſus per votorum vincula arctiſſimè alligatur

Christo, ac proinde & Christus vicissim ipsi. *Qui autem adhæret Deo, vnus spiritus est*, inquit Apostolus 1. Cor 6. Si autem vnus spiritus est, quomodo non est particeps donorum, beneficiorumque eius spiritualium? an potest aliquis os appositum habere fonti, & non bibere, manus igni admouere, & non calefieri? 2. Perpende, cùm per vota nos totos Deo dedicemus, & à Deo possideri incipiamus, fieríque filij Dei, & hæredes Christi, fieri non posse quin nobis benefaciat, cùm non tam nobis, quàm sibi hoc beneficium debeat.

3. Considera, bona omnia opera ex voto facta plus mereri apud Dominum Deum, quàm quæ non sunt ex voto facta; 1. quia fiunt ex affectione maiori: maior enim est affectio eius qui ita quippiam vult, vt sibi fas non sit aliud velle quàm eius qui vult tãtum aliud, sic tamen vt liceat contrarium. 2. quia ex duplici virtute procedunt. qui enim amore Dei seruat castitatem, vnam tantùm exercet virtutem, nempè continentiam: qui verò seruat castitatem ex voto, exercet duas, continentiam & religionem. 3. Quisquis vouet, vel vouet, vt emittat votum, & obliget se Deo, vel vt posteà teneatur reddere quod vouit. Ratione vtriusque autem maximum sequitur meritum. Primi quidem, quia maximè volũtaria est actio: sic enim vult, vt non possit reuocare ipsum velle. Secundi verò, quia velle reddere est actus latriæ, qui est actus nobilissimus.

MEDITATIO XXXVIII.

De præstantia paupertatis Religiosæ.

COnsidera paupertatem Euangelicam, qua Religiosus diuitias omnes, ipsosque auri montes quasi stercora, vt ait Paulus Phil. 1. abominatur, idque propter Dei amorem, spemque vitæ æternæ, omnibus virtutibus eminere & esse, vt Ambrosius loquitur lib. 5. in Lucam, *ordine primam, & quasi aliorum virtutum parentem.* Religiosus enim dum vouet illam, non solùm omnibus facultatibus se exuit, & nudus nudum sequitur Christum, sed in eo statu se ponit, vt nihil proprij habere possit. Vnde Cassianus lib. 4. c. 13. dicit magnum crimen fuisse, si monachus dixisset; *Codex meus, tunica mea.* Quare & Christus, Matth. 5. inter octo beatitudines, id est, virtutes, quæ hominem in hac vita beatum faciunt, paupertati principem locum dedit, eidemque summum præmium attribuit. *Beati*, inquiens, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* 1°

2 Considera, præstantiam eius maximè sumi ab exemplo filij Dei, qui, vt ait Apostolus, cùm diues esset, factus est pro nobis egenus, & ita egenus, vt dixerit Matth. 8 *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius verò Dei non habet, vbi caput suum reclinet.* Vnde nec in domo, sed in stabulo, eoque alieno nasci voluit;

& licet in manu haberet omnes fines terræ, aliorum eleemosynis viuere, & stipem mendicando quærere, pauperem habere matrem & patrem, nempe fabrum, pauperes item discipulos: in paupertate demum & nuditate vitam claudere Hunc sanè statum, nisi sapientiâ Dei se dignum cognouisset, non assumpsisset, nisi sciuisset paupertatem esse gemmam pretiosissimam, licet mundo vilissimam: non ad eam quærendam de cœlo descendisset, non per pauperes & nudos piscatores tanta miracula fecisset, & totum mundum conuertisset. Certè aut mundus errat magnifacere pergens opes & diuitias, aut Deus eas contemnens: at impossibile est Deum errare: ergo turpissimè errat mundus.

3. Considera ex iudicio mundi liquere eius præstantiam. Si enim quis ex paupere repentè fiat diues, mundus non admodum miratur: at contrà, si quis ex diuite & copioso sponte fiat pauper, & omnia deserat, agros, vineas, vrbes, summopere miratur, eò quòd nihil putet diuitiis esse nobilius, nihil abiectius inopiâ. Secundò, perpende sedulò, an reuera mundus possit cum opibus, omnibusque delitiis suis ita exsaturare cor humanum, vt acquiescat? Non certè, quia mundi sectatores quo plus habent, hoc amplius habere desiderant, & cùm satiari nequeant partis, ad veram animi quietem nunquam perueniunt. At religiosus, qui neque proprium quicquam habet, neque habere desiderat, victu & amictu modico contentus viuit, eoque similior.

lior est beatis in cœlo: vt enim hi sua gloria omnes contenti in cœlo viuunt, sic ille paupertate religiosa contentus degit in terra; & ideo fortasse à Christo Matth. 5. dictum est, pauperum spiritu, non futurum, sed iam esse regnum cœlorum.

MEDITATIO XXXIX.

De vtilitate religiosæ paupertatis.

COnsidera mirabiles eius vtilitates: nam primò tollit superbiam, & alia multa vitia, quæ homines occasione opum committunt, vel potentiæ, quæ opes comitatur. 2. Valet ad peccata præterita expianda & delenda. 3. Hominem inutili rerum terrenarum solicitudine liberat. 4. Virtutes ferè omnes inducit, vt temperantiam, modestiam, & maximè humilitatem, quæ est eius velut germana soror. 5. Auellit animum ab amore huius mundi, omniumque eius voluptatum, & transfert in amorem rerum cœlestium, vt dicat Heb. 13. *Non habemus hic ciuitatem, sed futuram, quæ in cœlo est, inquirimus.* 6. Hominem perfectum reddit in hac vita, iuxta illud Mat. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia,* & capacem magni thesauri in cælo, vt ibidem additur; *& habebis thesaurum in cœlo.* 1.

2. Considera, qui religiosus voto paupertatis, se & quicquid in mundo habere potuit, tradit Deo, & ne aliquando tergiuersari queat, voti vinculo, se ad paupertatem

tatem obſtringit, Deum viciſsim ſe illi conſecrare, & omnia ad vitam neceſſaria ſpondere, ſicut olim in perſona Aaronis Num. 18. ſe facturum recepit, cùm dixit ſe partem & hæreditatem eius fore, intelligens in hoc typo omnes religioſos. Nam ſi volucres tanto ſtudio neceſſarium victum ſuis pullis conquirunt, non putandum eſt creatorem volucrum & hominum, ac proprium religioſorum Patrem, ſuorum religioſorum filiorum, qui in cœnobiis, velut auiculæ in nidis cibum quotidianum præſtolantur, obliuiſci. Non credendum eſt, veſte neceſſaria deſtiturum eos, qui propter ipſum omnibus corporis commodis ſe exuerunt, nihil retinentes proprium. Itaq; ſi tu non deſis Deo, nec Deus deerit tibi.

3. Conſidera, etiamſi religioſus nihil proprium ſibi vendicet, omnia tamen neceſſaria ad victum, amictum & habitationem, vt cura ſit ſolutior, aliorum ſtudio obtinere, vt verum ſit illud Apoſtoli in eo; *Nihil habentes, & omnia poſsidentes*. 2. Si aliò iter inſtituat, omnes eiuſdem ordinis fratres, licet ignoto, omnia charitatis officia deferunt, eo ſolum nomine, quòd audiant eiuſdem eſſe matris, id eſt, religionis filium; & experitur verum eſſe promiſſum Chriſti de centuplo in hac vita; quia centum, imò mille domos reperit pro vna, ſuâ etiam meliores. 3. Cibus & potus, etſi moderata ſint, tamen ex amore ei paratur, & ad menſam à ſeruis Dei defertur. Quidquid apponitur, edit & bibit omni ſuſpicione ſeclusâ;

clusâ, quod nullus poteſt Princeps. 4. In ſenecta maiori in reuerentia habetur, & tractatur, licet laborare non queat; commodius perpenditur enim, non quid præſtet, ſed olim præſtiterit. 5. In ægritudine maiori ſtudio & amore ei ſeruitur, quàm dominis ſecularibus. Medici præſcripta ibi accuratè ſeruantur, ſi periculum vitæ ſit, tempeſtiuè monetur, & ſacramentis munitur, noctu diuque præſtò adſunt cuſtodes & munitores, omnium fratrum precibus commendatur, ac tandem ſeptus orantium corona cum indulgentia plenaria Ordini conceſſa in morte, ad cœlum tranſmittitur.

MEDITATIO XL.

De præſtantia Religioſæ caſtitatis.

Conſidera primam eius excellentiam eſſe, quòd hominem, quoad fieri poteſt, reſtituat in priori ſtatui, in quo conditus eſt, eaque puritate ornet, qua claruit in paradiſo terreſtri, hoc eſt, vt caro obſequatur ſpiritui, nec quidquam homo turpe opere, verbo, vel cogitatione deſignet, & pars inferior, quæ dicitur ſentiens, non obſtrepat ſuperiori, hoc eſt, rationi. Secunda eſt, quòd reddat ſecundùm omnes SS. Patres, ſimillimum angelis, eo quod carnis vinculis alligatum eſſe, & non ſecundùm carnem viuere, ſed ſecundùm ſpiritum reputent non humanum, ſed angelicum. Immò S. Bernardus & S. Chryſoſtomus audent 1.

dent affirmare aliqua ex parte maiorem esse laudem hominis casti, quàm Angeli. huius siquidem castitatem esse feliciorem quidem, sed illius fortiorem; huius naturalem quasi & necessariam, illius verò liberam & voluntariam.

2. Considera & tertiam excellentiam, quòd hominem religiosum, vt vult S. Basilius, & Climachus, Deo reddat simillimum, quantum quidem fas sit homini. Deus enim natura incorporeus est, incorruptibilis & purissimus: cùm ergo anima ipsa natura incorruptibilis & pura ipsum corpus ad eandem puritatem & integritatem per castitatem attrahere conetur, non aliud facit, quàm quòd similitudinem Dei incorruptibilis in se, velut in speculo mundissimo exprimat, & hominem quasi diuinum faciat, in carne carnis quasi expertem. 2. Nota hoc bonum tantum, tam fuisse à natura humana desideratum, vt antiquus serpens in paradiso nihil aptius repererit ad primos parentes illiciendos, quàm promittendo Gen. 3. *Eritis sicut dij*. Sed quod falsò promissum est ab eo, qui præstare non poterat, & ea via qua præstari non poterat, hoc per castitatem religiosus verè tenet & possidet: eoque perfectius, quo eius castitas est perfectior aliorum, vt coniugum, viduarum & virginum castitate.

3. Considera quartam excellentiam eius esse, quòd hæc castitas inter eximia Dei dona, quæ non humanâ, sed diuinâ tantùm virtute nobis contingunt, numeratur.

Vnde

Vnde Sapiens c.8. *Sciui*, inquit, *quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det.* Vnde SS. Patres docent illam virtutem supra naturam, & supra omnem legem, & ideo neque in veteri, neque in noua lege imperatam. Excellentia autem huius virtutis nascitur ex summa difficultate, quam anima hominis habet in coërcendis & frangēdis importunis hostis duplicis insultibus, domestici videlicet, id est carnis, quæ continuò noctu diuque pugnat aduersus spiritum, & pugnabit vsque in finem vitæ. deinde externi, id est, dæmonis, qui nullo alio peccato plus gaudere dicitur, secundùm quosdam, quàm impudicitiæ, ob quam pugnam exclamat Apostolus Rom.7. *Infelix ego homo. quis me liberabit de corpore mortis huius?*

MEDITATIO XLI.

De vtilitate religiosæ castitatis.

CONsidera eo nomine religioso vtilissimam esse, quod eius beneficio infinitis liberetur molestiis: & primò quidem carnis, quæ vbi vel minimum obtinet imperium, etiam sapientes, vt liquet in Salomone, in barathrum vitiorum præcipites agit. Deinde familiæ gubernandæ, quæ tantas sæpè difficultates adiunctas habet, vt redigant ad desperationem. Patrifamilias enim incumbit curanda vxor, liberorum educatio, collocatio filiarum, necessariarum rerum procuratio, vt famuli & 1.

ancillæ officio suo fungantur, vt omnes probi sint & pij. Taceo varia incommoda, & infaustos casus, qui quotidie vel vxoris proteruæ, & litigiosæ, vel liberorum inobedientium, vel cognatorum litigantium causa incidunt. Religiosus autem velut cæli ciuis sua vocatione contentus aliis necessaria ei curantibus, tantum suæ saluti procurandæ vacat.

2. Considera, si quis noctu diuque cum immani fera commoraretur, eum in luculento vitæ discrimine futurum, ne aut morsu, aut veneno conficeretur, nisi os ei occludere possit, ne morderet, aut virus effunderet. Scias ergo feram nullam ferociorem, aut virulentiorem esse carne nostra, cum qua quoniam continenter versari cogimur, non dubium est quin anima nostra in magno versetur periculo. At ab hoc periculo eam vindicat castitas; nam concupiscentiam eius, quæ est os belluæ, vinculo voti astringens, facit vt mordere vel venena fundere non possit. Secundò, perpende castitatem beneficio religionis, & aliis præsidiis munitam, vt fortius crucifigere per eam possit religiosus carnem cum concupiscentiis, ac etiam omnia mundi & dæmonum tela ignea ad eandem inflammandam coniici solita auertere: per votum enim paupertatis omnes rescissæ sunt illecebræ & voluptates, per obedientiam omnis conuersatio cum mundo, mundanisque hominibus: facile autem est tueri castitatem inter castos.

3. Considera, castitatem religioso non
solùm

ſolum perutilem, ſed etiam præ ceteris virtutibus maximè eſſe neceſſariam; nullo enim vitio bona Religioſorum fama procliuius obſcuratur, quàm ſi contra caſtitatem vel minimum delinquant. Sit religioſus aliquis paulo tenacior, & iracundior, ſit animo plus æquo elatior, ſit purior & aſperior, nondum ſanctitatis & pietatis iacturam apud homines facit, ſed ſi ſiniſtri quippiam audiatur de caſtitate, mox famam obſcurat, quia non poteſt eſſe ſanctitas, vbi eſt incontinentia, non poteſt eſſe Dei ſpiritus, vbi dominatur caro. Cuius ratio eſt, quod alia vitia facilè excuſantur: vel quod proueniant à complexione naturali, vt iracundia, vel quod bono fine acciderint, vt parcitas, vel aſperitas. Deinde ratione caſtitatis religioſi habentur puriſſimi, & ſpeculum virtutum omnium; in puro autem ſpeculo facilè apparet macula.

MEDITATIO XLII.

De præſtantia religioſæ obidientiæ.

Conſidera præſtantiam eius poſſe cognoſci ex iudicio & exemplo Chriſti Domini: quicquid enim in hac vita egit, 1.
quicquid dixit, etſi ex omnium aliarum virtutum fontibus flueret, huic tamen ferè adſcribitur. Ipſe teſtatur ſe de cœlo deſcendiſſe, non vt ſuam, ſed Patris faceret voluntatem, Ioan. 6. Apoſtolus quoque vitam eius totam, mortem, & mortis genus ad vnam
obe-

obedientiam refert. *Factus*, inquit Phil.2. *obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Et S. Bern.ser.46. in Cant. scribit, eum mori maluisse, quàm non obedire. Ratio huius est, quia per obedientiam voluntas nostra, sensusque omnis cum Deo arctissimè coniungitur; in qua coniunctione omnis hominum perfectio, & angelorum consistit. Imò nullæ virtutes, adeoque ipsum martyrium alicuius sunt pretij vel meriti, nisi ad Dei voluntatem exequendam referantur.

2. Considera in hanc virtutem omnes fere virtutes concurrere, quasi ad pulchrũ opus ex pluribus gẽmis cocinnandũ. Nemo enim se alteri homini in omnibus subijcit, nisi magno Dei amore ardeat, multa item fide in eum & fiducia subnixus, deinde profunda humilitate, patientia, fortitudine, & constantia præstans. Deinde nihil æquè eius dignitatem ostendit, ac materia ei subiecta, quæ triplex est. Prima est executio omnium operum externorum, quæ à superiore imperantur. 2. Est mactatio propriæ voluntatis, vt vocat B. Gregorius; obediens enim non suam, sed superioris quærit facere voluntatem. 3. Abnegatio proprij iudicij, obediens enim id rectum & honestum iudicat, quicquid superior præscripserit, modo non repugnet legi diuinæ. Quid autem præstantius homo habet, voluntate & ratione?

3. Considera Spiritum sanctum in diuinis litteris obedientiam anteferre victimis & holocaustis, *Melior est obedientia*, inquit 1.Reg.15. *quàm victima; & auscul-*

tare magis, quàm offerre adipem arietum. Nec mirum, quia per victimas aliena caro mactatur, inquit Gregorius; per obedientiam verò propria voluntas, & libertas, quâ nihil pluris in mundo æstimatur. Deinde si magni facis paupertatem & castitatem, pluris certè teneris facere obedientiam: paupertatis enim voto tantum obtulisti Deo bona externa, castitatis tantum bona & commoda corporis: at obedientiæ verò interna animi bona, quæ longè præstant corporis fortunæque bonis. Denique nullæ maiores victoriæ obtinentur in bello spiritali, quàm per obedientiam. *Homo obediens*, ait Salomon Prou. 21. *loquitur victorias.* Cuius causa est, quia dum sponte se subiicit alieno imperio, vincit se ipsum. *Qui dominatur animo suo*, ait idem Prou. 16. *fortior est expugnatore vrbium.* Quæ victoria tanto illustrior est, quanto difficiliori certamine, nempe contra naturam, obtinetur.

MEDITATIO XLIII.

De vtilitate religiosæ obedientiæ.

COnsidera ex præstantia obedientiæ deriuari magnitudinem meriti, & copiam fructuum. Nam obedientiæ beneficio non solum omnia bona religiosi opera meliora fiunt, sed etiam quæ per se nullius sunt meriti, fiunt Deo grata & meritoria; vt ex obedientia comedere, ambulare ani-

animi gratia, cubitum ire. Itaque rectè cõparatur obedientia virgulæ diuinæ, quæ omnia suo contactu in aurum conuertit. Copia frúctuum autem inde liquet, quod teste Gregorio 35. moral. c. 10. *sola virtus sit obedientia, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit.* Cùm enim Deus non patiatur se vinci à nobis officiis, consequens est, vt qui se suáque omnia à Deo donauit per obedientiam, eidem ipse vicissim se, suáque dona spiritualia donet. Custodit autem alias virtutes, contra insidias dæmonum, quia nihil sibi confidit, nihil sibi tribuit, sed se suáque Dei manibus quasi deposita committit, ex quibus nemo quicquam rapere potest. *Ioan.* 10.

2. Considera, quòd obedientia religiosũ eximat ab innumeris molestiis & curis, quas quotidie experiuntur, qui in sæculo suo arbitratu viuunt: Obediens enim omnium rerum suarum curam in humeros aliorũ coniicit, & quasi infans aliorum vlnis se gestari sinit, ac denique quasi dormiendo iter ad cœleste regnum facit. Superioris enim muneri incumbit, ei omnia necessaria tam in temporalibus, quàm in spiritualibus suo tempore, loco, & ordine prouidere. Ille patris & matris, magistri, ducis & procuratoris vices subit. vnde rectè Climacus gradu. 4 *Obedientia,* inquit, *est perfecta abnegatio propriæ animæ & corporis mors voluntaria, vita sine solicitudine, nauigatio sine damno, sepultura voluntatis, est iter facere dormiendo, sub onere aliis imposito, & super aliorum vlnas, ne mergaris, natare.*

3. Con-

3. Confidera, quàm grata ſit Deo obedientia, & contrà, quàm inobidientia ingrata. Primum patet exemplo Abrahæ, cuius obedientia ſimplex fecit, vt non ſolum ipſe, eiuſque familia tota, ſed omnes mundi gentes benedictæ ſint in eius ſemine, ex quo natus eſt qui ſua obedientia portas cœli ob inobedientiam concluſas patefecit, ſic vt verè dici queat, omnia dona cœleſtia, gratiaſque & virtutes eſſe obedientiæ fructus. Alterum liquet ex inobedientis Adami primi parentis exitu; ille enim non ſolùm ipſe è paradiſo terreſtri exulare coactus eſt, verùm etiam cum tota generis humani poſteritate maledictioni factus eſt obnoxius. Omnes enim huius mundi curæ, anxietates, labores, morbi, fames, ſitis, egeſtas, bella, dolores partus, mors, omnis generis peccata ſunt huius inobedientiæ effectus & pœnæ; quæ expiari, delerique non potuerunt, niſi ſecundus Adam Chriſtus Ieſus factus obediens vſque ad mortem ignominioſiſſimam crucis illas ſuſtuliſſet.

ME-

MEDITATIONES DE BENEFICIIS DIVINIS ex eodem Busæi Enchiridio.

MEDITATIO XLIV.

De beneficio creationis.

1. COnſidera opus ipſum, quid ab æterno vſque ad diem conceptionis tuæ in vtero matris fueris, nempe putum purumque nihil, quod qualibet creatura etiam minima & viliſſima vilius eſt. Secundò, cùm nihil referret te eſſe aut non eſſe, Deum ex mero amore tui te creaſſe, & totum tibi dediſſe quod es. 3. Cùm Deus potuerit te aliud facere quàm hominem, vt beſtiam, lapidem, vermiculum, feciſſe te creaturam rationalem, omnium aliarum corporalium dominam. 4. Hominẽ non ſtultum, cœcum, claudum, leproſum, ſed ſanis & integris membris. 5. Ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Ad imaginem quidem, quia intellectu, voluntate & memoriâ præditum. Ad ſimilitudinem verò, quia omnium virtutum pulcherrimarum capacem, quæ ſunt quidam diuinæ naturæ quaſi characteres.

2. Conſidera tuæ creationis finem, qui eſt vt viciſſim Deum creatorem ex toto corde, tota anima, & tota mente, & omnibus viribus tuis ames, quia totum te, quantus

es,

es, creauit. Si enim parentibus, secundùm Aristotelem, non possumus reddere æquiualens, qui corpus genuerunt, quomodo poterimus Deo, qui totum hominem condidit? 2. Vt omni humilitate & pietate Deo seruias, obsequendo eius, & Ecclesiæ sponsæ suæ mandatis. 3. Vt eum ob beneficia præstita, maximè autem creationis perpetuò colas, laudes & glorifices. Si enim in veteri testamento vix vllum beneficium populo Israelitico contulit, quod non voluerit anniuersari, & solemni recoli memoriâ, quid non exiget à nobis pro hoc beneficio creationis immenso nobis præstito, quo non solùm ad imaginem suam nos condidit, sed animam immortalem impertijt, vt immortalibus aliquando bonis frueretur? Vnde rectè quidam sanctus concludit, hominem non toties respirare, quoties tenetur Dei sui recordari. Sicut enim ipse semper est, ita debere Deo semper gratias agere pro immortali esse quod ab eo accepit. 4. Vt postquam dicta in hac vita præstiteris, tandem felicitatis æternæ cum Deo particeps efficiaris, quo nullum maius bonum excogitari potest.

3. Considera finem creationis aliarum creaturarum corporalium, qui est vt nobis seruiant, & auxilio sint ad consequendum finem nostrum. Creauit enim Deus cœlos, solem, lunam, & stellas, ac elementa, vt nobis ad distinctionem dierum & noctium vsui essent, vt suo influxu hæc inferiora pro nostra necessitate afficerent. Deinde varia animalium genera, alia ad subleuandos

labo-

labores, alia ad præstandum victum & amictum, alia ad recreationem, aliosque vsus quotidianos. Similiter Deus aliis omnibus donis suis naturalibus & supernaturalibus nobis concessis, vt ingenio, prudentiæ, fortitudini corporis, sanitati, doctrinæ, diuitiis, honoribus, &c. hunc finem præstituit, vt seruiant nobis ad salutem. Et ideò si non seruiant, contraria potius nobis esse optanda & eligenda, vt ægritudinem potiùs quàm sanitatem, mortem quàm longam vitam, paupertatem quàm diuitias, religiosam vitam potiùs, quàm sæcularem.

MEDITATIO XLV.

De beneficio conseruationis.

1. CONsidera Deum, postquã te fecit, etiam conseruare & gubernare, quod non est minus beneficium priore. Illud enim semel tantum tibi factum est; hoc autem semper repetitur. Quotidie enim Dominus quodãmodo te creat, quia semper conseruat, quem semel creauit: nec minor vel potentia, vel amor requiritur, in vno, quàm in altero. Si igitur multum illi debes, quia subitò te creauit, plus debebis, quod iugiter te conseruet. Quotquot enim temporis momenta habuit, & habet, & habebit vita tua, tot partes sunt istius beneficij, quia nec in vno illorum subsistere potuisses, si Deus oculos suos à te auertisset.

2. Considera Deum omnia alia bona mũdi condidisse, vt iuuarent ad tui conserua-

tionem

tionem & gubernationem, ac imprimis Angelos ipſos qui aſſiſtunt ſemper ante faciem eius. *Omnes enim*,teſte B. Paulo Heb. 1. *ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Idem dicendum eſt de omnibus aliis creaturis corporeis totius mundi, quæ diriguntur à Deo in hunc finem, vt hominem in ſuo eſſe conſeruent, cœlum cum planetis, aër cum auibus, mare & flumina cum piſcibus, terra cum beſtiis, fructibus, floribus, coloribus & odoribus. quod mirabatur Propheta Pſal. 8. dicens: *Quid eſt homo,* Domine, *quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius: oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi.*

3. Conſidera, ſicut omnia bona ſunt noſtra beneficia, ſic etiam omnia mala eſſe noſtra beneficia, quia ab illis Deus nos conſeruauit. Alios enim videmus affligi calculo, alios podagra, alios lepra, alios epilepſia, aliiſve morbis. Mundus enim hic nihil aliud eſt, quàm infinitarum ærumnarum, & laborum pelagus, nec in ea vel vna domus inuenitur, in qua non ſit aliqua calamitas. Itaque ſi ab his liber & immunis ſis, eſt quod Deo pro tanto beneficio gratias agas. Cùm enim omnia mala, aut ex natura, aut culpa oriantur, & in te vtraque cauſa adſit, cur non ſimiles in te exiſtunt effectus? quis malorum illorum diluuium impediuit,

quo minus te obruerit, nisi diuina gratia & beneficentia?

MEDITATIO XLVI.

De beneficio redemptionis.

1. CONsidera à quo sis redemptus, nempe à Filio Dei tuo creatore & conseruatore, qui humanam naturam assumere dignatus est, vt perfectissimo modo te redimeret à peccatis, & perpetua damnatione inferni, quam per peccatū merebaris. 2. Considera quantum amorem in hac re erga te & omnes homines Deus demonstrauit, nempe quantum maximum potuit. Nam cùm non posset pro suis peccatis satisfacere vllus homo, ipse pro homine voluit fieri homo, & quidem mortalis & passibilis, ac potius mori pro homine, quàm vt periret homo. Non secus, ac magnus rex aliquis pro vilissimo mancipio, quod pro grauissimis sceleribus nullo supplicij genere compensare posset partis læsæ offensam, vel seipsum, vel filium suum mactandum offerret.

2. Considera, quo modo sis redemptus, nempe perfectissimo. Poterat enim Deus solâ voluntate, verbo vel nutu, antequam fieret homo, nos redimere, sicut vno verbo creauit. Et factus homo poterat vnâ oratione, vno gemitu, vnâ guttâ sanguinis etiam in circumcisione sua profusâ totum genus humanum redimere, sed voluit totius sanguinis effusione, passioneque omnium acerbissimâ, & ignominiosissimâ redimere.

2. Con-

2. Conſidera, tantam acerbitatem fuiſſe, vt ipſi in horto oranti cogitatio ſola futurorum cruciatuum ſudorem ſanguineum toto corpore expreſſerit. Flagris ſic conciſus, colaphis contuſus, ſputiſque oppletus eſt, vt videretur leproſus. Manus pedeſque clauis obtuſis confoſsi, caput ſpinarum aculeis per cranium transfixum. Et ſuper hæc trabem crucis ipſe ſuis humeris iam conuulneratis geſtare coactus eſt; ſed ſupra vires, quia ſub onere corruit. 3. Conſidera, quàm ignominioſa fuerit tota paſſio. Primò enim à proprio diſcipulo proditus, deinde funibus & catenis per vias in habitu alieno velut ſtultus, pertractus, per ludibrium tanquam Rex adoratus, Barrabæ latroni poſthabitus, in medio latronum velut ſceleratiſsimus, crucifixus, & in ipſa cruce variis conuitiis laceſsitus.

3. Conſidera, à quantis malis ſis redemptus. Primò enim redemptus es à peccatis, quorum tanta eſt grauitas, vt expiari non potuerint niſi ſanguine Filij Dei. 2. A perpetua tyrannide & ſeruitute diaboli, cui per peccatum eras mancipatus 3. Ab igne æterno, diabolo & angelis eius parato. 2. Conſidera, quanta bona ex hac redemptione conſecutus ſis. Primò enim ex filio diaboli factus es filius Dei. 2. Ex hærede æternæ damnationis factus es hæres æterni regni. 3. Factus es particeps gratiæ & amicitiæ diuinæ, omniumque donorum ſpiritualium. 4. Vt ſi in peccata vetera relabaris, iterum poſsis per pœnitentiam in gratiam reſtitui. 5. Vt in gratia exiſtens mereatis

augere gratiam,& vitam æternam. 6. vt suscipias fontem gratiæ, nempe in SS. Eucharistia,ac etiam (vt pro tot beneficiis à Deo acceptis dignum aliquid reddas,) Patri cœlesti eundem offeras, quod fit in sacrificio Missæ.

MEDITATIO XLVII.

De beneficio vocationis ad fidem Catholicam.

COnsidera non prodesse nobis beneficiũ redemptionis, nisi subsequatur beneficium vocationis ad veram fidem, & iustificationem. Sicut enim emplastri nullus est vsus, si non applicetur vulneri: sic nec passionis Christi in nobis vlla sequitur vtilitas, nisi per fidem, & Sacramenta fidei nobis applicetur. 2. Considera, sine peculiari ope & auxilio diuino neminem vocari ad veram fidem. *Nemo potest venire ad me*, inquit ipse Christus, Ioan. 6. *nisi Pater meus traxerit illum.* Sicut enim lapis natura sua semper cadit deorsum, nec potest tendere sursum nisi auxilio externo: sic homo propter peccati corruptelam semper inclinatur in amorem rerum terrenarum, nec potest ad amorem cœlestium mentem erigere, nisi dextera excelsi adiutus.

2. Considera quot millia non dico hominum, sed nationum infidelium & hæreticorum ab initio mundi, & ante Christum, & post Christum, ac etiam hoc sæculo, iusto Dei iudicio hanc necessariam ad salutem vocatio-

cationem consecuti non sint, ac proinde perierint & pereant in sua infidelitate vel hæresi. Cogita, quid de te factum esset, si inter ethnicos natus esses, si ligna & lapides adorasses. Deinde si hæreticos parentes, cognatos, patriam habuisses. Vide quantas gratias debeas Deo tuo, quod in tanta reproborum multitudine voluerit te inter domesticos Ecclesiæ suæ Catholicæ Romanæ nasci, lacte Apostolorum nutriri, & sanguine Christi inebriari. Quòd voluerit te per sacrum baptismum renasci, filium Dei, & vitæ æternæ hæredem fieri.

3. Considera, quot millia Christianorum sint, qui per veram fidem in Christum & baptismum à peccatis & damnatione æternâ quidem sunt liberati, & diuinæ gratiæ & amicitiæ restituti, sed tamen posteà vel in hæresin, vel in grauia peccata relapsi sint, ex quibus non emerserunt; tu autem toties relapsus, & naufragium passus, arrepta pœnitentiæ tabula ad portum salutis redieris; quàm patienter tecum sæpè Deus egerit, quòd vel grauia peccata committentem, vel diu in illis hærentem, & non dolentem, imò alios etiam ad illa sollicitantem, sustinuerit. Quòd in medio peccatorũ multas sæpè inspirationes pias suggesserit, & ad resipiscendum vocauerit eum, qui nil aliud faciebat, quàm quod vocantem offenderet. Quòd denique clamore tam alto vocarit, vt non secus, quàm Lazarum à morte ad vitam reuocarit, ac tanta gratia ornarit, vt etiam suaue sit & iucundum à pristinis peccatis abstinere, & Deo seruire.

MEDITATIO XLVIII.

De beneficiis peculiaribus, cuique propriis.

1 Confidera, si quæ peculiaria à Deo beneficia tibi totâ vitâ tuâ cōtigerint, quæ non sunt aliis, etiam Catholicis, inter quos vixisti, communia, siue sint naturæ, siue fortunæ, siue gratiæ. Naturæ & fortunæ esse possunt hæc: Quòd infans non sis in vtero materno extinctus. Quòd non sis natus ex parentibus infamibus, illegitimis, hæreditario morbo infectis, corpore vitiatis, magis & veneficis, mendicis, latronibus, aliisq; nebulonibus. Quòd sis à parentibus piis ab infantia educatus, & ab iisdem pædagogis, magistrisque Catholicis ac probis traditus instituendus. Quòd seueriore disciplina domestica, & scholastica fueris à societate petulantium lasciuorumque puerorum, & à variis peccatis abstractus.

2. Considera beneficia particularis gratiæ, maximè post annos pueriles. Quòd tibi præceptores obtigerint docti & pij, qui simul veram pietatem Christianam cum litteris instillarint. Quòd occasionem habueris multas conciones & exhortationes audiendi. Quòd ad eas scholas, academias hominumque piorum sodalitates perueneris, in quibus frequens est vsus sanctissimorum Sacramentorum Confessionis & Eucharistiæ: vbi multa præclara exempla veræ pietatis publicè, priuatimque cernuntur: vbi vigent exercitationes repetitionū quotidianarum, dispu-

disputationumq; priuatarum & publicarum: vbi nulla est iuuentutis vanitas & dissolutio: vbi summa erga præceptores obedientia & reuerentia. Vbi denique liberè exercitationi omnium bonorum operum, ipsique honestati, sine cuiusquam ludibrio & conuitio, quisque vacare potest.

3. Considera alia beneficia magis arcana & occulta, tibique omnino propria, vt si sis à parentibus hæreticis natus, in hæresi ab hæreticis præceptoribus instructus, & tamen tandem mirabiliter ad veram fidem traductus: si in ea perstiteris, etiam postquam à parentibus vel amicis es exhæredatus, vel derelictus. Item, si à societate malorum singulari gratiâ abstractus. Si ex sordibus grauis alicuius peccati, in quo diu hæseris, emerseris. Si à periculo singulari, vel animi vel corporis liberatus; vt à naufragio, à morte post lethalia vulnera, à grauissima tentatione, v. g. se necandi, vel ab aliis periculis tibi ignotis. Quis enim scit, à quot tentationibus te Deus præseruarit, à quot occasionibus peccandi? quoties laqueos inimici in via existentis ruperit, ne illis implicareris? Quare sicut pro occultis peccatis quotidie oras cum Propheta, Psal. 18. *Ab occultis meis munda me Domine*, ita & pro occultis istis beneficiis debes gratias agere.

MEDITATIO XLIX.

De beneficio æternæ Prædestinationis.

1. CONsidera hoc beneficium non esse cōmune, sed peculiare, eorum dumtaxat, qui ab æterno à Deo electi sunt ad vitam æternam, quod est omnium beneficiorū maximum, & gratia gratiarum, non solum quia datur ante omne meritum, ex sola immensa Dei bonitate, sed etiam quia cæterorum est fundamentum. Cùm enim homo electus est ad vitam æternam, mox quoque Deus, quæ ad illam consequendam requiruntur, media impertitur. *Quos enim prædestinauit*, inquit Apostolus, Rom. 8. *hos & vocauit & iustificauit.* Sicut enim pater carnalis, qui filium educat, vt aliquando Ecclesiasticus fiat, curat vt à teneris annis litteris operam det, & moribus Ecclesiasticis assuescat: sic æternus Pater semel ad gloriam æternam electos, paterna sua cura dirigit in via iustitiæ, donec ad finem destinatum perueniant.

2. Considera, etiam si hoc prædestinationis beneficium in hac vita nobis maneat occultum, tamen signa quædam illius haberi posse: inter quæ maximum est perseuerantia in vita pia & sancta. Qui enim multis annis in timore Domini vixit, atque omni studio peccata mortalia fugit, piè potest credere, quòd, vti Apostolus loquitur, 1. *Cor.* 1. confirmabit eum Dominus vsque in finem

sine

sine crimine in diem aduentus Domini, & quòd vti incepit, sic finiet. 2. Considera, neminem quidem de hac perseuerantia posse esse securum. nam & Salomon, cùm diu piè vixisset, tandem defecit, tamen quia vna hirundo non facit ver, & prouerbium est, *Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea : Prou. 22.* humiliter de infinita Dei bonitate præsumi potest, quòd qui ita perseuerat, electorum numero sit ascriptus, sicut præsumit se saluandum: hoc enim illud præsupponit.

3. Considera, quanti faciendum sit hoc beneficium, ac proinde quantæ gratiæ tibi pro eo sint agendæ Deo Opt. Max. Primò enim nihil excellentius vel sublimius esse potest fine & scopo prædestinationis : est enim ipse Deus, vel æterna diuinæ visionis, & omni voluntate plenissima fruitio, quod bonum est omnium maximum, quo maius desiderari non potest. Deinde prædestinatio est antiquissima, quę non incepit cum mundi constitutione, sed mũdo multo antiquior, imò ipsi Deo coæua, qui quemadmodum ab ęterno est, sic ab æterno dilexit suos, & te. Tertiò, quia est electio immutabilis; quòd enim Deus semel voluit & decreuit immutari non potest. *Ego Deus*, inquit ipse, apud Prophetam, *& non mutor.* Quartò, quòd te cum paucis aliis inter tot centena millia hominum, qui sæpè meliores fuerunt, dignatus sit eligere, in numerum prædestinatorum, idque ab omni æternitate; quod pectori diuino tui memoria insculpta fuerit ante omnia sæcula, quod pro filio Dei adop-

 tiuo

tiuo habitus ſis, & in ſplendoribus Sanctorum, cùm Pater cœleſtis dixit Filio naturali: *Ego hodie genui te.*

MEDITATIO L.

De beneficio vocationis ad Religionem, quæ eſt pro Religioſis.

1. CONſidera, ſi Religioſus ſis, aut deſiderio ingrediendi religionem tenearis, hoc beneficium quoque eſſe peculiare, & poſt diuinam prædeſtinationem omniũ maximum, paucíſque conceſſum. & ideo Chriſtus dicebat de illo, Matth. 19. *Qui poteſt capere capiat.* & : *Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me.* Religio enim eſt ſtatus perfectionis; non quòd omnes perfecti eſſe debeant qui eam ſuſcipiunt, ſed quòd quotidie proficiendo per obſeruationem nõ ſolum præceptorum, ſed etiam conſiliorum diuinorum debeant ad vitæ Chriſtianæ perfectiones tendere. Hæc eſt, dempto martyrio, anguſtiſsima porta & arctiſsima via quæ ducit ad vitam æternam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam, *Matth.* 7. In hac ſi quis conuenienter ſuæ regulæ in vita pia & ſancta perſeueret, probabiliſsimum argumentum habet ſe eſſe in numero prædeſtinatorum.

2. Conſidera cauſam, cur hoc beneficium tanto ſit in pretio habendum. Vna eſt, quia in S. Scriptura ſola temporalium facultatum in pauperes propter Chriſtum diſtributio, ampliſ-

amplissimam habet promissionem à Christo, vt quod magnum thesaurum eiusmodi habituri sint in cœlo, *Matth.* 19. deinde, quòd centuplum in hoc sæculo accipient, quoad domos, agros, & fratres, & in futuro vitam æternam, *Marc.* 10. Quid ergo habebunt, qui prætereа se castrant propter regnum Dei, & voluntatem suam, ac iudicium subiiciunt voluntati hominis loco Dei, & hoc palam solemni vel simplici professione Deo, & omnibus Sanctis vouent, vt faciunt omnes veri Religiosi. Altera est, quia sancti Patres comparant ingressum in Religionem alteri baptismo, eò quòd per illum homo, sicut per baptismum, liberetur ab omnibus peccatorum pœnis. S. Gregorius addit, sicut holocaustum excedit alia sacrificia, sic ingressum Religionis omne genus pœnitentiarum vel satisfactionum etiam publicarum excedere. B. Bernardus verò & Petrus Blesensis etiam comparant religiosam vitam, & labores continenti martyrio.

3. Considera, cur sancti Patres his comparationibus sint vsi. Prima causa est, S. Thomæ Aquinatis, quia paucis eleemosynis potest homo satisfacere pro pœnis peccatorum, iuxta illud Danielis 4. *Peccata tua eleemosynis redime*: ergo multo magis satisfacit, qui non solùm omnia sua dat pauperibus, sed etiã seipsum tanquam seruum offert Deo & religioni, imò vouet se nihil amplius proprium possessurum. Secunda causa est, quia tota professio veri Religiosi consistit in continua deportatione crucis suæ,

hoc

hoc est, abnegatione proprij iudicij & voluntatis, mortificatione sensuum, passionũ, omniumque cupiditatum prauarum carnis& mundi, secundum illud Luc.9. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum,& tollat crucem suam* quotidie, & hoc est spirituale martyrium. Vnde Sapiens dicit Prou. 16. *eum, qui dominatur animo suo, meliorem esse expugnatore vrbium.* Imò Seneca Philosophus gentilis agnouit epist. 123. *imperare sibi maximum esse imperium.*

MEDITATIO LI.

De nouem bonis Religionis à S. Bernardo descriptis, hoc rythmo:

IN RELIGIONE HOMO *viuit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, quiescit securius, irroratur crebrius, purgatur citius, moritur confidentius, muneratur copiosius.*

1. CONsidera bonum primum, cur *viuat purius*; nempe 1. ob puritatem intentionis, quia omnia facit ad Dei gloriam, & animæ salutẽ. *Si oculus tuus fuerit simplex*, ait Christus Matth. 6. *totum corpus tuum lucidum erit.* 2. Ob puritatem à peccatis mortalibus, quæ sola animam verè impuram faciunt, quia boni Religiosi malunt mori, quàm scienter peccare mortaliter. 3. Ob puritatem mentis & corporis angelicam, quia promiserunt Deo & Religioni castitatem.

Con-

2. Secundũ bonum cõſidera, cur *cadat rarius*. nã, quia in ea rara vel nulla ſunt offẽdicula, vel lapides ſcandali, in quos impingat. 2. nulli laquei dæmonis, ratione opum, honorum, vel voluptatum mundi, quas appetat. *Qui enim volunt diuites fieri*, ait Apoſtolus. 1. Tim. 6. *incidunt in laqueum diaboli*. Hic autem non ſolũ non vult diues fieri & magni haberi, ſed etiam paupertatem amat tanquam matrem, & cupit ab omnibus contemni. 3. quia econtra multa in ea ſunt adminicula Superiorum, Confeſſariorum, & Præfectorum ſpiritualium, à quibus ſuſtentetur ne cadat.

3. Cõſidera bonũ tertiũ, cur *ſurgat velocius*, quia lapſus eius ordinariè nõ sũt niſi veniales, qui multis modis expiari queũt, oratione Dominica, aqua benedicta, tunſione pectoris, confeſſione ganerali, gemitu, actu feruenti caritatis, &c. 2. quia à multis ſociis fratribus poteſt ſubleuari. Vnde dicitur Eccleſ. 4. *Væ ſoli, quia non habet ſubleuantem ſe*. 3. quia angelica miniſteria in angelico iſto ſtatu ei ſunt promptiora, & diuina præſidia nomine *centupli in hac vita*, ſunt promiſſa.

4. Conſidera bonum quartum, cur *incedat cautius*, nempè, 1. quia ſicut Deus nullum relinquit peccatum impunitũ, ſic Religio omnes lapſus expiat per pœnitentiam. 2. quia in Religionum regulis omnes ferè imperfectiones prohibentur, in quos aliquis incidere poſſit. 3. quia omnes Superiores, æquales & inferiores habet ſuorum morum inſpectores, & quaſi obſeruatores, quibus

cauet,

cauet vel minimam dare occasionem offendiculi.

5. Considera bonum quintum, cur *quiescat securius*; nempe quia 1. expers est omnis curæ rerum ad victum, vel amictum necessariarum. *Nemo militans Deo*, ait B. Paulus, 2. Tim. 2. *implicat se negotiis sæcularibus*. 2. Quia nullum bellum vel exiguum habet, cum mundo, quem deseruit, & carne, quam per mortificationis virtutem crucifixit, cum vitiis & cõcupiscentiis. 3. Quia summâ fruitur conscientiæ pace. *Secura mens*, ait Sapiens, Prou. 15. *quasi iuge conuiuium*.

MEDITATIO LII.

De residuis beneficiis status religiosi.

1. CONsidera bonum sextum, cur *irroretur crebriùs*, nempe 1. quia in quotidianis exercitiis spiritualibus orationum, meditationum, sacrificij Missæ, & Communionis sæpè particeps fit diuinarum inspirationum. *Super quem requiescet spiritus meus*, ait Dominus, Is. vlt. *nisi super humilem & quietum, & contritum corde?* 2. Consolationum cælestium etiam in mediis afflictionibus, vt ieiuniis, disciplinis, ciliciis. 3. Nouarum virtutum & donorum Spiritus sancti.

2. Considera bonum septimum, cur *purgetur citiùs*, nempe 1. quia in ea vsitatum est quotidianum examen conscientiæ tam particulare, quàm generale, in quo inquirit in singulos lapsus, dolet & emendationem proponit. 2. Quia crebrò iteratur confessio

ſacramentalis, & poſt illam deuota communio. 5. Quia in ea frequẽtes ſunt ſatisfactiones pro expiandis pœnis peccatorum, tum ſponte ſuſceptæ, tum à Superioribus, Confeſſariis vel regula iniunctæ, quas ſi ſedulò ſeruet, purgatione opus non erit in altero ſæculo.

3. Conſidera bonum octauum, cur *moriatur confidentiùs*; nempe 1. Quia ſcit promiſſionem generalem, & ſpecialẽ eſſe infallibilem. Generalem, *Qui perſeuerauerit vſq; in finẽ, hic ſaluus erit. Matth.* 10. *&* 19. Specialem, *Vade & vende omnia quæ habes, & habebis theſaurum in cœlo.* 2. Quia ſcit, prouerbium eſſe; qui bene vixit, & anguſtã viam tenuit, non poſſe malè mori, ſecularesque ſolitos ſub mortẽ dicere: Vtinam in religione tali vel tali vixiſſem. 3. Quia, vt ſuperſint adhuc aliquæ imperfectionum reliquiæ expiandæ, nouit ſe habere in extrema hora ex priuilegio Ordinis indulgẽtiam plenariam, ac ante & poſt mortem communionem omnium ſui Ordinis precum & ſacrificiorum aliorumque operum bonorum.

4. Conſidera bonum nonum, cur *remuneretur copioſiùs*; nempe 1. quia qui relictis omnibus ſecuti ſunt Chriſtum, ſedebunt ſuper ſedes duodecim iudicantes, *Matth.* 19. & centuplum accipient in hac vita & in futuro vitam ęternã. *Matth.* 10. Centuplũ accipiunt, quia pro patre vno relicto, in Religione plures ſpiritales patres, pro fratre plures fratres, pro vna domo plura collegia vel cœnobia. 2. Quia, teſte Apoſtolo, Rom. 2. *Deus reddet vnicuiq; ſecundùm opera ſua. Et quę*

ſemina-

seminauerit in benedictionibus, de benedictionibus & metet. 2. *Cor.* 9. At Religiosus quotidie vacat operibus, vel Religionis, orando & laudando Deum, vel humilitatis, vel miser icordiæ corporalibus aut spiritualibus. Deinde quælibet eius opera etiam adiaphora, vt dormire, comedere, studere, sunt meritoria, tum quia semper ferè est in Dei gratia, tum quia omnia ad Dei gloriam refert, & facit ex obedientiæ virtute. 3. quia præter ea quæ omnibus beatis sunt communia, Religiosis maximè competunt tres aureolæ, Martyrum scilicet, Virginum & Doctornm, quæ sunt accidentalia quædam præmia.

FINIS.

PANIS QVOTIDIANI, SIVE SACRARVM MEDITATIONVM, LIBER TERTIVS

PRO FERIA QVINTA.

MEDITATIONES De Venerabili Eucharistiæ Sacramento.

Duodecim priores sunt ex compendio de Ponte P. NICOLAI DE ARNAYA; reliquæ ex Lucæ exercitio orationis quadraginta horarum.

MEDITATIO I.

Quæ dixerit feceritq́; Christus, antequam Sanctißimum hoc Sacramentum institueret.



Onsiderabo, lauisse discipulorum pedes antequam hoc Sacramentum institueret, vt doceret, quam puritatem & cordis munditiem oporteat habere eos, qui ad cœleste hoc accedere epulum voluerint, non modò vt à 1.

vt à peccatis grauioribus, verùm etiam venialibus, & inordinatis corporis animique passionibus puri sint: qui enim ibi recipitur Dominus, ipsa est puritas. Lauare quoque pedes voluit, vt consuetudini satisfaceret, quâ hospes conuiuis abluere pedes in signum humilitatis & charitatis solebat. Docuit hîc nos Christus, eos qui conuiuio huic interesse voluerint, humilitatis primùm opera & charitatis exercere debere, qua nulla ad dignè communicandum afferri melior dispositio potest.

2. Cogitabo, legalem agni paschalis cœnam mysticæ & Eucharisticæ huic præmissã. Vt enim agnus hic sacrificabatur in gratiarum actionem, ob excussum durum seruitutis Ægyptiæ iugum; ita in Missæ sacrificio verus agnus Christus in memoriam offertur & gratiarum actionem ob beneficium, quod in nos Christus contulit, à captiuitate nos Dæmonis per mortem & passionem suã eruendo, pretiosa nos in terra carne sua nutriens, in cœlo diuinitate nos suâ satiaturus. Docere etiam voluit, quâ dispositione ad diuinum hoc Sacramentum accedendum sit: qui enim dignè accedere voluerunt, insigni dotati sint castitate oportet, quam carnis pepererit mortificatio, continuaque & sedula cordis custodia, affectus suos puros & ab omni terrena voluptate alienos conseruando; magnâ item fide in cruce Domini nostri Iesu, feruore & famelico erga cœlestem hunc cibum desiderio, insigni cordis munditiã, & mortificatione corporis; denique & ardenti erga eum, quem fides nos esse

præ-

præſentem in Venerabili Euchariſtia docet, amore & charitate.

3. Notabo illa verba: *Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar.* Docemur hîc magno cum deſiderio ad ſanctum hoc Sacramentum accedere, quod proueniat ex conſideratione ſingularis huius beneficij, quod hic Deus nobis præſtat, cogitantes, quoties communicamus, ſupremum id fore ac poſtremum, vt maiori ad id pietate nos diſponamus.

MEDITATIO II.

De tempore, loco & teſtibus, quos Dominus ad diuinum hoc Sacramentum inſtituendum delegit.

COnſiderabo, Dominum ſanctiſſimum hoc Sacramentum inſtituiſſe nocte, quæ paſſionem eius amaram præceſſit, vt magnitudinem ſui amoris erga homines hoc pacto oſtenderet: cùm enim vitam illi adimere Domino moliebantur, ipſe conuiuium illis cœleſte & diuinum, quo à morte liberarentur, parauit: adeò vt vehementes tormentorum aquæ ad caritatem eius exſtinguendam minimè ſufficerent, quemadmodum nec vlla eſſe debet afflictio, quæ nos ab eius amore ſeparet. Inſtituit idipſum, vt ſuum cum hominibus ſemper manendi, & iis in miſero hoc exilio ſẽper aſſiſtendi deſideriũ oſtenderet: cùm enim inuidia eũ de mundo tollere parabat, pietas ac bonitas eius ibidẽ commo-

commorari auebat. Tum verò vt Ecclesiæ memoriam suæ passionis & sacrificium iræ diuinæ propitiatorium relinqueret: vtque nos ad perpetuò sui & amaræ passionis suæ magnâ animi teneritudine & amore recordationem celebrandam inuitaret, instituit ipsum iam morti vicinus; nam parentum morti proximorum præcepta ac monita filiorum animis profundiùs hærent impressa.

2. Locus, quem ad hoc delegit, fuit cœnaculum præparatum, quod sponte illi ab alio oblatum. Ostenditur hic, animam, quæ Dominum recipere vult, promptam erga maiestatem ipsius & feruentem habere voluntatem debere: hæc namque dispositio illi gratissima est; & quæ ita præparata est anima, velut illi propria & peculiaris, idque singulari quodam proprietatis genere, à diuina bonitate recipitur & admittitur, in eaque maxima mysteria peraguntur, vti in cœnaculo illo ante & post resurrectionem maxima peracta sunt.

3. Delegit ad hoc testes Apostolos, inter quos erat & Iudas proditor; tamen cum dispositione differenti, illis summa animi pietate inspectantibus, & attendentibus ad ea quæ Dominus & faceret & diceret, seque ad cælestem hunc cibum recipiendum disponentibus: Iudas verò diabolica molimina sua ad effectum deducere conabatur, itaque cœlestis hic cibus illi in virus & mortem vertebatur.

ME-

MEDITATIO III.

De miraculosa transsubstantiatione panis in corpus Christi. Matth. 26. Luc. 22.

SVpponendum est, quod Sancta nos fides docet, scilicet Dominum, accipiendo panem in sacras manus suas, & verba consecrationis proferendo, panem in corporis sui pretiosi substantiam, exterioribus accidentibus tectam, commutasse. Notanda porrò infinita Dei sapientia, quòd tam admirabilem homini se communicandi, ad alimentum vitæ illi dandum, rationem adinuenerit, quæ non minùs admirabilis fuit quàm incarnationis, qua in vnione hypostatica ad eumdem effectum duas res adeò diuersas, quales homo & Deus, combinauit. Omnipotentiam porrò suam hic manifestauit, tot vno instanti vel verbo edens miracula; panis substantiam in corporis substantiam conuertendo, & in tota hostia & in singulis eius particulis totus, non indiuisus in se, existendo. Charitatem autem infinitam, dans quidquid dare poterat, seipsum scilicet, factus vtique cibus ac potus noster. Pater quoque cœlestis bonitatem & amorem suum erga nos patefecit, hoc filium pacto nobis dando. Elucet hic quoque mirabiter ardens Saluatoris erga salutem nostram zelus, quòd ad merita passionis suæ nobis applicanda tam admirabilem nouamque rationem excogitarit.

2. Perpendam mirabilia, quæ in consecrationis verbis continentur, *Hoc est corpus meum*,

meum, reale ac verum, non autem figura aut repræſentatio eius. Ipſe namque in perſona animas noſtras reficere & alere voluit, atque vt mater tenerrimè infantem ſuum diligens, alij eum non dat nutriendum, ſed lacte eum proprio & ſuis vberibus alit; ita Deus corpus ſuum integrum nobis ac perfectum dedit, vt oſtenderet omnia ſe membra noſtra ſuis ſanctiſſimis ſanctificare, corda noſtra ſuo, oculos noſtros ſuis mundare velle. Quapropter ad communionem accedentes, Dominum rogabimus, omnia vt tum animæ tum corporis membra ſanctificet. Cogitemus, dicere Dominum, *Hoc eſt corpus meũ, quod pro vobis tradetur*: ſignificando, idem corpus, quod traditum fuit in crucem agendum, nobis in cibum datum; quod vtrumq; beneficium ab eodem amoris & charitatis fonte proceſsit.

3. Cogitabo, Apoſtolos ſacrum hunc panem magna cum reuerentia accepiſſe, certiſſimâ credentes fide, ſub ſpeciebus illis viſibilibus proprium ſe Domini ſui corpus accipere, & ſuauiſsimos deuotionis motus in prima hac communione ſenſiſſe. Solum Iudam proditorem nullum in cibo hoc ſaporem, quòd minimè ad hoc diſpoſitus eſſet, ſed peccato inquinatus, percepiſſe.

Notabo, Redemptorem etiam partem panis huius ſancti, ſeipſum inquam ſumpſiſſe, vt ſuo Apoſtolos exemplo ad imitationem accenderet, reuerentiæ, modeſtiæ, pietatis, quâ is ſumendus eſſet, exemplo præiens, quin & apud ſe exultans, quòd tam admirabile Sacramentum inſtituiſſet. Excitan-

di porrò in animis nostris admirationis, gaudij & laudis Dei adeò benigni & liberalis, tot sancta ad maius nostri commodum adinuenientis artificia, motus.

MEDITATIO IV.

De vini in Sanguinem Dominicum conuersione, deq́; thesauris in pretioso hoc Sanguine contentis.

NOtabo, post panis consecrationem ac communionem, Dominum calicem vini consecrasse, quod verborum vi per omnipotentiam in sanguinem suum conuertit, quo etiam insignem suam charitatem prodidit: nihil minus quippe nobis dedit, quàm pretiosum venarum suarum sanguinem, pręter regum mundanorum consuetudinem & conditionem, qui subditorum sanguinem exsugunt, illorumq́ue bonis, substantia ac facultatibus se saginant. 1.

2. Considerabo, illum calicem sanguinis sui nominasse, *Nouum testamentum*, vt scilicet noui ac veteris testamenti discrimen ostenderet: in illo nāque, facto pridie quàm pateretur, peccatorum nobis remissionem, gratiam & adoptionem in filios Dei, charitatem, virtutes, dona Spiritus sancti, & hæreditatem cœlestem promisit. Hæc fuere scilicet legata, quæ in vltimo nobis testamento proprij sanguinis effusione consignato & confirmato legauit. Humiliter proinde orandus Pater æternus, vt concedat, quæ filius dilectissimus nobis legauit moriens.

3. Co-

3. Cogitabo dixisse Dominum, sanguinem se pro Apostolis & pro multis in remissionem peccatorum effundere, vt hisce eos verbis ad compassionem, amorem & gratitudinem prouocaret; addens & illud, *pro vobis*, ipsos alloquens. Hæc nobis ipsis applicemus oportet. Adiungit quoque, *qui pro multis effundetur.* Pro omnibus scilicet mundi hominibus, quoad sufficientiam, & pro multis, quoad efficaciam; idque *in remissionem peccatorum*, nullo prorsus excepto, etiam grauissimo. Amoris quoque sui immensitatem & infinitatem ostendit, dicens, *effundetur*, quo charitatis suæ abundantiam denotauit.

MEDITATIO V.

De speciebus Sacramentalibus panis & vini, quidvè repræsentent.

NOtabo, hoc instituere conuiuium Dominum voluisse in pane & vino, vt ipsum quàm perfectissimum esse ostenderet, quemadmodum & terrenum conuiuium duobus hisce potissimùm continetur; sub vtraque specie Domino perfectè comprehenso: ad designandum quoque, omnem sanguinem suum pretiosum totaliter à corpore separatum fuisse, quando is in passione pro peccatis nostris effusus fuit, & ita eum nobis in sacro Missæ sacrificio repræsentare debemus.

2. Sub accidentium verò velamine tegi voluit, ad humiliandum se, nobisque exemplum

plum patientiæ dandum: nam queadmodum dum homo factus est, diuinitatem humanitatis tegens pallio, à pauculis agnitus fuit & à plurimis irrisus ; ita sub speciebus Sacramentalibus tectus vix agnoscitur & contemnitur, quin & interdum à permultis scelestis malè habetur.

Fecit porrò hoc, vt nouum nobis & continuum fidei daret exercitium sensibus nostris, quò renuntiaremus, & captiuaremus intellectum nostrum sub obsequium fidei. hinc & Sacramentum hoc *mysterium fidei* nuncupatur. Quocirca dum sacro intersumus, aut templum ingredimur, fides ad maius meritum comparandum accendenda. Panis quoque & vini tegi voluit specie, audaciam vt nobis & animum liberè ad se accedendi, ipsum tangendi, sumendi, comedendi daret: nisi enim hoc modo tectus esset, quis accedere audeat, quis non expallescat?

3. Hisce se tegere voluit speciebus, vt quàm fieri poterat arctissimâ se homini vnione coniungeret; nihil quippe arctius homini coniungitur, quàm cibus & potus, quæ penetrant, inq; eius substantiam transeunt. Designare quoque voluit, spiritualiter se id in animabus nostris operari, quod materialiter in corporibus nostris cibus efficit; conseruat namque nos, sustentat, vitam spiritualem adauget, animam corroborat & recreat, intemperantem amoris proprij calorem exstinguit, quæ is in nobis causatur damna, restaurat, & verbo vt dicam, sibi nos similes reddit, diuinas nobis virtutes suas imprimendo.

Ad significandum quoque, quòd sicut

panis è plurimis frumenti granis vnam in massam collectis, & vinum è plurimis vuis passis & simul coaceruatis paratur; ita quoque diuinus hic cibus & potus corda exigat verâ charitate vnita, & nonnisi ad hanc admirabilem vnionem tendat, à qua etiam Sacramentum hoc communionis nomen sumpsit.

MEDITATIO VI.

De sex rebus mysticis, quas fecit dixitq́ Dominus, quando panem ac vinum consecrauit.

1. CONsiderabo admirabilem hanc panis in corporis sui pretiosi substantiã, conuersionem peragendam, Saluatorem ipsum in manus sumpsisse; significando, illas omnipotentes esse, & totius vniuersi conditrices, in quas omnia Pater æternus dederat, simul etiam liberalitatem suam ostendendo: nam, vt Psalmographus ait, *Aperit manum, & replet omne animal benedictione.* Quæ porrò maior haberi queat benedictio, quàm seipsum nobis, ad exilij nostri solatium ac lenimentum, quamdiu in hac lacrymarum valle agimus, date? In manus porrò sumpsit, insinuans, illarum se labore, & vultus sui sudore, cælestem hunc panem comparasse; neque enim cibus segnium est, sed laborantium, & animas virtutum exercitio colentium.

2. Oculos ad cælum conuertit, ostensurus, panem hunc cælestem esse, non terrestrem,

ſtrem, panem angelorum, quique homines in angelos cõuertat, vt ſpe, oratione & puritate corda noſtra ad cælum ad dignè illum ita recipiendum ſuſtollamus. *Gratias egit Patri*, ob beneficium, quod per ſe mundo dabat, tam diuinum illi panem in alimentum præbens; docens ſcilicet, quâ gratiarum actione ipſum recipere debeamus. *Benedixit*, benedictione ad miraculoſam hanc ſubſtantiæ panis in corporis ſui ſubſtantiam tranſmigrationem peragendam, efficaci & potenti. *Fregit & dedit diſcipulis ſuis*, inſinuans, omnes de eodem pane comedere, ideoque vno eodemque amore coniunctos eſſe debere; item panem illum diuidi poſſe, eo manente integro, qui intus latet; deniq; minutim & comminutum comedendum, id eſt, maturæ conſiderationis dente myſteria, quæ eodem continentur, ruminanda ac frangenda.

3. Poſtquam fregit, dedit Apoſtolis, ſuâ ipſis manu communionem dando, ſeque ipſum impartiendo, quo nullum dari donum poterat nobilius aut excellentius; hinc & ipſi eâ hoc recepêre reuerentiâ, numquam ipſum vt tangere auſi fuiſſent, niſi ſumere eos Dominus voluiſſet & iuſſiſſet.

MEDITATIO VII.

De potestate, quam Apostolis Dominus dedit, vt facerent, quod ipse iam fecerat, deq́; potestate consecrandi, quam habent sacerdotes, & sacri corporis & sanguinis eius pretiosi sacrificium offerendi.

1. COnsiderabo, Dominum, postquam Sacramentum Eucharisticum instituisset, Apostolis dixisse, *hoc facite in meam commemorationem*: quibus verbis potestatem eis dedit faciendi, quod ipse fecerat, infinitam charitatem suam magis magisque patefaciens, quòd potestatem in verum corpus ac sanguinem suum non beatis angelicisq; spiritibus, sed hominibus dederit, vt suo nomine facerent, quod ipse iam fecisset, suamque personam repræsentarent. Infinitam quoque liberalitatem ostendit, dum hanc potestatem minimè limitat, nec ad certum hominum numerũ astringit, neu certis temporis lociq; limitibus coërcet, sed omnibus sacerdotibus corporis & sanguinis sui, omni loco & tempore, debitis circumstantiis seruatis consecrandi potestatem dedit. Humilitatem quoque profundam exhibuit, dum ad finem vsque mundi se obligat, ad sacerdotis, etsi improbi, sinistraque cum intentione ad illum verbi gratiâ conculcandum, indigneque habendum, consecrantis verba adfuturum.

2. Voluit Apostolos & sacerdotes hoc facere in passionis suæ commemorationem, desi-

desiderans vt numquam singulare hoc beneficium mentibus nostris excideret, sed perpetuò ipsum agnoscentes; benefactorem laudemus, excitato sedulò illi obsequendi desiderio. At quoniam sciebat nullum nos illi par reddere posse, quodq́; infinito redemptionis nostræ pretio responderet, sacrificium nobis dedit, quod æquè infinitum foret, vt sæpè illud diuinæ ipsius maiestati offerẽtes, nostram aliquatenus gratitudinem demonstraremus.

Voluit hoc mysterium celebrari in heroicum, quas viuens moriensq́ue exercuit, virtutum, quarum Venerabile hoc Sacramentum figura est & imago, memoriam. Cogitemus ergo, dicere nobis Dominum; *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.*

3. Voluit hoc sacrificium offerri loco sacrificiorum legis veteris. Sacrificium porrò est rei alicuius, quam homo Deo, ad illum honorandum, in eius excellentiæ & maiestatis infinitæ agnitionem offert, oblatio; atque hæc vel in satisfactionem fit pro peccatis, vel in gratiarum actionem, vel ad impetrandum ab eo quæ cupimus bona tam temporalia quàm æterna. hinc patet, quantum Saluatori ob datum nobis sacrificium, quod Mosaica infinitis superat interuallis, idq́ue per meritum, quo quidquid à Patre cœlesti poscimus, impetrare possumus, debeamus.

MEDITATIO VIII.

De singulari Dei prouidentia quæ in Sacramenti huius institutione elucet, ad spiritualiter animas nostras nutriendas.

1. CONsiderabo, si ad primi parentis sustentationem Deus in paradiso tot diuersas creauit arbores, & præsertim ipsum lignum vitę, quod singulari quadam prouidentiâ in medio paradisi plantauit, ea longè eluxit euidentiùs in dispositione Ecclesiæ suæ, in cuius medio diuinam illam arborem vitæ, sanctissimum ac Venerabile Eucharistiæ Sacramentum, cibum illum vitalem ac viuificantem collocauit, idque in fidelium alimentum, qui pretio ac perfectione arborem illam terrestrem longè transcendit, & in animis manducantium effectus penitus admirabiles producit.

2. Ad cibi huius excellentiam percipiendam considerandæ sunt mannæ proprietates, qui etiam erat cibus prodigiosus, quo suum Deus olim populum in deserto aluit. Erat quippe panis cælestis & angelicus, Dei paratus manibus, noster verò panis è cœlo, nō iam angelorum ministerio, sed Spiritus sancti operatione, roris cælestis instar, ad terram animæ nostræ fœcundandam descendit. Manna panis erat medicinalis, qui corpora à morbis tuebatur: panis hic sacer animæ morbos curat, à peccatis & à morte sempiterna, ad quam nos illa perducunt, præseruat.

uat. Manna nonnisi vnicum saporem naturalem habebat, at bonis plurimos, cùm quisque id ex eo gustaret, quod desiderabat: ita cibus hic cælestis nonnisi vnicum habet naturalem, specierum scilicet Sacramentalium à quibus tegitur, saporem; iusti tamen quaslibet ex eo spirituales dulcedines, quas desiderant, degustant. hic obedientiam gustat obediens, humilitatem humilis, puritatem castus, &c. Mannæ quilibet certam colligebat mensuram, quâ tam magnus quàm paruus satiabatur; ita quoque minima diuini huius Sacramenti particula ad animam, quæ cum pietate ipsum recipit, spiritualiter sustentandam ac satiandam sufficit: tantum namque accipit, qui nonnisi exiguam hostiæ consecratæ particulam, quàm qui integram, & calicem simul sumit.

3. Perpendam, quòd quemadmodum præcipiebat Deus, vt summo mane manna colligeretur; ita quoque sedulus & igneus spiritus concipiendus sit ardor, ad sanctum hoc & diuinum Sacramentum recipiendum, corque ad mirabilium, quæ eodem continentur, contemplationem extollendum, & suauissimum orationis manna colligendum, Deum laudando ac pro adeò insigni beneficio, quod semper memoria tenendum, ac præsertim eo, quo communicandum est die, glorificando.

MEDITATIO IX.

De Ven. Sacramento, quà memoriale mirabilium, quæ pro hominibus Deus fecit.

1. Psal. 110. MEditabor verba illa Psalmi, *Memoriã fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus; escam dedit timentibus se.* Mirabilia porrò hæc sunt, quòd in diuino hoc Sacramento Verbum æternum sacratissimæ humanitati coniunctum sit, & tota Sancta Trinitas cum omnibus attributis ac perfectionibus diuinis, inter quæ hîc potissimùm bonitas iuncta sapientiæ relucet, quòd ita scilicet se homini iungere voluerit, vt quo illi propius sibi foret, illius se cibum ac potum constituerit.

2. Elucet hîc quoque mirificè eius omnipotentia; accidentia namque à substantia panis & vini separando, illa in sua ordinaria solitaque manent figura & apparentia; hæc verò extraordinariè in corpus & sanguinẽ filij Dei cõmutatur; præterquam quòd exigua quædam substantia in magnum ac perfectum corpus, non minori donatum gloriâ, quàm in cœlo se beatis videndum exhibet, & quidem vnico momento conuertatur. Omnipotentiæ quoque actus est, Christi corpus velut spiritum indiuisiuè in hostia contineri, adeò vt totum sit in illa tota, & in singulis eius particulis: atque hinc fit, vt quamuis hostia diuidatur, corpus tamen Christi non diuidatur, atque ita Christi vita in Euchari-

stia

stia non est vita quædam carnalis, at penitus spiritualis esse videtur. Aliud huius Sacramenti mirabile est, quòd quamuis Dominus in cœlo sit empyreo, locum ibi habens magnitudini suæ ac maiestati conuenientem, in terram tamen in Sacramentum Eucharisticum descendat, cœlum minimè deserens, & simul vno eodemque tempore, in variis mundi partibus præsens adsit. Miranda hîc eius potentia, & bonitas infinita laudanda, cùm ad honorandos & saluandos homines tam multa simul edere mirabilia voluerit.

3. Sacrum hoc mysterium memoriale est illorum officiorū, quæ hoc in mundo Dominus gessit: in quorum singulis tria consideranda sunt, scilicet quomodo eadem in terra viuens gesserit, quomodo illa etiam modò in Ven. Eucharistia gerat, & quàm necessarium sit, vt illa erga nos exerceat. Quomodo Saluator viuens medici impleric partes, ægros curans, & mortuos ad vitam reuocans: quomodo item in sanctissimo eas Sacramento peragat, in quo in speciebus tactus Sacramentalibus, spirituales sumentiū curat ægritudines. Considerandum ad hæc, quantopere huiusmodi medico opus habeamus, cùm morbi nostri magni sunt & graues, quorum curatio à liberali eius manu dependet. Idem quoque de aliis eius officiis, Magistri scilicet, Pastoris, &c. cogitandum.

4. Est item memoriale heroicarum virtutum, quas in terra olim Dominus exercuit, & hodie in sanctissimo Sacramento

mento practicat; quales sunt humilitas, dū nempe immensam maiestatem suam tantâ tegit exiguitate; obedientia promptissima, dum voci sacerdotali obedit; mansuetudo & patientia, dum ab hæreticis, ethnicis, sceleratisque Christianis in peccato mortali ipsum recipientibus, indignè habetur: ardens item charitas & misericordia erga animas, dum eas visitat. Omnia hæc maturè & grauiter ponderanda sunt, & fructum hinc aliquem elicere studendum. Exercet hic quoque maiestas eius perseuerantiam, dum semper in hostia ac calice præsens adest, ad vsque specierum consummationem. Considerandum denique, Venerabile hoc Sacramentum triū esse maximorum beneficiorum, quæ Deus vmquam fecit hominibus, aut aliquando facturus est; Redemptionis scilicet, sanctificationis, & glorificationis signum: quod excitare nos ad ardenter ipsum desiderandum ac deuotè suscipiendum debet.

MEDITATIO X.

De Ven. Sacramento, quatenus Passionem Dominicam repræsentat.

1. CONsiderabo, Dominum, dum perpetuam passionis suæ in animis nostris memoriam vigere ac viuere vult, cùm per eam redemptionem nostram perfecerit, Sacramentum hoc instituisse, vt eam non signis ignominiosis & amaris repræsentaret, qualis ipsa in se reuera fuit; at suauissimū ac splendidissimum epulum proponendo, insignem

vt

vt suam hoc pacto charitatem patefaceret; quæ mirificè elucet, quòd omnia amara, acerba, dura sibi deligens, nobis quæ iucunda, sapida, ac suauia erant, cesserit; eadem ratione suorum fructum dolorum nobis applicans, nosque docens, pro nostra se salute tanta cum charitate pati, vt per eam amaritudo omnis eius in mel illi verteretur. Memoriæ suæ signum statuere voluit in re dulcedinem in se continente, qualis est hocce sacrum conuiuium, vt ita eius simul & passionis memoriam haberemus, idque cum voluptate & gratiarum actione. Tum verò vt legem suam reuera dulcem, onus leue, & iugum facile esse videremus. Vtque nos hoc pacto ad patientiam eius in rebus duris & asperis imitandam obligaret: gratitudo namque & ciuilis humanitas exigit, vt quo ipse festiuius ac iucundius nobis ex iis, quæ illi in passione adeò amara & dura fuere, conuiuium parare vult, eo magis sancta quadam contentione nos affligere in gratitudinem conemur, nos ipsos ieiuniis, pœnitentiis aliisque austeritatibus mortificando, quo Christo Iesu pro peccatis nostris crucifixo conformemur.

2. Noluit Sacramentum hoc esse signum inane ac vacuum, sed reale & efficax, verè corpus eius & sanguinem pretiosum continens; vt hinc appareat, quanti suam ipse passionem faciat, & quanti nos eam facere par sit: simul etiam, vt eo magis magisque extremam dilectionem patefaceret: nam quemadmodum in Missa sese offert, vt

sæpè incruentus sacrificetur ac sine sanguinis effusione, ita libenter quoque se in cruce cruentum ac cum sanguinis effusione immolaret, si ita ad hominum salutem necesse foret. Nos ipsos etiam quotidie debemus offerre, ad aliquid pro Dei amore sustinendũ. Ad hæc in Sacramento præsẽs adesse voluit, suâ vt præsentiâ hominum in beneficiis, tum hoc tum aliis, quæ quotidie à munifica eius manu recipiunt, agnoscendis defectũ suppleat; quæ beneficia cùm infinita sint, sufficienter à pura creatura agnosci nequeũt: hinc & Sacramentum hoc Eucharistia dicitur, quæ vox gratiarum actionem denotat. Excitare hoc nos debet ad Deo gratias ex toto corde, ob anxiam ad supplendos defectus nostros sollicitudinem, agendas.

3. Considerabimus, diuinum hoc mysterium esse passionis Dominicæ memoriale. nam vt panis è pluribus constituitur granis comminutis & molitis, & vinum è pluribus vuis pafsis; ita sacrum eius corpus flagris, clauis & spinis comminutum & contusum fuit, & opprobriis & ludibriis quodammodo conculcatum. Ad eumdem modum cor nostrum contritione mentis, pœnitentiâ & mortificatione, Domini, qui nos adeò dilexit, exemplo, frangamus oportet.

E-

MEDITATIO XI.

De Ven. Sacramento, in quantum gratiæ, sanctificationis & arcta cum Christo Iesu hac in vita vnionis causa est.

CONsiderabo, instituta esse Sacramenta, velut instrumenta gratiæ; nihilominus hoc ipsum gratiæ auctorem in se continere. qui in eo latere voluit, ad ostendendũ quanti sanctificationem nostram faciat; non imitatus medicum, qui catapotia quidem præscribit, sed alteri ea ægro dandi curam concredit; non diuitem, qui captiuum aliquem carcere liberatutus per seruum suum id agit; nec matrem, quæ infantem enixa, alij eam feminę dat nutriendum, sed hæc officia ac beneficia erga nos exercere Dominus seipso voluit, vt qui hoc in Sacramento præsens adsit. 1.

2. Cogitabo, animam hîc gratiis, donis Spiritus sancti & omnigenâ virtute repleri abundantiùs, quàm in cæteris Sacramentis. Nam quemadmodum pluris æstimatur eleemosyna quam suis rex elargitur manibus, quàm quæ eius nomine ab eleemosynario erogatur: ita quando Rex regum animæ se communicat, in refectione hac spirituali, efficaciùs in ea virtutes excitat, & præsertim desideriis & votis ad se summo bono vniendum, charitatem accendit. Ita quoque singulas in specie virtutes excitat, vt religionem, quam ad actus reuerentiæ, laudis, gratitudinis & deuotionis, &c. propellit.

3. Insti-

3. Instituit Dominus hoc Sacramentum, ad singulariter se animabus nostris per vnionem & charitatem coniungendum, interim dum vita hæc mortalis durat, atque hoc apud
Ioan. 6. Ioannem ait; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, manet in me & ego in eo.* Eius namque maiestas manet cum anima, non solùm quamdiu species inconsumptæ supersunt; verùm etiam postquam iam corruptæ sunt, diuinitate suâ præsens & illi amicitia quadam mutua ac reci-
1. Ioan. 4. proca vnita, vti idem Ioannes ait, *Deus charitas est, & qui manet in charitate, manet in Deo, & Deus in eo.*

Cogitemus, Deum esse, qui nos ad mensam suam inuitet, cibum quem ibi apponit, ipsummet esse, & finem ob quem epulum hoc instituitur, caritatis suæ vnionem, Deo in nobis velut in paradiso deliciarum manere volente.

4. Consideremus vnionis huius eximiæ excellentias, quas paucis apud Ioannem verbis ipse Christus complectitur, dicens: *Ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* id est, Sicuti Dei Filius à Patre suo esse ac vitã diuinam recipit, simul & omnes incomprehensibilis essentiæ suæ perfectiones, ita vt per æternam generationem vnus sit cum Patre; ita quicumque Christum in Sacramento hoc recipit, eius essentiæ, vitæ perfectionum, ac virtutum participat, adeo vt cum Apostolo
Gal. 2. dicere queat; *Viuo iam non ego, viuit verò in me Christus.* Hinc & panis vitæ appellatur, quòd per eum viuamus.

Con-

Considerandi quoque sunt admirabiles cibi huius diuini effectus: vt enim delicatissimus est, ita & dulces, sanos & sanctos generat humores, virtutes inquam. Quare & qui sæpiùs eum mãducant, cœlestes haud dubiè appellari possunt, à secundo Adamo, Cœlesti, vt Paulus ait, geniti. Considerandum quoque Sacramentum hoc velut palmes ad animas nostras earumque facultates sibi vniendas, propter influxus scilicet, quos iis communicat; hinc maiestatem eius orabimus, vt corda nostra mundare, & luxuriantes propagines vitiorum resecare dignetur. Item vt ramus ex arbore fructifera præcisus, & sterili ac minimè feraci insitus, sicut in mysterio incarnationis factum est, & in hoc quotidie fit. Orandus proinde Deus, ipsum vt animabus nostris inserat, ad fructus vita æterna dignos proferendos. 1. Cor. 15

5. Considerandum, Christum hoc Sacramentum instituisse in pane & vino, qui communes sunt cibi & quotidiani, quòd desideret frequenter id à nobis sumi, eiusq; bonitas postulet, sæpè vt mensam ipsius adeamus, à qua neminem prorsus excludit, sed eam diuitibus æquè ac pauperibus, magnis iuxtà ac paruis communem facit, idque ad animas ipsorum corroborandas. vnde Psalmista, *Panis cor hominis confirmat, & vinum lætificat.* Psal. 103.

MEDITATIO XII.

De sanctissimo Sacramento, quà vitæ æternæ pignus est.

1. COnsiderabo, quòd quemadmodum pignora, quæ homines in debiti cuiusdam securitatem tradunt, reipsa digniora ac maiora sunt; ita Deus noster, etsi in verbis ac promissis fidelis sit, & nequaquam mutationi obnoxius, carissimum tamen & pretiosissimum nobis pignus, filium scilicet vnigenitum, sibi æqualem, idque sub Sacramenti huius speciebus dare voluit, vt quam nobis promisit gloriam, certam redderet. Cogitabimus ergo, quantum adeò liberali ac munifico Domino debeamus.

2. Perpendemus, Sacramentum hoc esse gloriæ quam exspectamus pignus, quòd eius impetrandæ ratio sit: per ipsum namq; præteritorum delictorum veniam obtinemus, à futuro lapsu præseruamur, in gratia quoque conseruamur, & ad mortem vsque perseueramus. Hinc idem apud Ioannem Dominus
Ioan. 6. ait: *Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.* Eius namque vi ac virtute ab omni eo, quod vitæ æternæ contrarium est, præseruamur.

Diuini huius pignoris excellentia etiam longè maior, quia eius in nobis præsentia efficit aliquid, quod est vitæ æternæ velut pars, radix & fons; ipsam scilicet cum Christo vnionem, per gratiam eius, & sancti Spiritus charitatem. Proinde dicendum, ipsum

non modò pignus esse, sed & arrham gloriæ, quæ non priùs tollitur, quàm ipsa solutio paragatur: pignus namque tolli ac redimi potest, at arrhæ in perpetuũ apud accipientem manent, sicut nec charitas, quæ gloriæ arrha, vmquam excidit aut euacuatur.

3. Considerabo, Sacramentum hoc esse arrham gloriæ, in quantum regem gloriæ continet, qui in cælo suos mensæ adhibet, ac diuinitate suâ humanitateque eos replet ac satiat, atque is ipse est, qui & fideles in viuis agentes Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento pascit. Hoc dumtaxat inter vtrumq; epulum discrimen est, quòd in cælo ferculum & cibus oculis claré conspiciatur, in terra verò nonnisi velatus, etsi fidei oculis perspicuus. hîc tamen non minùs quàm ibi anima pro capacitatum diuersarum proportione, & mensura duobus statibus conuenienti satiatur. Excitabimus hîc nos ipsos ad vitam puram ac cœlestem, vt hoc pacto ad diuinum hoc conuiuium vocari queamus.

Datum quoque nobis est in viaticum, velut gloriæ pignus, quando ex hac sumus regione in aliam profecturi, vt fidelis anima, velut alter Elias, hoc pane confortetur, donec ad montem Dei perueniat. Quotiescumque autem ad hanc mensam accedimus, cogitemus, fortè id supremum & vltimum fore, & hoc pacto animam ad deuotionem excitabimus.

ME-

MEDITATIO XIII.

De amore quem Christus in hoc sanctissimo Altaris Sacramento exhibuit.

COntemplare frater mi, ingentem, quem tibi Christus in pretiosi huius Sacramenti donatione declarauit, amorem: in quo semetipsum verum Deum & hominem tibi donando, nihil nec maius, nec animæ tuæ salutarius largiri potuit.

2. Considera, Christi amorem tam flagrantem & effusum extitisse, vt suimetipsius nullam rationem habuerit, quo tuis commodis & vtilitatibus consuleret; nam proditionem suam, quam à Iuda iam conceptam & auspicatam esse nouerat, disturbare atque euertere non curauit; sed ad instituendum pro salute tua venerabile hoc corporis & sanguinis sui Sacramentum, omnes suas curas & cogitationes contulit.

3. Expende tecum, Christo Seruatori satis non fuisse gloriosum corpus suum ad perennem sui memoriam tibi relinquere: verùm etiam voluisse, vt idem corpus animæ tuæ robur & vires conferret, eique pignoris æternæ gloriæ loco esset. Quod euidentissimum ardentissimi amoris illius erga te est argumentum.

4. Considera magnum fuisse inter Iesu Christi erga nos amorem, & nostram ingratitudinem certamen: ille Christum ad huius eximij doni collationem impellebat, hæc verò non donum, sed supplicium flagitabat: sed

ſed vicit amor, quia Chriſtus Saluator, non attentâ ingratitudine noſtrâ, pretioſiſſimo ac ſaluberrimo hoc dono nos impertiuit.

5. Conſidera amorem effeciſſe, vt quamuis auguſtiſſimo hoc Sacramento, neque digni, neque capaces eſſemus, imò propter ſcelera noſtra graues potius pœnas mereremur: nihilominus benigniſſimus Ieſus ex hoc mundo tranſiturus, pro flagellis quibus in nos animaduertere debebat, ſingulari hoc Sacramento nos donauerit.

MEDITATIO XIV.

De ſapientia quam Chriſtus in hoc Sacramento demonſtrauit.

Contemplare anima pia, quomodo pomi vetiti comeſtio nos à Deo ſeparauit, 1.
& è paradiſo terreſtri exturbauit: Sed Chriſtus ſuâ ſapientiâ de alio nobis cibo prouidit, nimirum de ſanctiſſimo Altaris Sacramento, cuius eſus Deo nos coniungit, & ad cæleſtis paradiſi gaudia perducit.

2. Conſidera Chriſti ſapientiam, in eo quod modum ac rationem adinuenit, quo nos in tractatione atque ſumptione ſaluti-feri huius Sacramenti ſecuriores redderet. Si enim ſemetipſum ibi, in gloria & Maieſtate ſua exhibuiſſet, nemo propter diuinæ Maieſtatis ſplendorem accedere auſus eſſet: ſed cæleſtis noſter Moyſes Chriſtus, velo accidentium ſe contexit, vt maiori cum ſecuritate à nobis tractaretur & ſumeretur.

3. Con-

3. Conſidera prætereà, ſi Chriſtus manifeſtè carnem & ſanguinem ſuum in hoc Sacramento nobis propoſuiſſet, neminem facilè ad illius ſumptionem acceſſurum fuiſſe: maluit ergo ſub ſpeciebus panis & vini, quæ ſunt communis hominum cibus, ſe occultare, vt ſic homines libentiùs accederent, atque ad illius ſumptionem inuitarentur.

4. Expende Chriſtum demonſtraſſe ſapientiam ſuam in hoc Sacramento, quia cùm noſſet, aduentu ſuo ceſſatura eſſe omnia veteris legis ſacrificia, inſtituit myſticum hoc Sacramentum, quod ſimul eſſet Sacrificium & Sacramentum; vt veluti Sacrificiū Deum nobis propitiaret, & veluti Sacramentum animas noſtras ſanctificaret.

5. Conſidera Chriſtum in Sacramenti huius inſtitutione, vſum fuiſſe ſapientiâ ſuâ, non vt illam mundo inaniter oſtentaret, neque vt per eam homines attonitos redderet: ſed vt noſtris potiſſimum, vtilitatibus conſuleret: quam ob cauſam ei plurimum òbligati ſumus.

MEDITATIO XV.

De potentia quam Christus in hoc Sacramento demonſtrauit.

1. CONtemplare anima pia, ingentem illorum paucorum conſecrationis verborum efficaciam, quæ à Deo talem acceperūt virtutem, vt Chriſtum de cælis attrahere, & panis ac vini ſubſtantiam in verum Chriſti corpus & ſanguinē tranſſubſtantiare valeāt.

2. Con-

2. Conſidera naturalem accidentiũ proprietatem eſſe, ir hærere ſubſtantiæ; ſed in hoc Sacramento Chriſti potentiam effeciſſe, vt accidentia panis & vini, quæ ſunt, quantitas, figura, color, odor, & ſapor, ſubſiſtant per ſe, ſine ſubſtantia panis & vini, quod eſt ſupra naturæ ordinem, ſed non ſupra Chriſti potentiam.

3. Conſidera alios cibos in ſubſtantiam manducantis conuerti, at Chriſti Saluatoris potentiam effeciſſe, vt cæleſtis cibus huius Sacramenti, dignè manducantem in ſe tranſmutet, ſibiq́ue ſimilem, hoc eſt, ſanctum, ſpiritualem, & diuinum efficiat.

4. Conſidera dæmones tanto ſacræ huius Euchariſtiæ odio incenſos eſſe, vt ſi poſſent, ex omnibus Eccleſiis eam auferrent: ſed tantam è contrario eſſe eiuſdem Euchariſtiæ potentiam, vt dæmones non modò illam formident, ſed etiam eò, vbi illa aſſeruatur, appropinquare non audeant.

5. Conſidera Chriſti potentiam, auguſtiſſimum hoc Sacramentum à quampluri-mis hæreſibus quæ illud impugnauerunt, defendiſſe: nam virtute Chriſti, hæreſes profligatæ, & Sacramentum hoc illuſtrius redditum, clarius agnitum, maioriq́ue in æſtimatione ac pretio apud homines habitum fuit.

MEDITATIO XVI.

De bonitate, quam Christus in hoc Sacramento demonstrauit.

1. CONtemplare anima Christiana, quàm magna fuerit Redemptoris nostri bonitas, in eo quod nobis augustissimum hoc Sacramentum contulit: quam ex doni excellentia cognoscere poteris, quod cùm rem infiniti valoris contineat, sequitur etiam bonitatem, à qua eadem proficiscitur, esse infinitam.

2. Considera eiusdem bonitatis magnitudinem ex circumstantiis intelligi posse, potissimùm ex amore, quo cum cœleste hoc donum nobis impartitus est: is enim quia immensus est, consequitur quoque bonitatem immensam & interminabilem esse.

3. Considera Christum præterea in hoc euidentissimum bonitatis suæ argumentum dedisse, quòd in eximij huius doni collatione, non sua spectauit commoda, sed ad nostram duntaxat vtilitatem respexit.

4. Aduerte Christum ad hæc, quantæ bonitatis sit, demonstrasse in eo, quòd in augustissimo hoc Sacramento, Christianis omnibus se manducandum exponat, ne illis quidem, qui pro tanto beneficio nullas ei gratiarum actiones referunt, ideoque ingratitudinis crimine se conmaculant, exceptis: nam tantò bonitas eius manifestiùs elucet, quantò vniuersaliùs cunctis se communicat.

5. Con-

5. Conſidera modum, quo cum Chriſtus ſe nobis in hoc Sacramento communicat, & inde multò luculentiùs bonitatem illius refulgere conſpicies. Quia vt merita augeret, voluit nos credere, ſe in hoſtia conſecrata verè præſentem adeſſe, vt quoties eum veneraremur, honoraremus, aut adoraremus, toties augmentum gratiæ in terris, & gloriæ in cælis promereremur. quod nequaquam fieret, ſi Chriſtum oculis corporeis in ſacra hoſtia cerneremus.

MEDITATIO XVII.

De humilitate quam Chriſtus in hoc Sacramento demonſtrauit.

COntemplare anima fidelis quomodo Chriſtus diuiniſſimum hoc Sacramentum inſtituturus, tantam in ſe humilitatem exhibuit, vt etiam Angelos attonitos reddiderit. Quia ſurgens à menſa, præcinxit ſe linteo, & ante Apoſtolos ſuos in genua procumbens, ſordidos eorum pedes lauit. 1.

2. Conſidera, quomodo humilis Ieſus quamuis exploratum haberet, iam à Iuda ſe hoſtibus ſuis Iudæis vili pretio venditum eſſe; non tamen in eum excanduit, ſed humillimè tantam iniuriam tolerauit, & in vicem tanti ſacrilegij puniendi, ſemetipſum ei in ſalutifero hoc Sacramento præbuit, vt ſic eum ad lapſus ſui agnitionem reuocaret.

3. Reuolue quomodo Chriſtus Dominus, maieſtatis & excellentiæ ſuæ quodammodo oblitus, non modò ſe nobis in cibum

bum in Sacramento hoc mystico præbuit, sed etiam ab hominibus indignis, sceleratis & sacrilegis, sumi non dedignatur.

4. Expende tecum Christi humilitatem, quoad idem Sacramentum: quia licet in cælis in gloria sua adoretur & colatur ab Angelis; nihilominus quoties Sacerdos consecrat, etiam in terris in sacra hostia verè præsens esse, ac versari ad hominum salutem & vtilitatem non detrectat.

5. Considera, Christum humilem non dedignari, etiam ad Sacerdotis scelerati sacra consecrationis verba proferentis, de cælis in altare descendere: nec prætereca curare, an consecratio in vrbe celebri, magna cum pompa & apparatu: an verò in oppido seu villa, sine vllo apparatu peragatur; quia amorosa humilitas ipsius effecit, vt se cunctis, ad omnes homines iuuandos, accommodaret.

MEDITATIO XVIII.

De liberalitate qua Christus in nos vsus est, in Sacramenti huius donatione.

1. CONtemplare anima mea, quàm liberalis fuerit Christus in nos, quando augustissimum hoc Sacramentum nobis contulit. Etenim non modò sua, sed etiam seipsum illi donare, qui potius supplicium quàm beneficium mercatur, est actus heroicæ atque amorosæ liberalitatis: Talis autem fuit Christi Seruatoris nostri liberalitas,

qui

qui in hoc Sacramento ſe ipſum & omnia ſua nobis immerentibus largitus eſt.

2. Conſidera ſublimiorem adhuc liberalitatis gradum, quando nimirum quis laborat, vt ea quæ non habet conſequatur, eáque deinde alteri impertiatur. Idem Dei Filius fecit: cùm enim in diuinitate ſua corporis & ſanguinis expers eſſet, de cælis deſcendit, humanamq́ue ſibi naturam copulauit, vt corpus & ſanguinem quæ nobis in hoc Sacramento largiretur, haberet.

3. Expende tecum, in eodem Sacramento Chriſtum tres conditiones perfecti liberalis obſeruaſſe, nimirum: Donare multum, Recipere parum, & Nihil repoſcere. Nam ſemetipſum nobis donando, re infiniti valoris eos impertiuit. Recipiendo nos & omnia noſtra, parum recepit: & ea quæ à nobis exigit, ad noſtram duntaxat vtilitatem requirit, ad ſuam verò nihil vult neque poſtulat.

4. Conſidera Chriſtum per venerabile hoc Sacramentum magnâ in Chriſtianos liberalitate vſum fuiſſe, quia plurimi à variis periculis eruti fuêre: non pauci in neceſſitatibus ſuis, præſens auxilium & gratiam ſenſerunt, eò quòd ad auguſtiſſimum hoc Sacramentum confugiſſent.

5. Reuolue tantam eſſe Chriſti Seruatoris liberalitatem, vt hominibus propter infirmitatem ad Eccleſiam, pro huius ſalutiferi Sacramenti ſumptione, quo ex hac vita fæliciter decedant, accedere non valentibus, ægros in domibus ſuis inuiſere non dedignetur, ne tanto ſolatio defraudentur.

MEDITATIO XIX.

De excellentia & perfectione huius Sacramenti.

1. CONtemplare anima Christiana, Deum in dignitate atque excellentia, omnia quæ mundus complectitur, infinitis partibus excedere: & Christi Seruatoris nostri humanitate, in rebus creatis nihil esse perfectius. Cùm ergo in Sacramento hoc Christus, id est, Deus & homo, reuerà contineatur; sequitur, omnibus quæ in mundo sunt, Sacramentum hoc infinities dignius ac perfectius esse.

2. Considera Deum in hoc Sacramento non tantùm per essentiam, præsentiam, & potentiam, quemadmodũ in cæteris rebus est, existere sed etiam alio adhuc singulariori modo, quatenus nimirum sustinet hypostaticè humanitatem Christi: ideoque venerando huic Sacramento, tanquam in excellentia summo, summa quoque adoratio debetur.

3. Expende etiam augustissimum hoc Sacramentum, non modò nullam ab alijs posse perfectionem accipere, quia omnium rerum perfectiones in se continet: verùm etiam perficere ac sanctificare omnia quæ tangit: vti sunt, Calices, Altaria, Corporalia, & similia, ac proinde non est vnicuique licitum illa manibus tangere aut contrectare.

4. Considera, cætera Sacramenta continere atque conferre quasdam tantummodò gratias

gratias & dona ſpiritualia: hoc verò Sacramentum continere in ſe omnium gratiarum & donorum cæleſtium fontem, videlicet Deum: ideoque cæteris excellentius & diuinius eſſe.

5. Revolue tecum, ad ſacratiſsimæ huius Euchariſtiæ excellentiam, perfectionem & dignitatem commonſtrandam, diuinâ ordinatione decretum eſſe, vt huius Sacramenti ſumptionem, aliud Sacramentum, videlicet Confeſsionis, præcedat, quando quis eo opus habet: quod magnum excellentiæ illius argumentum eſt.

MEDITATIO XX.

De magnificentia, qua cum Eccleſia tractat hoc Sacramentum.

CОntemplare anima pia, quomodo S. Eccleſia à Spiritu ſancto gubernata, nihil eorum quæ ad honorandum auguſtiſſimum hoc Sacramentum conferre valeant, prætermittat. Primò enim omnes Eccleſiæ, quæ per vniuerſum terrarum magnificentiſſimè architectatæ ſunt, ad huius Sacramenti cultum ac venerationem præcipuè pertinent. 1.

2. Conſidera magnifica & ſumptuoſa tabernacula, Sacerdotum veſtes ſplendidas, pretioſos pannos, cæteraque Altarium ornamenta, & ſacros Miſſarum ritus ad decentiam & magnificentiam huius Sacramenti inſtitutos eſſe.

3. Reuolue quanta in festiuitatibus, quando in publicum sacrosancta Eucharistia profertur, ad illius venerationem fiant. Quàm solenni cum processione, quanta cum multitudine luminum, quàm festiuo cum campanarum sonitu, & Musicorum melodiis deferatur? Quàm vnusquisque laboret, vt illorum dierum festiuitatem quàm religiosissimè celebret, Christumque maximis quibus potest honoribus prosequatur, vt sic contumelias quas sustinuit, cùm per vrbis Hierosolymitanæ plateas traheretur, resarciat.

4. Considera maximos etiam Principes viso augustissimo hoc Sacramento in genua procidere, vt illud venerentur & adorent; confiteanturque illum esse verum Dominum, à quo omnis ordinata potestas exiitit.

5. Expende omnem hanc magnificentiam & apparatum, qui cælesti huic Sacramento exhibetur, quamuis nihil sit in comparatione eorum quæ meretur, Christum nihilominus acceptare, magnifacere, & tantò gratiorem habere, quantò fructus inde nascens ad vtilitatem animarum nostrarum reuertitur.

MEDITATIO XXI.

Sacramentum hoc dignè suscipientem illuminare.

1. CONtemplare anima pia, quomodo Sacramentum hoc, quia in eo verum mundi lumen præsens est, illuminat mentem suscipientis, omnesque ab ea tenebras effugat;

gat; non aliter ac sol noster visibilis, quando manè exoritur, noctis caliginem dissipat.

2. Considera nihil esse quod tantoperè excæcet animam sicut peccatum: atque inde fieri, quod peccator, dum non videt laqueos & offendicula semitæ per quam ambulat, faciliter ac sæpè impingat, & in alia peccata labatur. Cùm autem sanctissimum hoc Sacramentum peccatum tollat ab anima, sequitur quoque totius cæcitatis causam ab eo amputari, & ex consequenti illuminare.

3. Expende tecum, quomodo duo discipuli euntes in Emaus, Christum comitantem & scripturas explicantem non priùs agnouerunt, quàm Christus eis panem à se consecratum obtulit: *tunc enim aperti sunt oculi eorum & cognouerunt eum:* vt nobis daretur intelligi, panis huius cælestis proprium esse illuminare.

4. Considera iis in locis, in quibus Sacramentum hoc frequentatur, maiorem esse diuinarum rerum cognitionem, hominesque in bonis eligendis & malis fugiendis esse circumspectiores & prudentiores; quod non alia ex causa euenit, quàm quia per hoc Sacramentum clariori cælestium rerum luce collustrantur.

5. Reuolue, quemadmodum oculi debiles & à capitis defluxionibus grauati, solis visibilis aspectu perstringuntur, & magis excæcantur; ita mirum non esse, quosdam à sole iustitiæ, qui in hoc Sacramento præsens est, non modò non illuminari, sed etiam sceleratiores reddi; quia peruersa cum intentione illud intuentur ac suscipiunt.

MEDITATIO XXII.

Sacramentum hoc gratiam dignè sumenti conferre.

1. CONtemplare anima pia, inter omnia creata nihil tibi carius esse debere diuinâ gratiâ, quæ Dei ordinatione infallibili, filium omnipotentis & hæredem regni cælestis te constituit.

2. Considera in glorioso hoc Sacramento non tantùm augeri gratiam, quæ hominem Deo acceptum reddit: verùm etiam (vti rectè affirmat Ecclesia in Antiphona sua) *mentem impleri gratia:* quo nobis innuitur, per hoc Sacramentum superabundantem gratiæ copiam nobis conferri.

3. Expende, ditißimum hoc Sacramentum, quia in se Christum, gratiæ atque donorum cælestium auctorem & scaturiginem, continet, præter gratiam, quæ hominem Dei amicum efficit, alia etiam dona & munera cælestia nobis impertiri.

4. Revolue illa Christi verba: *Qui manducat me, & ipse viuet propter me:* hoc est, per me & sub mea protectione. Quanti autem intersit viuere per Christum, & sub illius protectione, nouit ille, qui Sacramentum hoc frequentans, per gratiam quam percipit, hoc ipsum in se experitur.

5. Considera & illa Christi verba, quæ de Sacramento hoc protulit: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Quibus significauit, diuinißimi huius Sacramenti gratiam, cum hac mortali vita non finiri, sed

transire

transire in cælum, & permanere in sempiternum.

MEDITATIO XXIII.

Sacramentum hoc sumenti auxilium & robur in tribulationibus impertiri.

COntemplare charissime frater, nullum degere hominem (quantumlibet sanctum) in hac vita, qui non aliquibus tribulationibus & molestijs prematur. Neque id mirum. Christus enim caput & Dominus noster, in tota vita sua innumeris aduersitatibus & ærumnis vexatus fuit: æquum igitur est, vt & nos membra & serui ipsius, tribulationibus exagitemur. 1

2. Considera nos à nobismetipsis non esse sufficientes, ad æquanimiter tolerandas aduersitates & tribulationes nostras: ideoque opus nobis esse alterius auxilio, qui velit, sciat, & possit nobis opitulari: cuius auxilium, tanto nobis carius & gratius erit, quantò minoris nobis constiterit.

3. Expende Christum pro sua benignitate, voluisse nobis semetipsum in cælesti hoc Sacramento relinquere, vt nos in omnibus tribulationibus nostris adiuuaret, & consolaretur: ideoque dixit: *Ego vobiscum ero vsque ad consummationem sæculi.*

4. Considera sanctam Ecclesiam, quia non ignorabat quàm præsens auxilium, Sacramentum hoc conferat in necessitatibus, non modò per Clericos, ad illud in tribulatio-

lationibus suis confugere consueuisse: sed etiam foras omnium conspectui exponere solitam esse, vt etiam per sæculares, optatum ab hoc Sacramento robur & auxilium consequatur.

5 Reuolue tecum, diuinissimum hoc Sacramentum, non modò subuenire nobis in necessitatibus & tribulationibus temporalibus, sed multò amplius in necessitatibus animæ spiritualibus. Cùm enim sit cibus spiritualis, fortitudinem & robur spirituale potissimùm confert; vni plus, alteri minus, iuxta vniuscuiusque dispositionem.

MEDITATIO XXIV.

Sacramentum hoc sumentem liberare à peccatis.

1. CONtemplare fidelis Christiane, quid peccatum faciat in anima, & hinc intelliges, quanti momenti sit ab eo liberari. Primùm anima, quæ per gratiam est Dei filia, per illud mancipium Diaboli constituitur, & iure omni regni cælestis, & æternæ beatitudinis, priuatur.

2. Considera, peccatum spoliare animam illâ pulchritudine spirituali, propter quam Deo placet, & ab illo diligitur: eamque reddere tam deformem, vt Deus illam à se repellat, tanquam rem maximè abomimabilem sibique inimicam.

3. Expende tecum, diuinum hoc Sacramentum per gratiam, quam secum adfert, tollere peccatum, & liberare animam ab his

&

& aliis malis innumeris, quorum peccatum causa est: & non modò animam à dæmonis potestate in libertatem vindicare, sed etiam pristinam ei pulchritudinem restituere.

4. Considera cæleste hoc Sacramentum, dum effectus hosce in anima operatur, liberare insuper hominem à multis laqueis & miseriis, quibus inuoluuntur, qui in peccato & Dei offensa viuunt: atque inde fieri, quod, qui sacram Communionem frequentant, vt plurimum sint pacifici & virtutibus multis ornati.

5. Reuolue tecum, salutiferum hoc Sacramentum non modò liberare à peccato præsenti, quia in eo reuerà est Agnus ille *qui tollit peccata mundi*: verùm etiam præseruare à futuro, quia illuminando & corroborando potentias humanas, facit vt homo fortiùs & efficaciùs resistat peccato.

MEDITATIO XXV.

Sacramentum hoc pœnas, post peccatum remanentes, imminuere.

COntemplare pie Christiane, post peccatum per contritionem aut pœnitentiæ Sacramentum dimissum, restare adhuc luendam pœnam temporalem, pro inordinata delectatione in peccatis habita; iuxta illud Apocalypsis: *Quantum glorificauit se, & in delitiis fuit: tantum date illi tormentum & luctum.* 1.

2. Considera pœnam hanc posse exolui

ac deleri, vel in futura vita igne purgatorij, vel in præsenti vita operibus pijs & satisfactorijs. quod priuilegium Deus viuentibus concessit, vt acerba purgatorij tormenta possint euadere.

3. Reuolue tecum Sanctissimum hoc Sacramentum, & diuinum Sacrificium Deo acceptissimũ, habere virtutem delendi pœnã, quæ peccatis nostris debetur, idque vel plus vel minus iuxta suscipientium, aut ad Sacrificium concurrentium deuotionem, & dispositionem.

4. Considera, sacrosanctum Missæ Sacrificium, in quo Sacramentum hoc consecratur, & Deo Patri offertur, non tantùm viuentium, sed etiam animarum purgatorij pœnas tollere atque obliterare: atque inde fieri, quòd multæ animæ huius Sacrificij virtute, indies è purgatorio in cælos euolent.

5. Expende tecum, benignissimum Iesum non modò nos adiuuare ad pœnas, quarum debitores sumus, exoluendas: sed etiam facere, vt nouas pœnas non incurramus: quia dum cælesti hoc Sacramento nos roborat, atque vires nobis ad deuitanda peccata præbet, ab earum quoque pœnis nos liberat.

MEDITATIO XXVI.

Sacramentum hoc esse maximè stupendum, & admirabile mundi opus.

COntemplare anima mea illum, qui in sacra hac Hostia continetur, & maiorem inde hauries stuporem, quàm ex vniuersa mundi machina, quæ cælum & terram, per creationem à Deo productam complectens, sacræ Hostiæ, in qua Christus Iesus Deus & homo, Sacerdotis ministerio transsubstantiatus præsens est, cedit. I.

2. Considera, Verbi quidem Incarnationem, in qua Dei Filius humanam carnem assumpsit, & homo factus est, stupendum fuisse; sed hoc mysterium multò magis obstupendum esse, in quo homo Christum sumit, per quod deiformis, & Dei filius efficitur.

3. Expende tecum, stupendum fuisse opus Redemptionis nostræ, in qua Dominus pro seruis immania tormenta sustinuit; sed multò maioris stuporis esse hoc Sacramentum, quia in illa Dei Filius, semetipsum Deo Patri in Sacrificium obtulit: in hoc verò, hominibus etiam ingratissimis in cibum se offert.

4. Considera multos extitisse Medicos, qui, vt ægro medelam facerent, operam omnem ad hoc contulerunt, vt medicinam, quæ ad infirmitatis depulsionẽ accommodatissima esset, reperirent; sed nemo

eorum ipſe factus eſt medicina: Solus Dei Filius, poſtea quàm innumeros pro nobis labores deuoraſſet, demum in hoc Sacramento voluit ſimul nobis eſſe Medicus, & medicina.

5. Reuolue tecum, non minus obſtupendum eſſe, quòd Sacramentum tantæ Maieſtatis & excellentiæ, tam paucis verbis in momento penè ſine labore conficiatur; præterea quod à Sacerdote, homine videlicet, multis miſeriis & ærumnis ſubiecto.

MEDITATIO XXVII.

Sanctiſſimum hoc Sacramentum nos Chriſto Domino perfectè vnire.

CONtemplare fidelis Chriſtiane, nullam omnino creaturam poſſe obtinere ſuam perfectionem, niſi Creatori ſuo, atque principio à quod dependet, vnita fuerit: ſed ſine illo eſſe veluti ramum abſciſſum ab arbore, qui ſterilis eſt, & confeſtim areſit.

2. Conſidera, cùm huius Sacramenti proprium ſit dignè ſumentem in ſe conuertere, cumque in eo Creator noſter reuerà contineatur, neceſſariò ſequi, quod ſumentem vnum cum illo conſtituat; iuxta illam Chriſti ſententiam; *Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in illo.*

3. Expende tecum, vinculum ſanctæ huius vnionis eſſe charitatem, cuius ſedes eſt in noſtrâ voluntate: ſacramque Euchariſtiam, quia Sacramentum amoris

eſt,

est, ita nos Deo coniungere atque colligare, vt vnius cordis atque vnius voluntatis cum illo nos constituat.

4. Considera verè beatum ac fœlicem illum dici posse, qui per sanctam hanc vnionem, ita Deo vnitur atque sociatur, vt nihil velit, nisi quod Deus vult, & verè dicere possit; *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.*

5. Reuolue tecum, sanctissimum hoc Sacramentum appellari Communionem, hoc est, communem vnionem, quia non tantùm vnit nos per amorem Christo capiti nostro, verùm etiam membra eiusdem capitis inter sese; dum voluntatem nostram ad proximos, veluti nos ipsos, diligendos inclinat.

MEDITATIO XXVIII.

Sacramentum hoc etiam contra inimicos corporis prodesse.

Contemplare anima mea, Venerabile hoc Sacramentum appellari, Hostiam, id est, *Sacrificium contra hostes*, quia reddit nobis Deum adiutorem contra hostes, non tantùm spiritnales, sed etiam corporales, quos, quando expedit, confundit & castigat. 1.

2. Considera quomodo irruentibus Saracenis Assisi, in monasterium S. Claræ, cùm illa, vt à barbarorum incursu sacras Virgines tueretur, sanctissimum hoc Sacramentum, eo in loco, per quem ascendebant,

bant, conſtituiſſet, illi huius Sacramenti virtute profligati fuerint; nonnulli etiam cæcitate percuſſi, in terram præcipites ſe dederint.

3. Expende tecum, quia in ſacroſancta Euchariſtia Chriſtus Ieſus, iuſtorum protector & defenſor, præſens eſt, credibile eſſe, illum etiam eos in omnibus neceſſitatibus tueri, & contra omnes hoſtes protegere.

4. Conſidera, Sanctam Eccleſiam in bellorum periculis, aliiſque neceſſitatibus, & diſcriminibus hoſtium, ad gratam & ſalutiferam hanc Hoſtiam pro auxilio confugere conſueuiſſe: quod non faceret, niſi magnam illius aduerſùm corporeos hoſtes virtutem eſſe intelligeret.

5. Reuolue tecum, ſacram hanc Hoſtiam tum multò amplius virtutem ſuam demonſtrare, quando hoſtes, cum quibus res eſt, infideles aut hæretici ſunt, quemadmodum in Germania & Belgio ſæpè accidit: vbi pauciſſimi etiam milites, de huius ſanctiſſimi Sacramenti virtute confiſi, ſingulares & miraculoſas de ingentibus hæreticorum copiis, victorias retulerunt.

MEDITATIO XXIX.

Sacramentum hoc auxilio nobis eſſe ad conſequendam beatitudinem ſempiternam.

1 Contemplare pie Chriſtiane, finem noſtrum, quia non pro terra, ſed pro cælo conditi ſumus, eſſe vitam æternam, hoc eſt,

est, vitam gloriosam, omnibus delitiis & voluptatibus affluentem, atque omnium bonorum plenitudinem in se complectentem: quæ quoniam ab omni malo libera est, beata vita appellatur.

2. Considera, Christum gloriæ parentẽ, donare vitam æternam, omnibus sanctissimum hoc Sacramentum dignè suscipientibus, quia ipse dixit: *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam.*

3. Expende tecum sanctam Ecclesiam hoc ipsum in Antiphona de venerabili hoc Sacramento confirmare, cùm ait, quòd in eo *Christus sumitur, & futura gloria nobis pignus datur.* Gloria enim & vita æterna in cælis ei conferetur, qui pignus eius in terris acceperit.

4. Considera, Sacramentum hoc appellari etiam *viaticum*, id est, prouisionem ad iter agendum: quia perinde, vt viaticum corporale auxilio nobis est, vt peruenire valeamus ad locum, ad quem pergimus; ita cæleste hoc viaticum opitulatur nobis, vt ad Hierosolymam cælestem, patriam videlicet nostram, pertingamus.

5. Reuolue tecum, ea quæ nos ab æternæ vitæ consecutione maximè præpediunt, esse peccata, & peccatorum pœnas, quæ in purgatorio luendæ restant. Quia verò Sacramentum hoc, vti suprà diximus, peccata tollit, eorumque pœnas imminuit, idcirco ad æternam vitam adipiscendam, nobis est subsidio.

MEDITATIO XXX.

Salutiferum hoc Sacramentum etiam corporis sanitatem conferre.

1\. COntemplare anima mea, Iesum Christum Seruatorem nostrum esse Dominum vitæ ac mortis; sanitatis & infirmitatis: quibus non secus imperat, atque Rex subditis & famulis suis.

2\. Considera mulierem illam Euangelicam, solo vestium Christi contactu, à fluxu sanguinis, quo duodecim annis miserè torta fuerat, curatam fuisse. Si ergo vestimenta Christi sanitatem conferre potuerunt, Sacramentum hoc, in quo corpus, anima, & diuinitas Christi reuerà continetur, eandem efficaciam non obtinebit?

3\. Expende tecum, mortuum corpus Helisæi, solo alterius defuncti hominis attactu, eidem homini vitam reddidisse, atque illum, vti sacræ literæ confirmant, à mortuis ad vitam reuocasse. Si corpus Helisæi exanime talem habuit virtutem, quis neget Christi corpus viuum & gloriosum, non multò maiori virtute præditum esse?

4 Considera, per orationes ad sanctissimum hoc Sacramentum fusas multos ab ægritudinibus suis liberatos fuisse, sicuti legimus de S. Gregorio Nazianzeno, & Gorgonia eius sorore: quorum ille à morbo incurabili, hæc à grauissimis quibus laborabat infirmitatibus exempta fuit.

5. Reuolue tecum, quia in sacrosancta hac Hostia Christus, infinitæ bonitatis ac potentiæ Medicus, reuerà præsens est; certò credendum esse, illum & velle & posse vniuscuiusque infirmitatibus mederi; modò ex parte infirmi adsit debita dispositio, & saluti animæ ipsius id expediens sit.

MEDITATIO XXXI.

Sacramentum hoc malis mortem, & bonis vitam adferre.

COntemplare charissime frater, quomodo, cùm in salutifero hoc Sacramento, 1.
verè contineatur Mundi Saluator, non posse non (quantum ex ipso est) adferre vitam & salutem: quemadmodum omnis bona medicina ad ipsam quod attinet, apta est reddere sanitatem; non autem morborum aut mortis causam esse.

2. Considera non esse Sacramento huic adscribendum, si aliquando mortis aut damnationis causa fiat, quemadmodum in Iuda Apostolo & multis aliis accidit; sed sumentium esse vitium, qui non eo modo, aut eo fine ad quem à Christo institutum est, illud sumunt.

3. Expende tecum, Deum hoc aliquando permittere ad cautelam & instructionem nostram, vt Sacramentum tantæ sanctitatis sanctè tractaremus; & non modò diligeremus tanquam omnis boni fontem, sed etiam timeremus, tanquam mali iustum vindicem.

4. Considera, vt Sacramentum hoc mortis aut alterius mali causa non sit, opus esse, vt sumatur & tractetur mundo corde: Quod vt Christus significaret, antequam Apostolis sacrosanctum corpus suum impertiretur, pedes eorum lauit, quamuis omnes præter Iudam mundi forent.

5. Reuolue tecum, requiri præterea, vt suscipiatur recta & syncera cum intentione, vti sumpserunt illud vndecim Apostoli: & profunda cum humilitate ac viua fide, quemadmodum Centurio Christum suscepit: ac denique cum gaudio & bona voluntate, sicut eum Zachæus excepit, propter quod etiam audire meruit; *Hodiè salus domui huic facta est.*

MEDITATIO XXXII.

De amore ac reuerentia Angelorum erga sanctissimum hoc Sacramentum.

CONtemplare pie Christiane, in augustissimo hoc Sacramento Cælorum Regem reuerà præsentem esse, ideoque indubitanter credendum esse, multos ex beatissimis spiritibus in cælis ei assistentibus, illum circumdare, tanquam seruos & aulicos cælestes.

2. Considera hosce beatissimos spiritus, quoniam infinitam Regis & Domini sui bonitatem clarè cognoscunt, illum etiam summè diligere: & quia amor illorum in alios haud quaquam diuisus est, eundem amorem suum totum, in Iesu amabilissimo

Do-

Domino suo collocare.

3. Expende tecum eosdem Angelicos spiritus, quia huius Regis sui maiestatem & excellentiam perfectè norunt, illum etiam super omnia honorare ac revereri. Et quamuis eum, vti dignum erat, infinito honore prosequi atque ornare non valeant, attamen quod proximum est, nimirum totis viribus suis eum honorant.

4. Considera Angelos in seruiendo Creatori & Domino suo esse diligentissimos: quia cùm seruiant illi ex solo amore, & omne illius obsequium perefficere parati sint, magni beneficij loco habent quòd ei seruiant, & aliquid eis faciendum imperetur.

5. Reuolue tecum, Angelos vehementer cupere, Diuinum hoc Sacramentum à nobis super alia omnia honorari, coli, & æstimari. Ac proinde detestantur illos, qui sacrosancta hæc mysteria nihili pendunt: & è contrario amore singulari complectuntur eos, qui ea & piè colunt & venerantur.

MEDITATIO XXXIII.

De ingenti odio quo Dæmones Sacramentum hoc prosequuntur.

Contemplare pie Christiane, quàm ingenti odio Dæmon in Venerabile hoc Sacramentum incensus sit: quod inde nascitur, quia in eo Iesum iuratum hostem suum, quem incessanter persequitur, quemque in Ecclesia imperare pati non potest, verè contineri nouit. 1.

2. Con-

2. Considera Dæmonem tam molestè ferre Sacramentum hoc à fidelibus venerari, coli, & adorari, vt etiam si mori posset, præ ira & rabie animam exhalaret: ideoque omnem lapidem mouere, vt cultum, honorem, & apparatum, qui huic Sacramento à Christianis exhibetur, impediat aut perturbet.

3. Expende tecum, Dæmonem vehementer odisse omnes qui sacram Communionem piè frequentant; intelligens nimirum, animas eorum cælesti hoc cibo ita roborari, vt parum aut nihil in illis artes atque molitiones suæ proficiant: ideoque spem, illos in partem suam trahendi, deponit.

4. Considera Dæmonem iam inde à principio, totis viribus & armis suis contendisse, vt Sacramentum hoc ex Ecclesia tolleret: quia nimirum perspicit, ab illo tanquam à perenni omnium bonorum fonte, omnes gratias & dona cælestia emanare: ac proinde in inferno singulari cum gaudio dies illa celebratur, quando ciuitas aut prouincia aliqua huic Sacramento renunciat.

5. Reuolue tecum, Dæmonem, quando prorsus tollere non potest sacrosanctam Eucharistiam, vt honorem & deuotionem S. Ecclesiæ erga diuinum hoc Sacramentum quoquo modo impediat, fideles in eiusdem Sacramenti fide tentare: sperans nimirum se hac ratione Christianos in amore ac reuerentia Sacramenti huius infrigidaturum, effecturumque, vt deuotionem erga illud amittant, in mortali peccato communicent,

ac-

ac demum, instar cæterorum hæreticorum, illud contemnant & inhonorent.

MEDITATIO XXXIV.

De virtute huius Sacramenti contra Dæmones, eorumq́ artes & molitiones.

COntemplare pie Christiane, Iesum Christum sæpenumerò solo imperio Dæmones ex humanis corporibus profligasse illosq́ue sine vlla reluctatione impetranti paruisse. Cùm autem in hoc Sacramento idem Christus reuerà contineatur, sequitur eandem quoque in ipso virtutem contra Dæmones contineri. 1.

2. Considera, neque Dæmones, neque veneficia, quicquam posse contra illos, qui diuino hoc Sacramento se muniunt & armant. Ac proinde S. Macarius ad mulierem illam, quæ arte diabolicâ equa esse videbatur, dixit, non alia ex causa id ei accidisse, quàm quòd quinque integris hebdomadibus à sacra Communione se abstinuisset.

3. Reuolue tecum, virtute huius Sacramenti, quamplurimos dæmoniacos miraculosè liberatos fuisse: eosdemq́ue dæmones confessos, in præsentia sacrosanctæ Eucharistiæ nihil se attentare posse, eò quòd vires illorum tunc permodicæ sint.

4. Considera Dæmones optimè Sacramenti huius excellentem virtutem perspectam habere, ideoq́ue nihil directè contra hoc Sacramentum moliri posse, sed alios scele-

ſceleratos homines ad illud inhonorandum inducere.

5 Expende tecum, Sacrum Concilium Tridentinum auguſtiſſimi huius Sacramenti virtutem ac potentiam contra Dæmones, & eorum aſtus atque molitiones exploratam habens, exhortari omnes, qui matrimonium ineuntes, vt piè priùs communicent: quod ad arcenda atque tollenda veneficia, quæ tùm maximè fieri ſolent, plurimum iuuat, efficitque vt in tales inualida ſint.

MEDITATIO XXXV.

Sacramentum hoc excitare, & inflammare mentem ſumentis ad res ſpirituales.

1. CONtemplare anima mea, Sacramentum hoc, quia ſpiritualis & diuinus cibus eſt, generare in nobis alimentum ſpiritus & ſalutis: quia vt plurimum, qualis eſt cibus, tale etiam ſolet eſſe nutrimentum.

2. Conſidera, quoniam Chriſtus Sacramentum hoc amore impulſus nobis reliquit, fieri non poſſe, quin etiam illud in nobis magnas amoris diuini flammas in tantum benefactorem excitet atque ſuccendat: alioqui nimium deteſtanda foret ingratitudo & tepiditas noſtra.

3 Expende tecum, Sacramentum hoc inflammare & inducere nos maximè ad diuinorum mandatorum obſeruationem; quia illi proprium eſt nos Deo vnire; hoc autem nihil

nihil aliud est, quàm nos ad omnia, quæ Deus vult & iubet, perficienda excitare.

4. Considera, Sacramentum hoc, quia æternæ gloriæ pignus est, accendere desideria nostra ad illius gloriæ cupiditatem, & nobis stimulos addere, ad proficiendum per virtutum semitam, ad cælestem patriam, nosque simul, veluti cibum ad iter hoc maiori cum facilitate peragendum singulariter institutum, corroborare.

5. Reuolue tecum, manifestum esse, omnes qui sacram Communionem piè frequentant, cæteris feruentiores, zelosiores, atque virtutum studiis addictiores esse; quòd alteri causæ attribui nequit, quàm gratiæ, quam Sacramentum hoc animabus eorum infundit.

MEDITATIO XXXVI.

Panem Heliæ, Sacramenti huius figuram extitisse. 3. Reg. cap. 19.

CONtemplare piè Christiane, S. Heliam Prophetam, cùm ab impia & crudeli Iezabele ad mortem quæreretur, in desertum profugisse: ibique, cùm subter Iuniperum quandam se fessus coniecisset, à Deo postulasse, vt per mortem ab his angustijs & ærumnis se liberaret. 1.

2. Considera Deum, quo seruum suum Heliam consolaretur, Angelum amandasse, qui ei panem subcinericium & vas aquæ deferret, hortareturque vt comederet,

cò

eò quòd ei grandis adhuc via peragranda foret.

3. Expende tecum, Heliam Prophetam ex panis huius esu ita se roborari sensisse, vt, sacra scriptura testante, in virtute cibi illius, quadraginta diebus ac totidem noctibus, continuò vsque ad montem Dei Oreb ambulauerit, vbi Dominum vidit.

4. Considera hæc omnia figuram huius Sacramenti continere, atque significare cæleste hunc panem à Christo idcirco institutum & nobis collatum esse, vt in tribulationibus ærumnosi huius exilii nos roboraret, atque vires ad perambulandam cælestis patriæ semitam, nobis suppeditaret.

5. Reuolue tecum, illũ qui dignè vescitur sacro hoc pane, nõ modò ab omnibus inimicorum astibus ac deceptionibus liberari, sed etiam in virtute illius, per hanc peregrinationem inoffenso pede ambulare, quousque ad cæleste regnum perueniat, vbi videndo Deum & perfruendo, beatus erit.

MEDITATIO XXXVII.

Agnum Paschalem Sacramenti huius figuram extitisse, Exod. cap. 25.

1. COntemplare pie Christiane, inter alias proprietates, quibus Agnum Paschalem præditũ esse oportebat, etiam hanc extitisse, vt esset sine macula: quo significabatur, Christum, qui venturus erat, vt nos à peccatis liberaret, sine omni peccati labe futurum.

2. Con-

2. Conſidera, eas duntaxat AEgypti domos, quarum oſtia huius Agni ſanguine conſperſa atque inſignita fuerunt, à morte primogenitorum immunes extitiſſe; quo indicatur, eum, qui Chriſti ſanguine notatus & inſignitus ſit, ab æterna morte liberum fore.

3. Expende tecum filios Iſraël, antequam proficiſcerentur ad terram promiſſionis, comedere debuiſſe Agnum Paſchalem, cum ritibus à Deo præceptis: quo figuratur nobis, quo ad cælum peruenire valeamus, opus eſſe manducare Agnum nouæ legis, illa cum præparatione, quam Deus ipſe conſtituit, & ordinauit.

4. Conſidera ex diuina iuſſione Agnum comedi debuiſſe cum pane azymo & lactucis agreſtibus. Quo ſignatur, ad percipiendam ſacram Communionem, neceſſariam nobis eſſe pœnitentiam, id eſt, verum de peccatis dolorem, & propoſitum deinceps non peccandi.

5. Reuolue tecum, illos, qui manducabant Agnum, renibus ſuccinctis, ſtantes, baculoſque manibus tenentes, & calceatos eundem comedere debuiſſe: ita qui Sacramentum hoc ſumit, debet eſſe caſtus, à creaturis liber & expeditus, paſſionum ſuarum dominus, atque à terrenis rebus ſeiunctus & alienus.

MEDITATIO XXXVIII.

Manna, quo Hebræorum populus altus fuit, Sacramenti huius figuram gessisse.

1. COntemplare anima mea, Deum populo suo Israëlitico, post transitum maris rubri in deserto, Manna in cibum præbuisse, quod figuram cælestis huius Sacramenti gessit: quod iis qui per aquam baptismatis transierunt, atque in deserto periculosæ huius vitæ versantur, collatum est.

2. Considera, populum Dei, donec terram promissionis intraret, Manna sustentatum fuisse: quo significatur, populum Christianum sacrosanctâ Eucharistiâ se nutrire debere, quam diu degit in hac peregrinatione, quousque ad cælestem patriam perueniat.

3. Expende tecum, in collectione Mannæ non plus reperisse illum, qui multum collegerat quàm qui parum: ita & in hoc Sacramento quantum accipit, qui magnam hostiam sumit, tantum accipit etiam qui paruam hostiam, aut exiguam illius particulam sumit.

4. Considera Manna non tantùm fuisse cibum suauem, sed omnis saporis suauitatem in se continuisse: sic sanctissimum hoc Sacramentum, quia Christum in se continet, non modò in se perfectum est, sed omnium creaturarum perfectiones in se complectitur.

5. Reuolue tecum, Iudæos qui Manna con-

contemnebant, aut de illo nauseantes murmurabant, seuerè à Deo punitos fuisse: sic etiam omnes, qui venerandum hoc Sacramentum paruipenderunt, & contempserunt, diuinam in se vltionem experti sunt, vti ex quàm plurimis miraculis patet, aut ad maiora, in altera vita supplicia reseruati fuerunt.

MEDITATIO XXXIX.

Arcam fuisse sanctißimi huius Sacramenti figuram. Exodi cap. 25.

COntemplare pie Christiane, Arcam, quæ Christi figura fuit, inauratam atque intra velum tabernaculi collocatam extitisse: quo significabatur, augustissimum hoc Sacramentum, in quo Christus, panis accidntibus quasi velatur & tegitur: inauratio verò, flagrantem Christi charitatem denotat. 1.

2. Considera, in Arca tria extitisse: vrnam auream Manna plenam: virgam Aaron quæ fronduerat: & duas legis tabulas digito Deo scriptas: quo præsignabatur, in Christo futuram plenitudinem sanctitatis: potestatem Sacerdotalem: & auctoritatem legislatoris.

3. Expende tecum, Deum, per hanc Arcam multa beneficia cùm generalia, tum particularia mortalibus præstitisse: ita & Deus non modò dignè Sacramentũ hoc sumentes beneficiis ornat, sed etiã propter illos

integris aliquando Prouinciis & Regnis parcit, ne pro meritis in ea animaduertat.

4. Considera, Arcâ ad Iordanem fluuium applicatâ, aquas diuisas, peruiasque redditas fuisse: adeò vt non modò Arca ipsa, sed totus etiam Israëliticus populus siccis pedibus fluuium pertransierit: ita & diuinum hoc Sacramentum auxilio nobis est, ad præsentis vitæ tribulationes superandas; modò præcedat nos veluti Arca, & non relinquatur à tergo.

5. Reuolue tecum, Deum seuerissimè omnes illos, qui Arcam, vt par erat, reueriti non fuerunt, puniuisse: ita & Deus seuerè in Christianos, qui venerabile hoc Sacramentum, vti decet, non colunt ac venerantur, animaduertit.

MEDITATIO XL.

Farinam Helisæi, Sacramenti huius figuram extitisse. 4.Reg. cap.4.

1. CONtemplare fidelis Christiane, in hac ærumnosa vita, tibi etiam inuito, multas aduersitates tolerandas, atque amaras buccellas glutiendas esse: quæ nimirum sunt peccati protoparentum nostrorum, quod in nos ab Adamo transfusum est, effectus.

2. Considera, inter alias huius vitæ miserias hanc quoque numerari, quòd nemo semper in quiete degat. Elige tibi quemcunque voles statum, omnes adhæc quas desideraueris commoditates in promptu sint; neque sic tamen sine omni molestia viues, sed

ſed plurima tibi etiam contra voluntatem patienda erunt.

3. Expende tecum, quò quis magis huius mundi rebus atque negotiis ſe implicat, eò acerbiùs, aduerſitates superuenientes in corde ſuo ſentit; contrà verò ſpiritualis & mortificationi deditus minùs eas percipit, quia pro Creatoris ſui amore libens voleníque illas tolerat.

4. Conſidera piiſſimum Ieſum, quia hæc omnia explorare nouerat, inſtituiſſe ac donaſſe nobis ſalutiferū hunc panem, qui eſſet vitæ ſpiritualis fulcimentum, ſimulque omnem præſentis vitæ amaritudinem nobis ſuauem redderet.

5. Reuolue tecum, huius panis figuram geſſiſſe farinam Heliſæi, quæ cùm in amaros cibos inſperſa fuiſſet, in dulcedinem eos conuertit: quo factum eſt, vt inuitati vltrà non exclamauerint: *Mors in olla*, ſed ſine faſtidio totos abſumpſerint: ita Sacramentum hoc viris ſpiritualibus, tribulationes huius ſæculi dulces atque iucundas efficit.

MEDITATIO XLI.

Sacrificium Melchiſedech Sacramenti huius figuram extitiſſe, Geneſ. cap. 14.

Contemplare pie Chriſtiane, Melchiſedech in lege naturæ ſimul fuiſſe Regem & Sacerdotem: atque Chriſti 1

figuram gessisse, qui est Rex & Sacerdos, sed non habens necessitatem, pro peccatis suis primo sacrificium offerendi vt cæteri, quia ab omni peccato liber extitit.

2. Considera hunc Melchisedech Abrahamo, cùm post profligatos quatuor reges, è prælio victor & hostium spolijs onustus reuerteretur, obuiàm processisse, atque Deo panem & vinum in sacrificium, & gratiarum actionem pro parta victoria obtulisse.

3. Expende tecum, Melchisedech benedixisse Abrahamo, quòd diuino auxilio roboratus victor redijsset, atque omnia quæ hostes abstulerant, non sine ingenti laude ac gloria sua recuperasset.

4. Considera sacrificium Melchisedech, figurasse primo cruentum illud Christi sacrificium quando corpus & sanguinem suum in humani generis redemptionem obtulit, quâ oblatione diuinæ iustitiæ pro peccatis totius mundi satisfecit.

5. Reuolue tecum, idem sacrificium præsignasse sacrosanctum hoc corporis Dominici Sacramentum; significabat enim Christum nobis corpus & sanguinem suum sub specie panis & vini relicturum, largamque benedictionem omnibus Abrahami filijs, id est omnibus Christi fidelibus impertiturum.

MEDITATIO XLII.

Panes propositionis Sacramenti huius figuram gessisse.

Contemplare serue Dei, in veteri lege à Domino iussum fuisse, vt in mensa tabernaculi proponerentur panes, iique manerent in conspectu Domini, nec vnquam deessent: hi autem panes vocabantur *panes propositionis.* 1

2. Considera, hunc panem fuisse sanctum & sanctificatum: ideoque à mensa, vt recentes ponerentur, sublatus, non omnibus ex eo vesci licebat, sed mundis duntaxat & sanctificatis, maximè verò Sacerdotibus, ad quos hi panes propriè pertinebant.

3. Expende tecum, hunc panem figuram gessisse Sacrosancti panis nouæ legis, quem Deus in altari S. Ecclesiæ consecrari & asseruari voluit, vsque ad finem mundi, in animarum nostrarum cibum spiritualem.

4. Considera, quemadmodum illo pane nemo nisi mũdus vesci poterat: ita & ad sanctissimum hoc Sacramentum manducandum, necessariam esse cordis munditiem; alioqui erit sumenti mors animæ & ruina corporis, quia sine debita præparatione sumitur.

5. Reuolue tecum, si illis panibus antiquæ legis, qui huius Sacramenti figuram gesserunt, & in substantia nihil aliud erant nisi panes, tantus honor deferebatur, quantus honor

honor huic noſtro ſacro-ſancto pani, ſub cuius accidentibus Chriſtus Dei filius verè continetur, deferendus erit?

MEDITATIO XLIII.

Quanta fiducia collocanda ſit in ſanctiſſimo hoc Sacramento.

1. CONtemplare fidelis Chriſtiane, nullam omnino creaturam poſſe reſiſtere, nedum vincere Chriſtum Seruatorem noſtrum: quia quatenus Deus, omnipotens eſt, & quatenus homo, data eſt illi *omnis poteſtas in cælo & in terra:* ac proinde ſecurus eſt, quicumque ab illo defenditur.

2. Conſidera ſacras literas teſtari, neminem vnquam in Domino ſperaſſe & confuſum fuiſſe: quia ille non minùs clemens & benignus, quàm potens & promptus eſt ad ſuccurrendum omnibus neceſſitatibus noſtris, modò nos nullum obiiciamus impedimentum.

3. Expende tecum non aliam ob cauſam Chriſtum ſe nobis in hoc Sacramento relinquere, atque nobiſcum vſque ad mundi finem manere voluiſſe, quàm vt nos protegeret & adiuuaret in neceſsitatibus noſtris cùm ſpiritualibus, tum temporalibus.

4. Conſidera nos omnem fiduciam noſtram in illo conſtituere debere, quia Pater noſter eſt, & amantiſsimus Pater; nos autem filij eius: ac proinde magnâ illum afficeremus iniuriâ, ſi in tribulationi-

tionibus noſtris, ad eum ingenti cum fiducia non confugeremus.

5. Reuolue tecum illa ſacræ ſcripturæ verba: *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet:* & cogita Deum, quia veritas infallibilis eſt, non poſſe promiſsioni ſuæ deeſſe, ſed omnia quæ pollicitus eſt, perfectè adimpleturum.

MEDITATIO XLIV.

De honore qui debetur auguſtiſſimo huic Sacramento.

CONtemplare Anima Chriſtiana, honorem propriè deberi virtute conſpicuis & in perfectione conſummatis: quia verò in hoc Sacramento, ille, qui omnium virtutum auctor & largitor, atque totius perfectionis pelagus eſt, reuerà continetur, rationi conſentaneum eſſe, vt illi omnem honorem, venerationem ac reuerentiam exhibeamus. 1.

2. Conſidera, ſi maiores noſtros honore afficere tenemur, multò magis honorandum nobis eſſe hoc Sacramentum, in quo præſens eſt Dominus noſter, Pater noſter, Creator noſter, & Deus noſter, à quo corpus, animam, & omnia quæ poſſidemus accepimus.

3. Expende tecum, Chriſtum noſtri cauſâ in omni vita ſua à Iudæis ſpretum, inhonoratum, & multis contumeliis affectum fuiſſe; decere igitur, vt in tot contemptuum, pro noſtri amore ſuſceptorum,

 & to-

& toleratorum aliqualem repensionem totis viribus eum honorare & adorare studeamus.

4. Considera quàm plurimos, etiam in hac vita propter honorem venerabili Sacramento exhibitum, prosperis succesſibus vsos fuiſſe, vti suprà diximus de domo Austriaca. Et è contrario multos propter eiusdem contemptum & paruipensionem, horrendâ & subitaneâ morte sublatos fuiſſe.

5. Reuolue tecum omnem honorem, quem Sacramento huic exhibemus, ad nostram vtilitatem reuerti; quia hîc in terris gratia, & in cœlis gloria remuneratur. Errat igitur, qui propter molestiam, vel socordiam huic Sacramento debitum honorem ac reuerentiam præstare, ac in illius cultu laboris aliquid subire detrectat.

MEDITATIO XLV.

Sanctiſsimum hoc Sacramentum ſæpè ſumendum eſſe.

1. Contemplare pie Christiane, Christum instituiſſe atque donaſſe nobis Sacramentum hoc in cibum, vt animam nostram in spirituali vita conſeruaret: ideoque necessarium eſſe frequenter illo veſci, quemadmodum ad corpus in corporali vita conſeruandum, neceſſaria est frequens comestio.

2. Considera nos Sacramentum hoc frequentando, rem facere Deo gratiſſimam: quia hunc in finem tantum thesaurum nobis reli-

reliquit: cùm enim salutem nostram deside-
ret, desiderat etiam vt medijs ad eam conse-
quendam pertinentibus vtamur; quorum
efficacissimum est, huius Sacramenti fre-
quentatio.

3. Expende tecum, nihil esse vtilius &
efficacius ad conseruandum nos in gratia
Dei (quæ est maximum huius vitæ bonum)
quàm sæpè communicare; in sacra enim
Communione Christus accipitur: qui quo-
tiescunque sumitur, nouam gratiam & cœ-
lestia dona infundit.

4. Considera Dæmonem, quia fructus
quos diuinum hoc Sacramentum animæ ad-
fert probè nouit, varijs artibus ac tentatio-
nibus ab eius cultu & sumptione nos auo-
care conari: dum aliquando circa illius fi-
dem nos tentat: nonnunquam grauem ac
molestam nobis videri facit præparationem
ad illud dignè sumendum; quandoque verò
ad illius sumptionem de die in diem pro-
crastinandam nos impellit.

5. Reuolue tecum, propter fastidium
à saluberrimi huius Sacramenti perceptione
se abstinere, præterquam quod malignis spi-
ritibus gratissimum sit manifestum præbere
indicium valde exigui & imperfecti amoris:
quia qui Christum verè diligit, ei coniun-
gi, & vniri appetit.

MEDITATIO XLVI.

Sanctissimum hoc Sacramentum optimum esse remedium in omnibus malis & miserijs nostris.

1. CОntemplare fidelis Christiane, hominis conditionem, & inuenies verissimum esse, quod S. Iob ait: *Breui viuens tempore, repletur multis miseriis, & numquam in eodem statu permanet.* Quare nisi iuuetur, semper de malo in peius ruit; quia degit in exilio, & tribus potentissimis hostibus circumdatus est.

2. Considera mala animæ, cuiusmodi sunt inordinatæ passiones, quæ ita eam oppugnant, vt nullam ei quietem permittant. Adde, quòd à seipsa eas superare non valeat, propter potentiarum imbecillitatem & mentis ignorantiam.

3. Expende tecum miserias corporis, vti sunt sensuum ad malum propensio, continuæ infirmitates, esse calori & frigori obnoxium, necessitas bibendi, manducandi, & dormiendi, quæ omnia tanto amplius hominem affligunt, quanto minùs eis prouidere potest.

4. Considera cælestem nostrum medicum Iesum Christum, salutari sanctissimi huius Sacramenti medicinâ omnibus his malis prouidisse: quia homo per gratiam & alia dona cælestia, quæ Sacramentum hoc impertit, spiritualis redditus, non difficulter, virtute solâ roboratus omnia hæc mala vincit.

5. Re-

5. Reuolue tecum, Sacrosanctæ Eucharistiæ remedium, non modò mala præsentia tollere, sed etiam futuris prodesse: quia sic roborat animam & potentias illius confirmat, vt facili negotio cunctis hostibus resistant.

MEDITATIO XLVII.

In illa verba, Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum.

CONtemplare pie Christiane, Angelorum panem esse Deum, cuius visione ac fruitione Angeli beatificantur: appellatur autem panis, quia quemadmodum noster panis vitam conseruat corporalem, ita hæc visio vitam in illic beatam conseruat.

2. Considera singulare illud beneficium quo te Deus afficit, cibando te pane Angelorum in hoc exilio, vbi è Paradiso exterminatus, panem terrenum *in sudore vultus tui* manducare cogeris.

3. Expende tecum, hunc Angelicum non modò fauorem, sed etiam magna commoda secum adferre, quia dignè manducatus, vitæ æternæ causa nobis est, iuxta illud Saluatoris: *Qui manducat hunc panem viuet in in æternum.*

4. Considera Angelos non solùm molestè non ferre, neque nobis inuidere, quòd illorum pane vtamur, sed etiam vehementer inde lætari, conformando se Dei voluntati, qui hunc panem nobis donauit.

5. Reuolue tecum, ad dignè manducandum panem Angelorum non sufficere qualemcumque præparationem, sed necessariam esse Angelicam puritatem: necessariam esse sanctam intentionem: necessariam esse flagrantem charitatem. hac enim ratione confert æternam ac beatam vitam.

MEDITATIO XLVIII.

In illa verba, Homo quidam fecit cœnam magnam. *Luc. cap.* 14.

1. CONtemplare fidelis Christiane, illa verba Apocalyps. *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.* Quia enim ille est Agnus *qui tollit peccata mundi*, à peccatis suis liberabuntur, & ex consequenti gratiam, quæ beatitudinis principium est, adipiscentur.

2. Considera Regẽ ægrè tulisse, quòd hi qui inuitati fuerant, nollent venire, ideoque iratum fuisse: sic etiam Deus molestè fert, & indignatur illis, qui pluris facientes bona terrena, quàm hoc Sacramentum, ad sacram communionem accedere negligunt.

3. Expende tecum, quemadmodum illi qui malè tractarunt seruos Regis, à quibus ad cœnam vocati fuerant, à Rege missis, exercitibus deleti ac perditi sunt: itaquoque illis, qui contra eos, à quibus ad sacram Communionem inuitantur, murmurant, euenturum esse: quia à Deo iuxta iniquitatem suam aliquando seuerissimè punien-

4. Con-

4. Considera, ad sacram cœnam Agni accedendum esse cum veste nuptiali, hoc est cordis puritate, quæ sit charitate ornata, & humilitatis pellibus tota suffulta: alioqui *ligatis manibus & pedibus* proiicieris in tenebras exteriores, *vbi erit fletus & stridor dentium.*

5. Reuolue tecum, Agnum hunc, quem in sacra Hostia sumis, futurum aliquando Iudicem tuum, atque omnes tuas actiones iudicaturum esse: decere igitur, vt modò illum honores & deuotè suscipias, vt amanter illum tractando, propitium in necessitatibus tuis inuenias.

MEDITATIO XLIX.

Sanctissimum hoc Sacramentum Arbori vitæ simile esse. Gen. cap. 2.

CONtemplare anima Christiana, Deum, quando cœlum & terram creauit, simul condidisse terrestrem Paradisum, hoc est, locum quendam amœnissimum, multis arboribus consitum, cuius fructus aspectu pulcherrimi, & gustu suauissimi erant; idque ad hominis vsum ac ministerium.

2. Considera in medio Paradisi Deum constituisse Arborem vitæ, quam credibile est, admirandæ fuisse pulchritudinis; quando quidem in optimo Paradisi loco collocata fuit.

3. Expende tecum, Arboris huius fructus, virtutem habuisse vitam hominis ita con-

conseruandi, & prolongandi, vt sine infirmitatibus, sine morte, sine molesta senectute, semper sanus, fortis & vegetus vitam traduceret.

4. Considera in medio Ecclesiæ, quæ est Paradisius salutis, à Christo institutum fuisse Altaris Sacramentum, quod cætera Sacramenta dignitate atque perfectione antecellit.

5. Reuolue tecum, Sacramenti huius fructum non modò conseruare vitam temporalem, sed etiam homini dignè illud sumenti, vitam æternam ac beatam in cœlis conferre; quod arbor vitæ facere nequibat.

MEDITATIO L.

Illa S. Ecclesiæ verba; O Salutaris Hostia, quæ Cœli pandis ostium.

1. CONtemplare Charissime frater, peccatum inter alia mala hæc duo efficere: Vnum est, quòd mortem adfert animæ: quia tollit ab ea gratiam, & charitatem, quæ vitam spiritualem ei conferunt. Atque hinc est, quòd peccatum appellatur mortiferum: Anima etiam dicitur mori spiritualiter.

2. Considera, alterum malum, quod peccatum efficit, esse: quòd Cœlum claudit peccatori, qui quoniam Deo per peccatum rebellat, ius regni Cœlestis amittit: ideóque hac hæreditate exclusus, Cœlorum portæ meritò illi obserantur.

3. Expende tecum, sanctissimum hoc Sacramentum inter alia commoda, duo bona, duobus hisce malis opposita, secum adferre. Quorum prius est, quòd animæ salutem tribuat; non aliter atque cibus corporeus salutem & sanitatem corpori impertit: ideoque rectè de illo canit Ecclesia, *O salutaris hostia*: quia nimirum salutem confert.

4. Considera alterum salutaris huius hostiæ bonum esse, quòd Cœlum reseret: quia dum gratiam animæ largitur, simul etiam ius ad cœlestem hæreditatem illi tribuit: ideoque rectè de illa dicitur, *Quæ Cœli pandis ostium*.

5. Reuolue tecum, quia homo in hac vita nihil maius & eximius sperare potest, quàm esse in gratia Dei, & Cœli ianuam habere apertam: magna in æstimatione habendam illi esse salutarem hanc hostiam, à qua vtrunque dependet.

MEDITATIO LI.

De Venerabili Sacramento, quatenus datur pro Viatico.

1.

CONtemplare fidelis Christiane, nullam horam homini periculosiorem esse quàm horam mortis, quando nimirum ex hac vita ad aliam transiturus est: tum enim sensus deficiunt, & dæmonum tentationes augentur, ac proinde plurimi salutis suæ iacturam faciunt.

2. Con-

2. Considera veram causam, cur alij in cœlesti paradiso, alij verò in inferno constituti sunt, non aliam esse, quàm quòd illi in gratia Dei; hi verò in eiusdem offensa spiritum reddiderunt: magni igitur interest, benè vel malè ex hac vita egredi: ex eo enim vel æterna salus, vel sempiterna damnatio nostra dependet.

3. Expende tecum, benignissimum Iesum, quia non ignorabat, nostrum in hoc itenere conficiendo periculum, prouidisse nobis de cœlesti hoc viatico, vt per illud ad benè ac fœliciter id peragendum iuuaremur, & ab omnibus periculis eximeremur.

4. Considera, nihil tantoperè audaciam Dęmonum in mortis articulo comprimere, quàm S. Communionē: quia in illa Saluator noster, qui salutem nostram ardentissimè desiderat, præsens est, & nos contra malignorum spirituum astus ac molitiones munit & roborat.

5. Reuolue tecum, quòd cùm Christus sit *Via, veritas, & vita*, æger qui eum in sacra Hostia dignè suscipit, talem secum habens viæ comitem, securus esse possit, se à vera semita non aberraturum, nec vllis inimicorum fraudibus circumueniendum; nec denique mortem æternam incursurum esse.

MEDITATIO LII.

Sanctissimum hoc Sacramentum non tantùm viuis, sed etiam defunctis prodesse.

COntemplare serue Dei, sacræ huius Hostiæ virtutem hac vita non terminari, sed etiam in alteram vitam se extendere: quia Christus, qui in ea reuerà præsens est, non tantùm in hac, verùm etiam in altera vita dominatur: & illi inclinant se omnes creaturæ, in Cœlo, terra, & inferno. 1.

2. Considera, omnes illos, qui in diuina gratia moriuntur, & pro peccatis suis in hac vita nondum plenè satisfecerunt, etiam si ea confessi fuerint, in altera vita in Purgatorij pœnis id luituros esse: cuius ignis, quia cum Inferni igne idem est, purgando incredibiliter cruciat animas.

3. Expende tecum, Purgatorij pœnas tam graues & acerbas esse, vt omnes præsentis vitæ pœnas longè superent. Imò vti quidam SS. Doctores aiunt: Minima Purgatorij pœna, plus quàm quælibet huius vitæ pœna cruciat: ac proinde maluerunt electi annis multis in maximis huius vitæ afflictionibus & cruciatibus persistere, quàm vel vno aut duobus diebus in Purgatorio.

4. Considera, Animas in Purgatorio constitutas, dum vident se à Cœlesti gloria retardari, propter negligentiam in peccatis per pœnitentiæ opera expiandis, admissam, vehementer affligi. Hæc autem pœna quam

quam pœnam damni vocant, maior eſt illo cruciatu quem ab igne patiuntur: ob ingens deſiderium quo tenentur, videndi Deum.

5. Reuolue tecum, Sacroſanctam hanc Hoſtiam poſſe liberare ab omnibus his pœnis & anguſtiis: quia pro animabus in Purgatorio detentis oblata, ad luenda peccatorum debita illis opitulatur: atque inde fit, quòd multæ animæ ſanctiſſimi huius Sacramenti virtute à pœnis illis exemptæ, ad regna Cælorum euolent.

FINIS.



PANIS QVOTIDIANI,

SIVE

SACRARVM MEDITATIONVM LIBER QVARTVS.

PRO FERIA SEXTA

MEDITATIONES Quinquagintaduæ de Paſſione Domini Noſtri Ieſu Chriſti.

Ex compendio Ludouici de Ponte à P. Nicolao de Arnaya c ompoſito.

MEDITATIO I.

Qomodo Dominus Ieroſolymam aſcenderit, Matth. 22.



Ogitabo ; cùm iam tempus præſtitutum veniſſet, quo pro ſalute hominum Redemptor mortẽ ſubire decreuerat, ſciens ipſe Iudæos in necem ſuam iam certò conſpiraſſe, ex oppido Ephrem, quò cum Apoſtolis conceſſerat, tanta cum feſtinatione Ieroſolymam aſcendit, vix vt eum ſui ſequi poſſent. promptam hic 1.

hic obedientiam, & mentis feruorem ostendit, quo actus morti se offerebat diuini amoris æstuans desiderio; hoc stimulante ad tormenta properabat, docebatque, in pœnis interioribus & exterioribus tolerandis, omnium se hominum primum fuisse. Festinare porrò tantopere voluit, vt suos Apostolos doceret exemplo, qui ipsum sequi pro viribus nitebantur, metum omnem & pusillanimitatem mentis abiicientes, & amore eius æstuantes. Hanc illorum imitemur constantiam.

2. Perpendam, quomodo Saluator apertiùs quàm aliàs Apostolis declararit, se mori debere, vt hinc viderent, semper illum passionem ob oculos & in mente habuisse, & sæpè de eadem studiò locutum, quasi de eadem non nisi cum voluptate loqueretur; tum vt illos in hac opinione ac fide confirmaret, se tormenta & iniurias pati debere; quod illis creditu videbatur difficilius, quàm mirabilia quæ in illo spectabant; denique vt suam ad hunc conflictum sustinendum constantiam pararent.

3. Meditabor, Apostolos hæc audientes nihil prorsus intellexisse, quo ad sensum passionis, cuius fructum nondum capiebant; sicut & hodie permulti sunt, qui pœnosæ Saluatoris mortis mysterium nec intelligunt, nec penetrant, etsi eam legi audiant. Hæc Apostolorum ignorantia à metu, quo ignominias mundique contemptum horrebant, procedebat, hinc Petrus palam dicere non est veritus, cùm Dominum de passione sua loquentem audiret,

Absit

Absit à te. Verùm illum Dominus reprehendit, à se reiecit, & Satanam nuncupauit, quasi diceret: Non concipis rem vti reuerà est, sed humanitus eam & vili quadam ratione diiudicas, vti facere solent, qui nonnisi terrestria & mortalia comprehendunt. Hinc discam, quanti passionem suam faceret Redemptor, quoque apud nos esse ea debeat loco, & quomodo illi habendi, vt aduersarij, qui nos ab eadem abstrahere satagunt.

MEDITATIO II.

De glorioso Domini in Ierusalem cum ramis palmarum introitu. Matth. 21.

CONsiderabo, Saluatorem introitum hunc splendidè ac magnificè instituere voluisse, quinque antè quàm mortem oppeteret diebus, quando agnum paschalem ad sacrificium destinatum commedere debebat, vt suum patiendi desiderium ostenderet, quaque se animi alacritate tormentis, quæ illum manebant, offerret, quo Patri suo obediret, & pro hominum salute satis faceret. Ostendere quoque volebat ardens amoris sui incendium; quandoquidem ignominiæ, iniuriæ & opprobria, quæ iam antè Hierosolymæ subierat, ipsum extinguere non potuere. Docere etiam voluit, afflictiones pati, & à mundo contemni, ad Dei voluntatem complendam, perquam honorificum, & coram diuinæ maiestatis oculis, coram angelis & sanctis, gloriosum esse, qui proptereà in aduersitatibus gaudebant, & gloriabantur. Denique glorio-

gloriosum hunc introitum fecit Saluator, vt eo maior eius ignominia foret & opprobrium, in quo ardentẽ charitatẽ patefecit.

2. Considerabo, illum ad introitum hunc faciendum, duos pręmisisse discipulos, vt ad se asinam adducerent, super quam sedit, vilibus Apostolorum palliis instratam, & velut triumphans vrbem ingressus est, in quo suam ipse paupertatem, humilitatem & mansuetudinem manifestauit, per quæ signa cognosci debuit, si oculos mundus ad ipsum cognoscendum habuisset. Talis scilicet fuit currus triumphalis, quo rex regum vrbem inuectus est, qui antè semper pedes iter confecerat, fastum & vanitatem omnem mundi detestatus, nosque ad imitandum excitans.

3. Cogitabo, innumeram hominum multitudinem illi obuiam prodiisse, quæ illum exciperet, diuinitus inspiratam; horum aliquos vestes per viam, quam transiturus erat, strauisse, alios ramos ex arboribus præsecuisse, alios palmas manibus in victoriæ signum gestasse, & vnâ voce cantasse, *Hosanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.* Hic videre licet, quàm sit de honorando Filio Pater cœlestis sollicitus; quem sicut recèns natum angelicâ harmoniâ recreauit, & laudauit, ita tempore mortis instantis hominibus inspirat, vt eius victorias celebrarent. Quibus omnibus congaudeamus oportet.

Cogitabo, ecquæ populi huius fuerit deuotio, qui Dominum quibuscumque poterat modis honorabat, vt & vestibus se suis nudaret, quas pertranseunti Domino

no prosterneret. Hinc diuinæ inspirationis, quæ corda mortalium tam potenter immutat, vis elucet.

Ecquæ Pharisæorum fuerit cæcitas; qui ad hæc furebant inuidiâ, Saluatorique suggerebant, vt populo silentium imponeret; quibus ille, *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* ad maiestatem namque eius spectabat gloria, quam diabolica illorum rabies extinguere nitebatur.

MEDITATIO III.

Quomodo super ciuitatem Ierusalem fleuerit Dominus Luc. 19.

COgitabo, sæpiùs Redemptorem fleuisse, in præsepio, in cruce, in Lazari resuscitatione, & modò cùm tanto omnium plausu excipitur. in quo patefecit parum se honorem & plausum popularem curasse, simulque infinitam caritatem suam prodidit; hinc gaudens, quòd adeò vicinam esse mortem cerneret, quam pro hominibus oppeteret; inde verò infaustam illorum dolens vicem, qui necem illis essent illaturi. Cogitabo hîc itaque illum ob peccata mea plorasse, quæ in intellectu suo diuino velut præsentia & coram habebat.

2. Excutiam illa verba, *Quoniam si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* quasi diceret: Si nosses quæ ego noui, tu ipsa plorares haud dubiè,

ſicut ego iam ploro. Si ſcires, ecquæ tibi inſtet felicitas, libenter ac gratanter illam admitteres. ſed per peccata tua fit, vt hoc ab oculis tuis abſconditum ſit. Hinc peruicax & obdurata, calamitatem non gemis, nec ſalutem tuam quæris aut admittis.

Conſiderabo, quomodo tunc vrbis huius miſeræ cladem prædixerit, dicens, illam penitus euertendam, vt non eſſet lapis ſuper lapidem manſurus, quòd viſitationis ſuæ noluerit tempus agnoſcere. Hæc mihi ipſi applicabo, ac cogitabo; Si Redemptor temporalem Hieroſolymæ deſtructionem & cladem tam amarè plangat, quibus lacrymis æternam eius miſeriam, quæ alio in mundo eam manebat, plorare debuerit.

3. Hinc rectà Dominus templum petit, vt Patri ſuo gratias agat, vbi plures cœcos, claudos, &c. ſanitati reſtituit; vt ſcilicet latentis diuinitatis ſuæ veritatem patefaceret, etſi Scribæ & Phariſæi æmuli hæc carperent, impedire volentes, ne paruuli in eius laudes prorumperent. Perpendam, cùm poſt ſolemnem hunc plauſum, toto Dominus die in templo manſiſſet, docens, & miraculoſa patrans opera, nullum omnino fuiſſe ex tanta hominum multitudine, à quo ad cœnam vocaretur exhauſtum corpus refecturus: dum nemo non Phariſæorum rabiem veretur; hinc in Bethaniam ſecedere coactus eſt, duobus paſſuum millibus ab vrbe diſtantem. Hinc

apparet,

apparet, quo se erga homines gerat Deus modo, & quomodo viciſſim homines erga Deum.

MEDITATIO IV.

De cœna Domini in Bethania. Matth. 26.

Conſiderabo, quomodo Domino in domo Magdalenæ diſcumbente, non multo pòſt quàm frater eius Lazarus à mortuis eſſet reſuſcitatus, ipſa ingratam tanti beneficij memoriam pretioſo vnguento nardino pedes eius vnxerit, deinde crinibus eoſdem exterſerit, vti iam antè in conuerſione ſua fecerat. Vnxerit ad hæc caput eius, adeò vt domus tota vnguenti nidorem exhalarit. Piam hanc Magdalenę actionem imitari nos par eſt, cordis noſtri pyxidem dolore & delictorum noſtrorum contritione diffringendo, appetitus ſenſuales conterendo, & pœnitentiâ ac mortificatione corpus macerando, vt ſanctæ religionis noſtrę domus ſuaui virtutum odore repleatur.

2. Conſiderabo, quomodo diſcipuli ignoranter Magdalenæ factum damnarint, ac præſertim Iudas; iique prauâ intentione, dum eam profuſam & indiſcretam nuncupat, & vnguenti huius venumdati pretium in pauperes eam potius effundere debuiſſe arguit. Quâ ſugillatione tacitè Dominum Ieſum ſceleſtus

hic sycophanta carpebat; erat enim fur, sacrilegus & in sancta congregatione, ad quam vocatus, erat, proprietarius, primumque alijs prauum exemplum dedit, totam domum, Magdalenam æmulatus, tetro murmurationis suæ fœtore replens. Hinc discam neminem temere iudicare, nec sinistram in partem interpretari, quod in bonam non incommodè sumi potest.

3. Meditabor, quomodo Magdalenam Dominus defendendam susceperit, tacentem interim dum patronum eius Dominus agebat, ostenderitque suam erga clientes suos fidelitatem, illorum dum causam velut suam agit, & erga discipulos benignitatem, dum blandè eos corripit, quòd ad Iudæ perfidi vocem comoueri visi essent. Quomodo item in Magdalenæ honorem conuerterit id, quod murmuratrix lingua in illa culpare decreuerat; promittens, pium hoc eius opus per vniuersum orbem deprædicandum; ostendensque honorari à se eos qui ipsum honorarunt, & amplissimè compensari præstita sibi ex amore & pietate obsequia.

ME-

MEDITATIO V.

Iudas Dominum triginta denarijs vendit.
Matth. 26.

COgita, quis vendatur; ipse scilicet Do- 1.
minus ac Redemptor noster Iesus Christus, totius vniuersi dominator, cuius esse & pretium cogitatione comprehendi nequit. Venditus est perfidè, non secus ac vile quoddam mancipium, idque vt contumeliosâ hac iniuriâ satisfaceret iniurijs quas diuinæ maiestati irrogamus, dum animas diabolo, tot committentes delicta, vendimus; vtque nobis humilitatis daret exemplum, quæ sanè maior & profundior esse non poterat, quàm vt seruorum instar, auro se venum dari sineret.

2. Meditare, eò ignominiam hanc indigniorem fuisse, quòd ab vno Apostolorum venditus sit, in quem permulta contulerat beneficia; & crimen hoc admisisse Iudam, quòd scelestæ auaritiæ omnium peccatorum radici, in animo suo locum dedisset, pecuniæ dum inhiat, & de piorum eleemosynis in Dominum collatis furatur. Inde eum ad summum malorum venisse, vt & Dominum suum hostibus exiguo pretio vendiderit. Hinc discam periculosum admodum esse, si Religiosus proprietati rerum animum applicet: item nullum in orbe locum esse, in quo quis tutus sit: Lucifer quippe cœlo excidit, Adam paradiso

pulsus est; Iudas denique ab Apostolorum collegio recessit. Hinc metuere nobis ipsis debemus.

3. Perpende diabolum Iudæ hanc suasisse nequitiam, vt animæ eius perniciem crearet, quam auaritiæ & proprietatis laqueis irretiuit, idque ex odio, quo Redemptorem prosequebatur, cui necem machinabatur, & Apostolum vnum rapere illi contendebat. Credendum porrò, nefandum hoc scelus ab impostore ratione quadam coloratâ Iudæ persuasum, quasi magnum inde bonum, vtilitas & commodum promanatura essent (quod Satanæ perfamiliare) vt tandem Iudas manus illi dando cesserit.

4. Considera, quibus venditus sit Dominus, simul in quem finem scelesta hæc nundinatio peracta. Neque enim dulcissimæ matri fuit venditus, quæ centum mille vitis eum emisset, nec amicis, sed capitalibus inimicis, sanguinis sui sitientissimis, & memoriam eius de terra delere cupientibus. Quæ circumstantiæ hanc Domini iniuriam incredibiliter aggrauant, tum quòd Iudas de discipulorum esset numero, tum etiam quòd accusatione falsâ, & criminationibus illum facinus suum texisse credibile sit, quòd videlicet ipse ab eius schola se subduceret, quia ipsum legis transgressorem, voratorem, & potatorem in conuiuijs, &c. esse videbat.

5. Attende pretij vilitatem, quo & Iosephus à fratribus fuit venditus, & ipsum

erat,

erat, quo occisi serui vita redimebatur. Auget verò iniuriam, quòd venditor ipse pretium emptorum voluntati remiserit, dicens: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* quasi diceret; Date mihi quod lubet: res enim quam vobis vendo, adeò vilis est, vt non mereatur aliud quàm quod grauitò dare vultis. Considerandum hîc, toties nos idipsum crimen commisisse, quoties ob rem nullius momenti & abiectam Dominum offendimus.

6. Cogita, Iudam lætum abijsse pretio iam constituto, atque exinde omnes tradendi Domini occasiones captasse, quo pactum pretium acciperet: ipsum tamen, vt antè Apostolorum contubernium frequentasse, & inter eos egisse, vt lupus inter agnos. Credendum quoque, benignè illum à Domino habitum, etsi horum omnium conscio, in quo insignes patientiæ & charitatis erga scelestum hoc caput actus, & quidem plurimos, ostendit, quo illum ad recipiscentiam alliceret. Scribas quoque & Pharisæos gauisos fuisse, videntes, quod hactenus optarant, iam præ foribus esse: ea namque impiorum natura, vt in rebus pessimis, & peccaturi gaudeant.

MEDITATIO VI.

De vltima cœna, in qua Dominus agnum legalem comedit, deque valedictione matri suæ. Matth. 26.

1. NOtabo, Dominum legi exactè paruisse ac Ierusalem ascendisse, vt agnum paschalem comederet, etsi non ignoraret, ibi se occidendum: præueni sse tempus, & omnia dispo suisse, ac duos discipulorum præmisisse, vt quæ ad solemnitatem necessaria erant, compararent. Notabo item nuntium, quod domino domus, in qua cœnaret, referri iussit, *Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis.* Quæ verba adeò fuere efficacia, vt ille mox optimum domus suæ locum obtulerit & præpararit. Hoc in vtilitatem meam conuertam.

2. Considerabo, quàm suauibus verbis matri suæ dulcissimæ Dominus valedixerit ad necem properans, quomodo forsan singillatim illi omnia tormenta retulerit, quæ in vrbe esset passurus, & stationes illi designarit, quas ad vsque montem esset Caluariæ perambulaturus, vbi cruci affixus animam in manus Patris cœlestis traderet. Quomodo item gregem illi suum pastore destituendum commendarit, &, vt triduo illo, quo corpus in sepulchro maneret, illos ipsa animaret & consolaretur.

2. Cogitabo hîc, quomodo verba illa cor suauissimę matris transfixerint: quomodo ipsa nihilominus in manus Patris æterni, & dilecti Filij se resignarit, quem orauit vt in tormentis omnibus, etiam ad mortem vsque comitari liceret, vt vnà cum ipso posset occumbere.

3. Perpendam, Dominum hilariter ac lætè è Bethania Ierusalem petisse, gaudentem tempus passionis suæ iam aduenisse, etsi Apostoli tristarentur, metuentes ne Domino suo Iudæi necem afferrent, quos ille interim bono animo esse iubet; Iudas verò solus procedebat, cogitans & animo voluens, quomodo illum opportunè inimicis traderet, vt cupito auro frueretur.

Meditabor verba illa charitatem spirantia, quæ Dominus iam discumbens Apostolis ait; *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum*: vt ostendam; quanto vos amore prosequar, vestro in contubernio, non modò agnum hunc paschalem, sed & alium longè digniorem comedens.

4. Cogitabo, Dominum in agni comestione omnes legis ceremonias seruasse, ostendendo se verum esse agnum, qui in veru crucis, sacro amoris tum erga Deum, tum erga homines igne torrendus erat, & hunc agnum nonnisi figuram sui fuisse. Agno lactucas addebat amaras, fel sibi in cruce dandum hoc pacto præfigurans. Cogitare hîc licet, Domi-

num se hîc Patri cœlesti, ad patiendum omnia, quæ ceremonijs hisce præsignata erant, obtulisse.

MEDITATIO VII.

De lotione pedum. Ioan. 13.

1. COgitabo, quàm ardentem Dominus erga Apostolos amorem supremâ illâ horâ ostenderit, quâ declarauit, illos sibi non secus ac seipsum caros esse; nam quasi omnem passionis tormentorumque cogitationem ac memoriam seposuisset, illis blandiri ac tristitiam illorum lenire cœpit. Ostendit se illos constanti, excessiuo, non limitato, aut finito affectu diligere, quantum quidem exterius ostendi potest, illorum nomine faciens & patiens, quæ fieri & tolerari à quoquam poterant. Denique amorem suum in illorum bonum & vltimum finem, gloriam inquam cœlestem spectare, postquam scilicet in hac vita mortali ipsum dilexere, & coluere: diligere illos, non ad opes, honores, aut delicias temporales illis dandas, sed vt sibi arcto quodam vinculo amoris illos constringeret, quod primum rerum omnium principium & finis postremus.

2. Finitâ cœnâ surgit à mensa, & positis vestibus, linteo se præcingit, & aquâ pelui impositâ Apostolorum lauare pedes incipit, & linteo tergere. Considerabo hîc, quis adeò profundè se humiliet, vt serui

partes

partes subeat, & peccatorum pedibus aduol-
uatur : ipse scilicet vnigenitus Dei filius,
ab omni æternitate genitus, coram quo
spiritus angelici se prosternunt, Deus in-
finitè sapiens, infinitè magnus, infinitè po-
tens: ipse solus vile hoc officium obit,
vestes exuit, aquam mittit in peluim, & ad
pedes discipulorum portat. Ipse hodie sa-
cras manus suas, rerum pulcherrimarum
creatrices, pedum facit ablutrices; hocque
humili delectatus officio, à nemine vult
iuuari: hic namque potissimùm serui for-
mam assumpsit, vt ostenderet exemplo
quod antè docuerat verbo, dicens; *Discite
à me, quia mitis sum & humilis corde, &c.*

3. Perpendam, quibus pedes Dominus
lauet, pauperculis scilicet, terreni Adami
filijs, & popellis vilissimis. Ecquę D. Petri
fuerit admiratio, videntis Dominum ac
magistrum pedibus suis aduolui. Hinc re-
nuens ait; *Domine tu mihi lauas pedes?* quasi
diceret; Tu qui Deus infinitus & immen-
sus es, mihi abiectissimo terræ vermicu-
lo?

Meditabor verba Domini ad Petrum,
peruicaciter nolentem sibi pedes lauari: *Si
non lauero te, non habebis partem mecum.*
quasi diceret, Non amplius meus eris di-
scipulus, scholâ te meâ & contubernio
regnoque cœlesti excludam. Hinc patet,
quantopere rebellio & inobedientia in
proprio iudicio sequendo, Diuinæ maie-
stati displiceat, etsi specioso humilitatis
prætextu tegatur. Hinc quoque discam,
 quàm

quàm necesse sit nostra peccata ab animarum Redemptore ablui. Hinc sæpè illi dicamus oportet; Laua me Domine, ab omni iniquitate, & à peccato meo munda me, non semel modò, sed sæpiùs, vt coram oculis tuis mundus inueniar.

4. Meditabor, quem in Apostolo Petro hæc comminatio motum excitarit; in intimis namque cordis penetralibus tactus fuit, vbi vehemens ille amor, quo Dominum suum prosequebatur, latebat, apud quem perpetuò agere volebat. Hinc totum abluendum obtulit corpus. Quomodo item responderit illi Christus: *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet*. id est, illos qui per Sacramenta baptismi & pœnitentiæ in gratia sunt constituti, ab omni terrena affectione & peccatis omnibus venialibus purgari debere, quibuscum nemo partem cum Deo habere potest, id est, cœlum subire. Hinc discam peccata venialia quantum quidem fuerit possibile fugere.

5. Expendam, quomodo Christus in Apostolorum pedibus abluendis pergens, tandem & ad Iudam venerit, quem hoc fauore frustrari nolebat, vt scilicet videret, num saxeum eius pectus humili hoc spectaculo molliri possit. Voluenda hîc sunt verba benigna, quæ Iudæ intrinsecus forsan inspirabat; & consideranda ineffabilis eiusdem Domini humanitas, dum se ad pedes lupi huius rapacis abijcit; qui viso mitissimo agno ante se in pedes prouoluto, ne quidquam motus est, quæ in-

audita

audita durities à peccato mortali prouenit, quæ animam rupe duriorem reddit.

6. Ruminabo verba illa Domini, *Scitis quid fecerim vobis.* & illa sequentia, *Sitis quid fecerim vobis ... ego laui pedes vestros dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes.* quasi diceret, Scitis quòd in facto hoc meo lateat mysterium? quòd scilicet mutuam exercere vos charitatem oporteat, cùm & ipse totâ vitâ meâ hanc exercuerim.

MEDITATIO VIII.

De Apostolorum contentione de primatu.

COgitabo, cùm dixisset Dominus, horam iam venisse, quâ à Patre esset clarificandus & honorandus, ilico exortam inter discipulos, concitante Spiritu ambitionis, de primatu ac præeminentia contentionem: sed hanc Christi prudentiâ breui dissolutam, docentis, eum qui suorum ludo cæteris præcellere velit, omnium esse minimum debere; quique alijs præcedere, hunc cæteris seruire oportere, & illos Dominum exhortatum, vt cùm eatenus secum in omnibus tentationibus permansissent, ad finem vsque perseuerarent, seque constanter imitarentur. 1.

2. Meditabor, dixisse Dominum discipulis, omnes illâ nocte scandalum passuros, in fide vacillantes, vt propriæ infirmi-

tatis

tatis essent memores. Considerabo & Petri constantiam, dicentis; *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* quibus verbis aliquantum temere Domino contradixit, & reliquis se discipulis quodammodo prætulit, plus sibi constantiæ tribuens, quàm alijs; item de proprijs præsumpsit viribus, imò plura spondens quàm exequi poterat, & ostendens plus animi sibi esse quàm humilitatis, quod plurimorum est errorum occasio, vt S. Petri & reliquorum Apostolorum lapsus patefacit.

Hinc discam, numquam de meipso præsumere, sed in omnibus me humiliare, fragilitatem agnoscendo.

3. Videbo quibus Dominus verbis Petri arrogantiam coarguerit, dicens; *Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus donec ter me neges.* quasi diceret; Tu, qui præ cæteris te iactas, ac de te præsumis, me negabis, & magis scandalizaberis hac nocte quàm reliqui omnes.

4. Expendam quod Apostolis ait; *Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, &c.* Hinc videmus, neminem à Satana, sine diuina permissione tantari posse; ac nisi pro Petro & reliquis Dominus orasset, facilè omnes victi succubuissent, Satanasque victoriam de illis retulisset. Meditabor hæc item Petro dicta, *Tu autem conuersus confirma fratres tuos.* Quibus verbis superiorem Dominus rigorem, quo lapsum eius antè prædixerat, temperauit,

ne in desperationem præcipitaret, vtque in veniæ acceptæ recognitionem fratres suos confirmaret & adiuuaret.

MEDITATIO IX.

De sermone Christi post cœnam habito. Ioan. 14.

Considerabo, Dominum Doctoris magistrique officio functum, discipulos suos ad heroicos virtutum actus excitasse, & primò ad amorem Dei, multis ipsos rationibus excitando, dixisse: *Sicuti dilexit me Pater, & ego dilexi vos. manete in dilectione mea.* quæ potissimùm in diuinorum mandatorum obseruatione elucescit, *Si diligitis,* inquit, *me, mandata mea seruate. Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à Patre meo.* Quæ verba notatu digna sunt, eò quòd consolationem adferunt: docent nos quippe, Sanctissimam Trinitatem in anima diuinorum mandatorum obseruante commorari. 1.

2. Commendauit illis item mutuam charitatem, idque verbis efficacissimis, dum ipsum nouum præceptum dixit, eò quòd ipse illud renouauit, & collapsum ad perfectionem erexit, ipsumque velut signum & characterem posuit, quo sui discipuli agnoscerentur. Suum quoque id esse dixit, nam etsi & alia eius sint, hoc tamen est eminenter; in hoc quippe præ-

cepto

cepto lex fundata est; tum quòd viuum se charitatis huius erga proximum exemplar constituerit. hinc addit, *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem*: declarans sub hoc vno præcepto dilectionis reliqua contineri; quod & tertiò repetere voluit, quò profundiùs id cordibus nostris insculperet.

3. Docuit illos continuæ orationis exercitium, simul & circumstantias, quæ ipsam comitari debent, vtque diuinis fiderent promissis, sperarentque quidquid in eius nomine peterent, sibi donandum; suggessit quoque vt sæpè & frequenter peterent, vt ita rem se habere intelligerent. Cogita, hanc promissionem factam ab vnigenito Dei viuentis Filio, que ipsamet erat veritas & infinita sapientia. Factam autem fidelibus, ob quorum salutem maiestas eius diuina humanam voluit carnem assumere. Hanc & Filij ore Patrem fecisse, qui meritò patris nomen meretur, quòd de filiorum sit bono maximè sollicitus, Filium eius dilectum, æquè Deum atque ipse, quique ita nos dilexit, vt pro nobis mortem oppeteret, cum glorioso ac benedicto Spiritu sancto, qui ipse est amor, nobis inspirare quid petamus, eò quòd ipse dare ea velit: petitiones nostras in nomine Christi Iesu fieri debere; in nomine inquam virtutum, meritorum, laborum & obsequiorum eius, quæ Patri impendit. Petenda igitur quæ nobis necessaria sunt, idque magnâ fiduciâ ac fide, & in præsentandis petitio-

nibus nostris diligentes simus oportet, cùm maiestas eius adeò sit in dando liberalis.

4. Dominus varijs rationibus Apostolorum lenire mœrorem conatus est, tum præsentem tum futurum, dicens vt Domini sui ac Magistri recordarentur; neque enim discipulus maior est magistro suo, nec seruus domino; addidit quoque, eos, quos mundus persequitur, non esse de mundo, sed Iesu Christi; omnes illorum labores aliquando in gaudium, lachrymas in exultationem, tormenta in iubilum conuertenda, vti mulieribus parturientibus accidit; quæ in partu quidem dolorem sentiunt, post editum verò fœtum lætantur. Ad hæc vt recordentur, post afflictiones hasce temporales æternam secuturam requiem, vt taceam, quòd in medio illarum Saluator afflictos visitet, nec eos vt orphanos deserat; illos quoque qui hoc in mundo exagitantur, à Patre cœlesti diligi, quòd afflictiones sunt amoris eius arrhæ; denique de omnibus nos inimicis, qui nos impetunt, victoriam relaturos : *Confidite*, inquit, *quia ego vici mundum*, id est, in victoriç meç virtute de vestra certi esse potestis; vici enim vt vos victores reddam, atque ipse vobiscum decertabo.

MEDITATIO X.

De oratione, quam ad cœnæ finem Dominus instituit.

1. COgitabo, Dominum oculis in cœlum sublatis, magnâ cùm animi tum corporis reuerentiâ, & singulari deuotione, clarâ modicum voce, Patrem cœlestem orasse, dicendo: *Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.* Ad hanc orationem, nostras conformemus: petere si quidem à Patre æterno debemus, vt filium per vniuersum mundum clarificet, id est, fidelibus & infidelibus simul manifestet; orare quoque vt nos, etsi miseros peccatores, indignos qui filij nomine dicamur, per dona gratiæ clarificet, non vt honorem proprium, sed eius gloriam quæramus, & eius mirabilia vbicumque locorum diuulgemus. Hac in oratione obsequia Patri impensa repetit Dominus, cui in omnibus obediuit, vt nos doceat, licere interdum coram diuina maiestate obsequia seruitiaque quæ ei præstitimus, referre, non vt inde gloriam captemus, aut hîc sistamus; verùm vt hoc pacto diuinam bonitatem ad postulata concedenda commoueamus.

2. Postquam pro se rogauit, pro discipulis rogare cœpit, eos Patri commendans, quòd scilicet sui essent, vt illis perfectam charitatis cum Deo & mutuæ vnionem

daret,

daret, & auferret quidquid hanc destruere posset, plenitudinemque virtutum omnium illis concederet. Docet hîc nos, magna & eximia à Deo petere.

3. Pro Apostolis cùm rogasset, pro omnibus in genere fidelibus etiam orauit, tam illis qui hactenus vixere, quàm qui modo sunt & aliquando futuri; consequenter & mei memor fuit, cùm omnes omnino mortales illi præsentes ob oculos versarentur; petebat autem, illis non modò charitatem & perfectionem hac in vita, sed & gloriam & quietem sempiternam in altera dari, vbi in quantum homo clarâ Dei visione gaudet. Denique ruminari verba illa possunt, *Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi.*

MEDITATIO XI.

Dominus hortum petit. & quos ibi passus angores. Matth. 26.

PErpendam causas, ob quas hortum 1. Saluator adijt. Primò, quòd solitus esset solitaria petere loca, in quibus post conciones diurnas orationi vacabat. Secundò, quòd locus is proditori Iudæ notus esset. Tertiò, vt se aduersarij ibi inuenirent, & commodiùs caperent. Denique vt quemadmodum hominis ruina in horto cœpit, eius item reparatio simili in loco initium sumeret.

3. Con-

2. Considerabo, Dominum horto Gethsemani iam vicinum tres discipulorum carissimos selegisse, & coram illis contristari & angi cœpisse, omni se gaudio & lętitiâ sensibili sponte priuando, & contrarias passiones induendo, vt timorem & tristitiam, ac permittendo appetitum suum hosce doloris affectus maximâ violentiâ producere, quò suum nobis amorem testatiorem faceret, atque hoc agēte, cōmune afflictionum condimentum, gaudium inquam Spiritus, procul à se reiecisse. Reuocabo hîc in memoriam multitudinem dolorum Iesu Christi, eorumque magnitudinem; nam vt illos aliquâ ratione exprimerent Euangelistæ, timorem, pauorem, angorem, tædium, tristitiam, agoniam eos vocitarunt, qui motus omnino violenti sunt & dolorosi, qui velut immanium belluarum agmen, magno impetu in mitissimum & dulcissimum Saluatoris cor irruerunt, idque viuâ tormentorum nocte illâ & sequenti tolerandorum repręsentatione.

3. Meditabor, imaginationem innumerabilium peccatorum, & infinitam illorum in diuinam maiestatem & grauitatem, & quod mortalibus damnum creant (cùm propter eadem cruciatibus sempiternis addicantur) vno innocentem Saluatoris animam impetu oppugnasse. Imaginemur nos illam videre actualiter exagitatam, propter & per delicta mortalium, ac præsertim mea, quæ violenter in ipsum ingruunt, ob quæ dolorem & pœniten-

tiam concipere conabor. Hæc insuper cogitatio, quòd tam pauci ex incarnatione, morte, passione, Sacramentis, alijsque gratijs, quas nobis concessit, fructum aliquem colligerent, maximè illum cruciabat, idque ob hominum ingratitudinem, cœcitatem, & induratam peruicaciam; inter quos me omnium fingam ingratissimum, & supplex veniam deprecabor. Viua quoque afflictionum, suppliciorum & tormentorum, quæ eius electi eius causa essent perpessuri, memoria: Iudæorum, quos in filios peculiares selegerat, perditio, extrema illorum ingratitudo vitam auferentium illi, à quo tot beneficia receperant; damnatio item Iudæ, quem iam eius è ludo dæmon rapuerat; S. Petri negatio, reliquorum discipulorum fuga ac scandalum; denique matris suauissimæ afflictio, velut abyssus dolorum benignum Redemptoris pectus absorbuerunt & insolitam hanc in illo tristitiã causarunt.

4. Expendam illa Redemptoris ad discipulos tres verba; *Tristis est anima mea vsq; ad mortem; sustinete hic & vigilate mecum*; quasi diceret; Tanta mea est tristitia, quæ sola sufficeret ad ipsam mihi mortem adferendam, nisi vitam ad crudeliorem longioremque mortem subeundam reseruarem. Dixit hæc vt amoris sui & pœnarum magnitudinem testaretur, vtque nos ei gratias agamus: simul quoque, vt verè se hominem esse, mortis timori & pauori obnoxium, ostenderet; & qui quà talis, aliquod

sola-

solatium inueniebat discipulis afflictionem suam aperiendo, sicut illos antè ad gloriosam transfigurationem admiserat: vt sicut illi breuis eius gloriæ in monte Thabor testes oculati fuerant, ita quoque longam eius in passione afflictionem testarentur.

MEDITATIO XII.

De oratione Christi Domini in horto.
Matth. 26. Luc. 22.

1. EXpendam, quomodo Apostolos suos vigilare Dominus, & secum orare iusserit, vt non intrarent in tentationem, & quomodo hoc illis reipsâ ostēderit, vt hinc disceremus, verum ad tristitiam superandam remedium esse, non cum hominibus agere, sed cum Deo, orando & continuò precando: ad ipsum enim in afflictione velut ad verum animarum consolatorem confugiamus oportet: oratio porrò vnica est ad tentationes superandas ratio.

Examinabo verba illa, *Vigilate mecum*, idest, non procul à me, & vt ego vigilo; me quippe imitari debetis. hic ostendit, vigilare se cum vigilantibus, & cum pijs orare. Perpendendus & ille actus mortificationis, quo ipse à comitibus suis se separat, tam vehementi licet tristitiâ obrutus, cùm tamē tunc homines naturaliter inter amicos esse gaudeant, quò ita tristitiæ nebula dissipetur, & solatium aliquod inueniant. Mortificationis huius vim notant verba illa Lucæ: *Auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis*: quasi qui Spiritus impetu eam carnis ad

ma-

manendum cum amicis propensionem eâ separatione vinceret. Atque hoc in vtilitatem meam conuertam.

2. Feruidam eius ad Patrem orationem reuoluam, coram quo positis genibus & procidens in faciem suam super terram, orabat dicens; *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Quatuor in hac oratione singularia cogitanda sunt. Primò secessus eius solitarius, ad euagationem euitandam: deinde profunda reuerentia, & interior humilitas & exterior, quæ ex summa Patris sui æstimatione nascebatur; insignis quoque confidentia, amorque perfectus, dicens, *Pater mi*; denique singularis propriæ voluntatis abnegatio, & perfecta in diuinas manus resignatio. in orando quoque fuit prolixior; quod in illo imitari debemus.

MEDITATIO XIII.

Visitat Christus discipulos dormientes.

CHristus mœstus ab oratione surgens 1. venit ad Apostolos suos, quos inuenit dormiētes, quos blandè excitans & corripiēs ait: *Vigilate & orate.* Quæ verba paternum eius amorem in suos declarant, cùm tantis afflictionibus & angoribus immersus & vallatus illos adijt, feruentem orationem suam abrumpens ad illos animandos & excitandos, cum ex infirmitate eos videret cadere Obiter quoque in Apostolorum somnolentia, notanda hominum exigua

exigua in rebus ad salutem æternam spectantibus vigilantia, & Domini in ijsdem procurandis sollicitudo.

2. Rediens ad orationem, repetijt secundò verbum hoc, *Pater, Pater*, vt suum in Patrem æternum amorem, reuerentiam & fiduciam ostenderet; hinc diutiùs & prolixiùs orauit, rogans, vti fit verissimile, vt omnes homines salui fiant, & passio sua omnibus prodesse queat, ac ne tantorum tormentorum fructus pereant, cùm omnium in genere hominum ipse redemptor foret.

3. Notabo quoque verba hæc, *Pater mi, si non potest transire hic calix, nisi bibam illum, fiat voluntas tua:* quasi dicat; si calix hic passionis ad electos transire nequit & fructum illis adferre, nisi illum ego præbibam, id libenter præstabo, & voluntati tuæ parebo.

4. Iterum ab orando surgens, secundò abijt ad discipulos, quos cùm dormientes inuenisset, illorum imbecillitatem commiseratus, iterum abijt, & orauit tertiò. Videre hîc licet extremam, quam in inferiori animæ parte Dominus afflictionem sentiebat, nullum habens qui solatium mœrenti adferret: Pater quippe planctui eius aures occludebat: mater carissima aberat: discipuli, qui consolari possent, præ tristitia dormiebant, adeò vt dicere cum Psalmographo tunc potuisset, *Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & nõ inueni*, item illud: *Deus meus,*

Psal. 68.

Deus

Deus meus, quare me dereliquisti? clamo per diem, & non exaudis; & nocte, & ad insipientiam mihi. Considerandum hîc, Redemptorem, etsi non exaudiretur, nec consolationem acciperet, in oratione tamen sua permansisse, vt nos in nostris perseuerantiam doceret.

MEDITATIO IV.

Apparet Domino Angelus sanguinem sudanti.

CONsidera, Domino in oratione perseueranti, & mortali presso angustia missum à Patre cœlesti angelum Gabrielem, vti verosimile est, quo ostenderet Filij sui se preces ratas & gratas habere, eisque vires & robur adderet, sicut illi de Satana in deserto triumphanti plures submisit, qui illi ministrarent. Perpende quâ Saluatorem angelus allocutus sit reuerentiâ, multis & efficacibus rationibus illius anxietatem auferre conatus; esse scilicet voluntatem Patris, vt calicem hunc biberet, idque opus esse ad peccatores redimendos, & iustos è limbo liberandos, qui eius aduentum præstolabantur, ad cœlestes sedes replendas, & prophetias complendas, &c. Benignus autem Dominus magna cum humilitate audiuit, ostendens se iis, quantum homo, creaturarũ suarũ consolatione opus habere. 1.

2. Cogita, illum anxietate ingrauescente, sanguinem sudare cœpisse; adeò quidem densum, vt in terram proflueret. Vnde

de quem intus dolorem senserit, colligi facilè queat; hinc animam eius tristitiâ & naturali timore mortis, illinc verò gloriæ diuinæ & salutis humanæ zelo oppugnante. Hinc disces appetitus moderari & coercere.

Meditare excedentem Saluatoris amorem, prodigè sanguinem suum effundere volentis. hinc arbori myrrham distillanti confertur: primò namque ipsa è trunco liquorem sudoremque sponte emittit, deinde & cortex incisus, quo liquor is defluat copiosiùs. Ex hac myrrha fasciculum & surculum colligere debemus, quem in animabus nostris plantemus, vt ibidem crescat. Cogita Dominum sudore hoc admirabili eminentem suum de peccatis nostris, deque plagis mortiferis, quæ mystico Ecclesiæ suæ corpori inferendæ essent, dolorem declarasse; ad cuius sanitatem ipse velut caput amaram potionem hausit, non satis esse ratus lacrymas effundere, nisi & sanguinem adderet. Ad hæc ostendebat compati se electis, siquando exagitarentur & affligerentur, vtpote illorum ipse caput, & illi eius membra. Denique meditare Dominum per hunc sudorem mirè debilitatum & exhaustũ fuisse, nemo vt adesset, qui illi in extrema hac agonia solatio foret, aut sindonem ad corpus tergendum offerret; angelus namque, qui funestæ huic tragœdiæ interfuit, admiratione velut extra se raptus fuit.

3. Expende quomodo Redemptor viribus nonnihil resumptis ad discipulos tertiò ac-

accesserit, illos excitans & dicens; *Surgite, ecce appropinquauit qui me tradit.* Perpende hic Domini mansuetudinem, dormitantes discipulos non coarguentis, cùm tamen vigilare tunc eos maximè oportuisset, item orationis eius efficaciam; cùm enim antè timeret, animum resumpsit & hostibus obuiàm generosus processit.

MEDITATIO XV.

De Iuda cum cohorte & ministris aduentu ad comprehendendum Iesum.
Matth. 26. Luc. 22.

Expendam ecquo ad Dominum capienbum artificio vsus fuerit Iudas: in quo 1.
partim vim, quòd cohortem adduceret militum, partim astum adhibuit, dum pacificum Domino imprudenter osculum dat, itaque nequitiam suam tegit.

Cogitabo, quomodo scelestus hic ex Apostolo sicariorum se reddiderit antesignanum, & quomodo Domini & loci quem frequentare solitus erat, notitia ad proditionem hanc plusquam diabolicam machinandam vsus sit. Meditabor innocentis agni huius mansuetudinem, proditorem ad osculum dum admittit, non abhorrens sacrilegium hoc os, quod sacrum eius tetigit vultum, non dedignatus illum amici compellare nomine, & his eum verbis coarguere,

Osculo filium hominis tradis? quasi diceret: Hoc pacis symbolo bellum mihi moues. *Ad quid amice venisti?*

2. Obuiàm Dominus militibus procedens petit, quem quærerent? illi ad hæc verba retrorsum cadunt, in quo omnipotentem se esse declarauit, & volenter se vinciri, capi ac mortem oppetere. Cogitabo item sceleratorem lapsum periculosum esse, quòd plerumque inopinatus is sit, & cadant nihil minus cogitantes. Notanda quoque verba, *Ego sum*, quæ bonis consolationem adferunt; dicere quippe vult, Ego sum Pater, Saluator ac Dominus vester, &c. è contra verò improbis atque impiis horrorem, Ego sum iudex castigans, Deus vltionum, &c.

3. Cum prostratis surgendi copiam fecisset, etsi euidens illi hoc prodigium vidissent, à scelesto tamen proposito non destitere, quòd Iudas & lictores in peccato obdurati essent. Notabo hic infinitam Domini charitatem, qui dum in manus hostium se tradit, vetat nihilominus, ne in discipulos suos, qui aderant, manus violentas iniicerent. Hinc discam, quæ Domini sit de suis sollicitudo.

4. S. Petrus Dominum propugnaturus & feruore temerario actus, euaginato gladio quemdam è turba percussit, sed gladium ilico recondere Dominus præcepit, dicens, *qui gladio percutit, gladio peribit*, id est, Quicumque vindictæ Spiritu quem necat, morte dignus est. quo docet, quantopere à spiritu hoc maligno alieni esse debeamus, simul etiam extremam suam nobis declarat man-

mansuetudinem. Ruminanda quoque illa verba, *Non vultis vt calicem, quem dedit mihi Pater, bibam illum?* Quibus ostendit aperte, non considerare se passionem suam ab inimicis suis procedentem; sed sicvelut ab inimicis suis procedentem; sed sicut à Patris æterni voluntate ordinatam: atque hæc illam ipsi dulcem & gratam reddebat, etsi ex seipsa plena doloris & amaritudinis foret. Ex voluntaria hac Domini in inimicorum manus resignatione, à quibus si voluisset, se exemisset, & à Patre multas angelorum myriadas ad defensionem suam habere potuisset, discemus nos totos in Dei manus resignare.

5. Cogitabo, quomodo ex innata sibi bonitate Dominus aurem Malcho, à S. Petro rescissam restituerit: ex singulari hac mansuetudine discemus inimicos diligere. voluit quoque eadem ratione occurrere, ne Iudæi inde Apostolos exagitandi occasionẽ sumerent; quòd scilicet missis à magistratu militibus restitissent. Supplicabo diuinæ maiestati, vt animæ nostræ aurem sanet, quò promptè sanctis eius præceptis obsequamur.

MEDITATIO XVI.

De *Saluatoris comprehensione.* Matth 26.

1. CONsiderabo, Saluatorem à furiis illis infernalibus velut latronem & sicarium comprehensum & ligatum fuisse, & si antè quotidie in templo, in quo assiduè docebat, capi facilè potuisset. Notabo hæc verba, *Hac est hora vestra & potestas tenebrarum.* Quibus Dominus inimicis suis potestatem, corporis sui pretiosi ligandi & excruciandi, non illimitatam aut finitam fecit; hinc vehementes doloris, amoris & compassionis motus & affectus excitabo.

2. Cogitabo, infernalem illam ministrorum cohortem hac facultate acceptâ magnâ rabie in Saluatorem irruisse, tam illum immaniter habentes, nullis vt verbis aut cogitatione comprehendi queat: nullum quippe in corpore membrum fuit, quod non crudelissimè scelestissimæ illæ belluæ excruciarint. Contemplabor item profundam Saluatoris, ab inimicis se pessumdari sinentis, qui sedet super alas Seraphim, humilitatem; inuincibilem eius inter tot iniurias, verbera & tunsiones, quas tum, innocentis agni instar, summo cum silentio tolerabat, patientiam; extremam quoque ipsius mansuetudinem, manus suas tam benignè ligandas offerendo, quæ tot mirabilia condiderunt. Horum dolorum consideratio ad Saluatori compatiendum exci-

excitare nos debet, item ad dolorem de peccatis, pro quibus tam atrocia patitur, ad amorem denique & virtutum eius imitationem concipiendam.

3. Apostoli videntes Dominum tam indignè tractari, tantum abest, vt pro eo depugnando mori ingrati animi signum, & propter exhibitam paulò antè in cœna beneuolentiam, elegerint potiùs, quàm Illum deserere; vt verborum antè dictorum, quibus se minimè cessuros promiserant, immemores, in maximo præsentique periculo illum deseruerint, fugâ sibi consulentes. Hæc nobis ipsis applicare possumus.

Perpendam hic quàm graue Domino & acerbum fuerit, gregem suum dispersum, simul & discipulorum ingratitudinem videre: vt meritò illud Psalmi vsurpare potuerit: *Longè fecisti notos meos à me; posuerunt me abominationem sibi.*

MEDITATIO XVII.

De iis quæ Redemptor ab horto vsque ad domum deductus, & in ea pertulit.
Ioan. 18.

Cogita, quantos toto hoc itinere dolores mitissimus Dominus protulerit, admodum immaniter à militibus raptatus; dũ illi traherent funibus quibus antè vinxerant, alij fustibus illum tunderent, & velut bestiã aliquam protruderent, quo festinaret; hinc factum vt partim curreret, partim hinc inde impingeret, & modò in hanc, modò 1.

illam partem caderet. Hinc corpus quod antè sanguinē præ anxietate sudarat, raptatum, apertis iterum poris, si non sanguinem, saltem sudorem, ob nimiam festinationem multum debilitantem, fudisse credibile est.

2 Considera quibus illum euntem milites contumeliis, blasphemiis & conuitiis exceperint: hic eum latronē, alter seditiosum & populi concitatorem, incredibili fastu & contemptu nominabant. Nota item Spiritum mansuetudinis, humilitatis, patientiæ, & charitatis, quo hasce iniurias & irrisiones Dominus exceperit, dolorosum & durum hoc iter suum, Deo Patri in malorum quos facimus gressuum satisfactionem offerens; hinc ergo motus affectionis & recognitionis eligere conabimur.

3. Meditare, quomodo irrisus & exsibilatus sit Dominus in Annæ domo, Scribis & Pharisæis quà poterant ei insultantibus: hic namque pestilentes & diabolici consultores conuenerant ad sapientiam ipsam examinandam; quare fastuosè & arroganter de discipulis ac doctrina eum interrogare cœpere, quos Dominus profundâ quadam humilitate & virginali modestiâ audiuit, & scelestorum se Scribarum examini submittit is, qui sapientiâ cœlum terramque replet.

4. Notanda Domini discretio in respondendo, dicentis se clàm aliis non docuisse, sed palam in templo & Synagogis, quorum ipsi & iudices & testes esse poterant, etsi aduersarij: quo responso penitus ob-

obmutuere, ſed nequidquam molliti ſunt. De diſcipulis tacuit, ne puſillanimem ipſorum proderet inertiam.

MEDITATIO XVIII.

De alapa Chriſto data. Ioan. 18.

COnſidera, vnum miniſtrorum aſſiſtentium alapam Chriſto innocenti inflixiſſe; quæ haud dubiè atrox fuit, quòd ab irato data ſatellite; deinde ignominioſa, quòd in tot nobilium & grauium virorum præſentia, tum ob accipientis dignitatem & dantis vilitatem; tertiò iniuſta, vtpote intuitu vindictæ, & ad calumniosè improbandam reſponſionem prudentiſſimam; denique quòd ab adſtantibus approbata; ideoque anſa data aliis, huius exemplo, ſimile quidpiam vt attentarent, & impunè ſacrilegas in Redemptoris faciem Deo Patri, angelis ac Virgini gratiſſimam, & in quam deſiderant proſpicere, manus mitterent. 1.

2. Placidum Domini mirare reſponſum: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo; ſi autem bene, quid me cadis?* Verborum horum exemplo diſce, iniurias illatas patienter, ſilenter, nec petitâ vltione ferre. Cogita quoque, reſponſum hoc adeò rationi conſonum à nullo adſtantium admiſſum aut approbatum fuiſſe.

3. Miſſus deinde fuit Dominus ad Caipham Pontificem, vt coram Scribis & Phariſæis aliis cauſam is ipſius diſcuteret:

Nouis ergo forsan funibus vinctus, abductus est Dominus, ne aut euaderet, ipse aut alij è manibus ducentium eriperent, dum magno clamore & strepitu per vrbem raptatur, omnibus ad nouum hoc spectaculum confluentibus; adeò vt Domini dolores & ignominia semper excrescerent.

MEDITATIO XIX.

De trina S. Petri negatione.

1. NOta gradus quibus ad Domini sui negationem Petrus ascenderit. Primus, fuit in amore tepor, ortus ex humano vanoque timore. Secundus obliuio verborum Domini, quibus prædixerat fore, vt ter ipsum illâ nocte negaret. Tertius, quòd peccanndi se periculo exposuerit, cùm sub specie amoris Christum secutus scelestis se iunxit, adeo vt occasione peccandi captatâ, inertiâ potius pusillanimi, quomodo violentia tentationis lapsus sit, vtpote meritus in hoc barathrum incidere, quòd de propriis præsumens viribus, magistro imbecillitatem prædicenti non credidisset. Notabo hæc verba, *Erat autem nox & frigus*. quæ frigus & tenebras animæ S. Petri declarant.

2. Considera, quomodo Spiritus nequam S. Petrum per feminam oppugnarit, sicut primum humani generis parentem per Euam; scit enim mulieres aptum esse ad ea quæ molitur perficienda, & animas fortissimas prosternendas, instrumentum, vti è S. Petri lapsu colligere est. Postquam namque

namque confessus esset, Christum vnige-
nitum Dei viuentis filium esse, & funda-
mentalis esset petra Ecclesiæ, ad ancillulæ
tamen vocem illum negat, eumque se ne-
scire iurat, detestatur & blasphemat, se non
esse hominis huius discipulum, nec quid-
quam sibi cum illo esse negotij. Notanda
hic naturæ nostræ infirmæ fragilitas, quan-
tumque honoris, aut vitæ amittendæ metus
noceat, quàm parum fidere debeamus, quòd
diu in religione vixerimus, multa bona ope-
ra fecerimus, cùm nostra nobis vbiq; imbe-
cillitas adhæreat. hinc semper lapsū metuere
debemus, & perpetuo in timore viuere. Co-
gita quàm grauem iniuriam Domino suo
& magistro Petrus irroget, illum tam ne-
quiter ac facilè negando, ac quem dolorem
illi causarit, cùm se vidit ab illo, qui inno-
centiæ eius debebat esse testis, condem-
nari.

3. Petrus videns in quod barathrum pro-
lapsus esset, scelesto hoc collegio egressus
est, & continuò gallus primâ vice cantauit,
etsi non animaduerteret: at in alium veniens
locum vbi noui erant satellites, interro-
gatus num esset ex discipulis hominis il-
lius, negauit & pernegando iurauit; atque
post horæ vnius interuallum iterum inter-
rogatus execrari cœpit, & anathematizare,
quòd hominem non nosset. O Petre? quò te
improborum duxit societas? Notanda hic
maligna Satanæ astutia, qui suas multipli-
care tentationes consueuit, vt hominem pe-
nitus prosternat, præsertim iustum & san-

ctum. Deinde quàm ſit, diu in peccandi occaſione perſeuerare noxium, non corrigendo primum lapſum, nec conſiderando vnum peccatum ab alio trahi, vti in Petro manifeſtum eſt; nam vti temerè de viribus ſuis præſumpſit tertiò, ita & tertiò Dominum negauit. idque in fragilitatis ſuæ teſtimonium, adeò vt tum ſicut & aliàs ſemper, ſuperbia humilitata fuerit.

4. Cùm iam tertiò Dominum negaſſet, ſecundò cantauit gallus, ac tum Dominus illum reſpexit; itaque in ſe reuerſus, & facti ſui pœnitens, domo illâ ſceleſti egrediens, fleuit amarè. Notanda hic infinita Domini Ieſu Charitas, qui licet ab inimicis cinctus, & in medio afflictionum poſitus, vndique exagitaretur, quaſi horum omnium nihil ſenſiſſet, recordatur tamen diſcipuli ſui, oblitus, eum lupi infernalis faucibus eductum ad caulam reducturus: & non obſtante grauiſſimâ, quâ à Petro affectus erat iniuriâ, benignè illum reſpexit, & efficaci gratiâ ſuâ ad ſe vocauit, vt peccata agnoſcens, eadem lacrymis deleret, & pœnitentiam ageret. Hanc etiam nos póſcere gratiam oportet, eiuſq; maieſtati ſupplicare, vt nos reſpiciat, noſque efficaciter ad cognitionem & delictorum pœnitentiam vocet.

5. Meditabor amariſsimas quas Petrus effundit tum & totâ pòſt vitâ lacrymas, beneficiorum à Domino acceptorum atque extremæ ingratitudinis ſuæ memor, eo tempore, quo mille pro nominis eius confeſsione vitæ impendendæ eſſent. Quiſque ſibi Petri hic lamenta, eiuſque dolorem quem

concepit

cocepit, proponat. Notanda quoque ſubita Petri imitatio ad intuitum Domini; verba namque ſua illi tum in memoriam reuocauit. peccandi occaſionem relinquere ſuaſit, inſpirauitque, vt in locum aliquem ſolitarium concederet, vbi ſolus cum animi angore delicta plangeret. Hi ſunt affectus, quos Deus excitare in anima ſolet, quam efficaciter vocat, diuinoque ac miſericordi oculo intuetur.

MEDITATIO XX.

De falſis aduerſus Dominum confictis teſtimoniis. Matth. 26.

COgitabo, Phariſæos & Scribas, omni ratione laboraſſe, vt Dominus Ieſus morti adiudicaretur, atque eam ob cauſam multos falſos teſtes ſubornaſſe; at Dominum ad impoſturas illorum & calumnias tacuiſſe. 1.
Notabo hîc, quales ſint iudices filij Dei, quàm diabolicâ rabie in illum ferantur, quo faſtu & arrogantiâ confidеant; quinam accuſatores, & imprimis, quis accuſatus; ac video illum adſtare vinctum funibus: ecquos teſtes effrenis ipſorum rabies aduerſus innocentiam eius producant. Item quæ eius vitæ puritas ac ſanctimonia fuerit oportet, cùm tantâ anxietate & contentione aliquod accuſationis caput quæritantes aduerſarij, nullum omnino inuenire queant. hinc porrò admirandum Domini ſtupebo ſilentium, vt ne vel os aperiat ad ſe excuſandum, aut contra teſtes excipiendum, in-

ſtar agni coram tondente ſe obmuteſcens, tantum ſcilicet vitæ nitebatur innocentia.

3. Meditabor, quomodo Caiphæ reſponderit ſe per Deum viuum adiuranti, verè ne eſſet filius Dei; *Tu dixiſti*, idque vt oſtendat quantum ſancto Dei nomini deferat, & eum ipſum quem modò adeò exagitatum videbant, aliquando ad dexteram Dei Patris in nubibus ad iudicandum orbem conſeſſurum. Quæ dicebat, vt videret, num diuini iudicij formido efferatum illorum poſſet furorem ſiſtere.

3. Caiphas & cæteri aſſeſſores verum hoc & humile Domini reſponſum vt blaſphemum iudicant; hinc Pontifex ſcidit veſtimenta, in quo contra legem peccauit, & omnem iuſtitiæ ordinem inuertit, quòd iudex ipſe ſimul accuſatorem & actorem ageret; aſſeſſores verò iudices conſtituerit, illoſque ad innocentem velut blaſphemum condemnandũ prouocaret. Excitanda hic in nobis commiſeratio, videntibus benigniſsimũ Dominum tam falsò accuſatum, & eò redactum, vt qui ipſa æterna veritas eſt, blaſphemus dicatur. Item notabo quàm peruerſa ſint hominum iudicia, lumen tenebras eſſe dicentium, quantaque hanc animoſitate Dominus ſententiam exceperit, *Reus eſt mortis*, cùm audiret, omnes vnanimi conſenſu in eam propendere, ſeque condemnari ab iis quos tot beneficiis affecerat.

ME-

MEDITATIO XXI.

De iniuriis & pœnis Domini coram Caipha eiusq; concilio, & reliqua nocte toleratis. Matth. 29.

INiquâ hâc ſententiâ tumultuariè aduerſus Dominum prolatâ, qui eum vinctum tenebant, inſtigante Satanâ, verbis ignominioſis eum calumniati ſunt, quin& à verbis ad opera venêre. Primum itaque in faciem eius exſpuerunt, putiſcentibus ſputis, immundo ſtomacho eductis, in benedictum illius vultum eiectis; quod ignominiæ genus abominandum planè & barbarum, imprimis quòd in venerandam filij Dei faciem cõmiſſum; eius tamen maieſtas opprobriũ hoc benignè admodum pertulit; ne verbũ quidem aſperius aduerſus ſceleſtos hoſce locutus. Deinde faciem eius velauerunt, vt liberiùs eum percutere & ſubſannare ſine rubore poſſent, quaſi ab ipſo non viderentur: nam ſerena eius vultus grauitas & dignitas, ac præſertim diuinus oculorum ſplendor eos quaſi reprimebat, ne ita liberè & pro libitu ſuo illuderent. qua in contumelia peccatores nefarios & perfrictæ frontis imitati ſunt, optantes oculos deeſſe Deo, quibus ſuas non intueatur abominationes, quò liberiùs & effreniùs in eaſdem ruant, quaſi oculus illius omnituens tenebris obnubilari, aut abditorum receſſuum caligine impediri queat. Tertia iniuria fuit, quòd manibus eum crudeliter percuſſe-

percusserint, hi pugnis, illi palmis; alapas in diuinum illum vultum magnâ contentione impingentes, & vicissim in caput, collum, pectus, pro innata rabie feritatem excitante, cædentes, adeò vt veneranda illa facies sputis ac tunsionibus deformata ac liuida foret. Quarta fuit, quòd barbam & capillos ingenti crudelitate euulserint, summum illum Pontificem ac Nazareum pulcherrimum indignis modis habentes. Quinta denique, quòd propudiosis eum irrisionibus & sannis exsibilarint, per ludribrium illi dicentes: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* contumeliæ addendo feritatem, & vt impostorem & pseudoprophetam illum habendo. Credendum quippe, nullum ignominiæ, ludibrij & opprobrij genus illos omisisse, illum Samaritanum, voracem & vini potorem vocitantes; & quòd temerarij & impudentes calumniatores forent furore & inuidiâ diabolicâ pleni, verisimile sit, omnes in illum protulisse calumnias, quas ad rabiem satiandam excogitare potuere. His me ad compatiendum Domino exstimulabo, ac virtutes quas hic exercuit, vt mansuetudinem, humilitatem ac patientiam, imitandas.

2. Considerandum, quid Christus Dominus reliquâ noctis illius parte à scelesta illa turba perpessus sit; cogitandum inquam, hisce dormitum abeuntibus alios successisse, & alternatim in Dominum assiduè, nullâ quiete indultâ, sæuisse, nouosque torquendi modos adinuenisse, & quidem adeò inhumaniter, vt intellectu humano vix compre-

prehendi queat. nam vt abiectum terræ vermiculum, hominum propudium, ſceleſtorum opprobrium & viliſsimorum peripſema, Dominum habuere. Ille autem interiùs mentem in orationem, ad tormenta illa conſtantiùs perferenda, librabat, omnes ſibi homines, pro quibus patiebatur, ac me imprimis proponens, doloreſque ſuos in ſatisfactionem delictorum noſtrorum offerens,

3. Cogitabo, his ad beatiſſimam Virginem perlatis, quo dolore cor eius tum transfixum fuerit: atque hoc in ſingulis paſſionis actionibus notandum.

MEDITATIO XXII.

De Christi Domini ad Pilatum deductione, & funesta Iudæ morte.
Matth. 26. Luc. 22. & 23.

Cogitabo, quibus Phariſæi & Scribæ votis diem adeſſe optarint, quo cœptum de tollendo è medio Redemptore, qui mortuos ipſorũ excitarat, opus perficerent: hinc ſummo manè in conſilio conuenerunt; ſunt quippe impij in ſuis moliminibus nefarijs admodum diligentes. Dominum quoque optaſſe, vt dies illuceſceret, ille quem triginta tribus exſpectarat annis, quo generis humani redemptionem ad finem perduceret. Imaginanda hic facies illa diuina tormentis nocturnis planè deformata, ſputis illuuieq; ſordida, pugnis, tunſionibuſque liuida, & alapis crudelibus tumida, ſi petiero, ecquis horum 1.

horum omnium causa? peccata, inquiet, tua.

2. Iterum scelestis illis assessoribus sistere se iussus Dominus interrogatur denuò, Christus num foret; magnaque libertate ac fide respondit se esse, & visum se iri aliquando in iudicio considentem, quo scilicet ipsos percelleret, ostenderetq; post humiliationem suam exaltationem secuturam.

Cogitabo, quomodo ad Pilatum missus quasi à tribunali sacro ad sæculare. Hæc tertia fuit statio, quam Christus ambulauit vinctus, ac velut in triumpho per plateas Ierusalem, magnis militum & ministrorum clamoribus ac vociferationibus, plurimâ ad spectaculum concurrente turbâ, at nemine de eo liberando sollicito, ductus.

3. Tunc Iudas aperiens oculos, vt quidem criminis, in quod lapsus erat, horrorem intueretur, non verò vt misericordiæ diuinæ magnitudinem perspiceret, instar Caini desperans, *& abiens laqueo se suspẽdit & crepuit medius.* Hinc apparet quàm paruo tempore sua Iudæ profuerit cupiditas, quæ corpori simul & animæ mortẽ attulit, & in causa fuit, vt pecunia, cui antè adeò inhiarat, ad laqueum ipsum coëgerit.

Perpendam quoque, quanta Iudæorum fuerit peruicacia, qui etsi discipuli traditoris, dicentis innocentem se prodidisse, viderent pœnitentiam, in prauo tamen proposito obstinati hæsere, dicentes: *Quid ad nos, innocens sit nec ne? tu videris.* Quantum tum Redemptor doluerit, videns discipulum suum perire, quamque illum gratanter ad-

mi-

misisset, si ad bonitatem eius, non sacerdotes legales, confugisset.

4. Considera, quàm de pauperibus fuit Dominus sollicitus, diuina prouidentiâ suâ efficiens, vt sanguinis sui pretium in remedium & sepulturam cederet: nam è pecunia quā Iudas in templum retulit, quamq; in perditionis premium receperat, emptus est ager in sepulturam peregrinorum.

MEDITATIO XXIII.

De accusatione Christi coram Pilato Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 18.

COgitabo hic, quàm durè Pilatus Dominum exceperit, quem vinctum, tanto strepitu, & in die adeò solenni, ad quem tanta vndique multitudo confluxerat, sibi tradi aduertit. ex his enim existimauit omnino, ipsum insignem ac nobilem malefactorem esse, præsertim auditâ tumultuariâ Iudæorum accusatione, dicentium, *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissem s eum.*

2. Notabo ficta quæ Scribæ & Pharisæi aduersus Saluatorem confinxere crimina, quòd esset scilicet seditiosus, populum ad turbas concitaret, quòd doceret non esse tributum dandum Cæsari, quòd regem se ac Dei filium faceret, seque Messiam iactaret in lege promissum; ad quas calumnias ne verbum quidem Dominus proferebat.

Ex-

Examinauit illum Pilatus introductum in prætorium, petens; *Tu es rex Iudeorum?* cui Dominus: *Regnũ meũ non est de hoc mundo,* sed cœleste? subiectos quoque habeo spirituales ac cœlestes, angelos scilicet & iustos; ad hoc autem veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati, eam docens constantiâ, & miraculosis confirmans operibus. Nihil hactenus docui, quod verum non sit, & omnes qui ex veritate sunt, vocẽ meam audiunt, amant me, mihiq́; obidientiã præstant Hoc in responsoSaluatoris auctoritas relucet, qui inter tot opprobria & ludibria doctoris officium agit. Examinabo item verbum illud Pilati, *Quid est veritas?* sed responsum Domini non exspectauit; neque enim eam audire dignus erat. Notabo hic, quàm parum mundo nota veritas, quàm profundas verò in hominum cordibus radices egerit mendacium.

3. Pilatus cùm è Domini verbis eius innocentiam didicisset, ac profundum eius silentium miraretur, videretque nihil illum in sui purgationem afferre, aut aduersus accusatores replicare, statuit illum liberum dimittere: sed Princepes sacerdotum hoc eius responso irritati, denuò noua in eum crimina confixere, vt iudicem ad proferendam in innocuum mortis sententiam prouocarent; quo insigne suum in Redemptorem odium prodebant; qui vicissim inuincibilem patientiam, inexpugnabilem constantiam, profuudum silentium, & singularem humilitatem ostendebat.

ME-

MEDITATIO XXIIII.

Christus ad Herodem deducitur, & ab eo exploditur. Luc. 23.

COgitabo, quomodò Pilatus, audito è delationibus, Christum Galilæum esse, ac proinde de Herodis iurisdictione, miserit eum ad Herodem, vt ab eo iudicaretur. Itaque per vrbem maiori cum ignominia & confusione deductus est quàm antè, idque ob nouum populi concursum & Iudæorum rabiem, metuentium, ne si res diutiùs differretur, iudices eum velut innocentem absoluerent. 1.

2. Herodes autem viso Iesu gauisus est valdè; non quidem ex caritate, sed curiositate, sperans videre aliquod ab eo signum fieri; sed nullum edere Dominus voluit, imò ne illi respondit quidem, dum eum vt excõmunicatum habet; tum quòd Ioannem Baptistam neci dedisset, tum quòd adulterio esset pollutus, vt scilicet vanam tyranni huius curiositatem castigaret, simulque suum pro nobis patiendi & moriendi desiderium ostenderet. Notandum hîc profundum Domini silentium.

3. Herodes autem spreuit eum cum exercitu suo, & indutum veste albâ remisit ad Pilatum; albâ hâc veste ostendit Herodes, fatui se, stulti, & rustici loco Dominum habere; quasi diceret; Remitto tibi hunc stolidum delirionem, regem hunc stramineum, aliaque istiusmodi. Notanda hic extrema

trema Domini humilitas, quantamque ignominiam passus sit, cùm per plateas Ierusalem duceretur, & ab omnibus stultus, insanus, rexque imaginarius per ludibrium vocaretur, quibus sannis in Pilati prætoriũ rediens exceptus sit, in veste alba apparens; quem albatum omnes conspicati, illi insultare & illudere cœpere, adeò vt dolores eius & afflictiones semper increscerent. Hinc discam, ecquis Domini in nos fuerit amor, cùm nostri sit causâ opprobriorum ac tormentorum factus scopus. Videbo item quomodo Pilatus & Herodes, qui antea inimici erant, Domini occasione & adminiculo in gratiã eo die redierint. Hinc discere possumus, quid mors eius potissimum mundo attulerit; nimirum duorum populorum, Iudæorũ scilicet & Gentilium, vnionẽ, & sancto charitatis vinculo conglutinatam combinationẽ, idq; sanguinis & vitæ eius pretio.

MEDITATIO XXV.

Iudæi Barabbam Christo præferunt.
Matth. 27. Ioan. 8.

1. COgitabo, solenne apud Iudæos fuisse, in festo paschatis duos vinctos populo proponere, vt vtrum vellent liberum dimitterent. hac oportunitate vsus Pilatus, Christum Dominum, & insignem præ aliis vinctis malefactorem, Barabbam nomine, hominem turbulentum, latronem, & homicidam, qui propterea odio omnibus esse debebat, illis proposuit, vt quem vellent,

lent,liberum abire finerent. Infignis hæc Domino contumelia fuit, & ignominia, fi quæ vlla, comparati fcilicet ficario, homicidæ & perduelli.

Notabo,quâ contentione Scribæ ac Pharifæi & facerdotes populo fuaferint, & alios ad hoc fubornarint, vt Barabbam dimitti peterent, Chriftum verò ad necem depofcerent, quot de illo mala confinxerint, quot crimina commenti fint, quibus illum in odium populi adducerent. Notandum quoque & hodie Barabbam multos patronos habere, & fummo innocentiæ præiudicio iniquitatem foueri & tolerari; innocentiam verò folam deferi, nemo vt pro ea loquatur,etfi caufa eius æquitatem doctrinamque contineat: vti hic in Domino cernere licet, qui in extrema hac neceffitate neminem reperit, non amicum, non confanguineum, ac neminem mortalium, quos tot fibi beneficiis deuinxit, qui vel verbo caufæ fuæ æquitatem defenderet.

2. Cogitabo vniuerfam turbam clamaffe, *Tolle hunc & dimitte nobis Barabbam*, auctorem vitæ ad necem depofcendo, eumque ficario poftponendo; cùm Saluatoris humiliatio & abiectio defcendere profundiùs non poffet. Item quàm errent hominum iudicia, cùm in re adeò euidenti & clara fuffragio fuo iniuftitiæ faueant, & veritatem condemnent, quamque inuidia fit potens, cùm tanto id lumine, tantâ caligine intellectum obfcuret; quàm homines inconftantes & mutabiles, quamq; parum illorum gratiæ nitendum, & quàm

parum

parum illorum metuenda indignatio. Hinc quoque eliciam, eum, qui mortale crimen admittit, simili electione Dominum voluptati sensuali postponere.

3. Obstupuit autem Pilatus, visâ populi in eligendo nequitiâ, magno Redemptoris Iesu eiusque innocentiæ præiudicio: ipsum tamen illis tradere non fuit ausus, sed sæpiùs à furente populo petiit: *Quid igitur faciam de Iesu?* illos quodammodo iudices constituens eius, quem velut actores ad necem deposcebant. atque hæc omnia in Domini dedecus cedebant. Notabo & hæc furibundi populi verba, toties repetita, *Crucifige, Crucifige*, quibus effrenem cordis sui malitiam prodebat & quomodo hæc Dominum afflixerunt, vbi se ad mortem adeò ignominiosam ac crudelem condemnari vidit ab iis, quos tot beneficiis & donis cummularat.

MEDITATIO XXVI.

De Christi ad columnam flagellatione. Matth. 27. Ioan. 19.

1. COnsidera, Pilatum iussisse, tum ad Iudæorum rabiem compescendam, tum ex legum Romanarum præscripto iubentium, vt si quis in crucem agendus esset, antè flagellis cæderetur, flagris & virgis Dominum concidi. Iniquissima, crudelissima, & ignominiosissima fuit hæc sententia, quòd hoc latronum, furû, ac mancipiorum esset supplicium, præterquam quòd

quòd in sanctissimum atque innocentissimum fuit prolata.

Contemplare, quo Dominus animo hanc sententiam exceperit, ab ea non appellando, nec contradicendo, sed corpus suũ verberibus & flagris exponendo, idque in peccatorum meorum satisfactionem, Deoque Patri tormenta hæc & dolores acerbissimos, simul & sanguinem quem pro salute nostra effusurus esset, offerendo, dicens; *Quoniam ego in flagella paratus sum*, cùm ita Patri meo visum fuit.

2. Meditare, milites ilicò in Dominum manus magnâ arrogantiâ iecisse, eum vestibus suis, etiam tunicâ inconsutili spoliasse, & arctissimè columnæ alligasse. Cogita quo hic rubore affectus pulcherrimus ille & honestissimus iuuenis, cùm se nudum in conspectu tot militum, in loco infami maleficorum suppliciis destinato videbat, vbi omnes eum hoc pudore suffusum ridebant & exsibilabant. Hoc patienter Dominus pertulit; nostrum porrò est, patienti compati, considerando hæc illum ob peccata nostra perferre.

3 Domino ergo manibus supernè & pedibus infernè ad columnam vincto, cœperunt carnifices inauditâ crudelitate flagris in innoxium tergum sæuire; hi longis ac viridibus spinosisque virgis, illi scuticis è loris seu neruis taurinis confectis, ferro ad extremum acuto obarmatis; alij etiam ferreis catenulis, quibus carnes ita concidebantur, vt costarum ossa denudarentur. Flagellantibus porrò, dum cædendo defa-

 tiga-

tigarentur, noui recentesque succedebant; Dominus tamen patiens non lassabatur, etsi & verbera accerbissima forent, & super omnia corporis membra horrendum increpitarent: adeò vt nonnisi vnica toto corpore à capite ad calcem plaga foret, ossibus expositis candoremque suum sanguineum inter ruborem præferentibus, corpore delicato conscissi cadaueris instar dilacerato. carnifices quippe ad æmulationem cædebãt, quo & præsidi satisfacerent, & Iudæorum, aurum clanculo dantium, vt in illum quàm possent maximè sæuirent, rabiem satiarent, idque pro innata feritate & diaboli instigatione, cuius erant ministri & crudelitatis eius executores. Ergo vndiquaque ac toto corpore conscissus fuit vnigenitus Dei Filius, & plusquam quinque verberum, iuxta communem opinionem, accepit millia.

Hic considera infractam Redemptoris in tormento tam immani, sine vlla turbatione aut murmuratione patientiam, Patri interim suo singulos ictus ac tunsiones in peccatorum nostrorum expiationem offerentis, desiderantis & plura & maiora pati, si ad salutem nostram & diuinæ iustitiæ satisfaciendum id opus fuisset. Concipiam hic quoque de peccatis horrorem, cùm Redemptorem tam atrocia perpeti cogant supplicia, mecum statuens ea in meipso potiùs castigare; quare ad Domini me pedes abijciam, vt in exundanti hoc sanguinis pretiosi riuo animam, & omnes eius næuos abluam & eluam.

Crudeli hoc ſupplicio peracto ſatellites Dominum diſſoluerunt, quem præ debilitate ob tantam ſanguinis effuſi copiam, credibile eſt, exhauſtum in terram cecidiſſe; at coram tanta multitudine nudum ſe conſpiciens, prout potuit ſurrexit, & ad colligendas ſparſas hinc inde per atrium veſtes proſerpſit, quas ſanguine proprio rubricatas & ſordidatas ipſe induit. Compati hîc Domino oportet, omni hominum ſolatio deſtituto, & cœli terræque verecundiæ expoſito; ei inquam, qui angelos ſpendore ac pulchritudine veſtit. Amemus ergo oportet eum à quibus tam vnicè tenereque antè amati ſumus.

MEDITATIO XXVII.

De coronatione ſpinea, cæteriſq; ludibriis Domino irrogatis. Matth. 27. Marc. 15. Ioan. 19.

CONſiderabo, poſt flagellationem ſecutum eſſe aliud ignominioſius & immanius ſupplicii genus; quo inſpectante infinitâ hominum multitudine, qui militibus conuocantibus concurrebant (nam hi, quò maior Domini foret ignominia, omnes ad triſte & probroſum hoc ſpectaculum inuitabant) ſpineo fuit ſerto coronatus. 1.
Circa quod perpendam inprimis, inſatiabile Domini pro nobis patiendi deſiderium: eo factum, vt nouos aduersùm ſe iniuriarum & tormentorum modos excogitari voluerit, vt hac ratione ſuum erga nos

amorem magis pate faceret, & criminum nostrorum, ob quæ patiebatur, grauitatem ostenderet. Notanda quoque carnificum in populo conuocando nequitia, vt eo adstante maior Domini foret confusio, ipsorum ludibriis expositi. Excitemus in nobis ipsis compassionem, illius tormenta perpendentes.

2. Milites denuò Dominum violenter ac sine vlla compassione denudarunt, vestes, quas sanguis concretus vulneribus infixerat, vi factâ extrahendo: quod tormenti genus & nouum & probrosum fuit (omnium namque oculis nudus expositus fuit,) dein veteri quâdam lacernâ coccineâ, in regni sui, quod cœci illi fictum & imaginarium fingebant, contemptum per ludibrium indutus; sacrum porrò caput eius spinis acutissimis fuit perforatum, quæ ad cerebrum vsque penetrantes, sanguinis riuos vndiquaque eliciebant; hinc corpus dolore, anima completa confusione. Maturè hic Domini pensanda insignia, quæ nostri ergo induit, & considerandum, superbiam nostram & alios inordinatos affectus esse velut spinas acutissimas, acrius & viuacius penetrantes, quàm olim illæ militum. Considerando porrò Dominum cruciatum, irrisum & contumeliis affectum, excitandus ad commiserationem animus.

3. Post omnes hasce iniurias inanis manibus, loco sceptri, arundo imposita, vt ostenderent, eius regnum esse inane, emedullatum, absque substantia, & ipsum esse Regē fictitium, & fatuum, vt qui sibi frustrà regnum

gnum arrogaret. Considerandum hîc, quàm graue Domino fuerit, tam parui se ſuumque regnum fieri, & doctrinam eius ac promiſſa, ita apud mundum hodie ſordere, quæ ille velut inania ac vana iudicat, etſi reuerà nihil illis firmius, certius ac ſecurius. Cogitabo, Dominum hanc eâdem ſubiiſſe ignominiam ſerenitate, quâ alias; item quantum mortales ſuis in iudiciis errent, cum regnis terrenis & perituris ſceptrum è ſolido dent auro, & imperio Christi æterno nonniſi arundinem fragilem, debilem & inanem. item quomodo impij in genua procidentes, illi inſultando dixerint; *Aue rex Iudæorum.* Quæ verba ſacras eius aures, dignas audire cantica laudum, quæ gloriæ illius cantant angeli, mirè offendebant.

4. Verbis iniurioſis addebant milites etiam opera actuſque iniurios: alij namque acceptâ arundine percutiebant caput eius quò ſpineum ſertum hoc pacto profundius capiti infigerent; alij colaphos infringebant; alij in faciem expuebant; alij denique barbam euellebant, quiſque pro virili ſæuientes. Infractam eius patientiam hic mirabor, profundam item charitatem, & ardentem charitatem. ipſi quidem tortores defatigabantur, nec tamen ipſe ferendo laſſabatur, etſi corpus tormentis exhauſtum foret, ſanguine deſtitutum & exſuccidum, diuina facies ſputis fœdiſſimis deturpata, & ex impactis colaphis liuida. Compati ergo patienti oportet Domino, cùm nullus omnino nunc eius miſereretur.

MEDITATIO XXVIII.

De Ecce homo. Ioan. 16.

1. PIlatus videns Dominum ita deturpatum, credensque vel solo aspectu eius plebem ad commiserationem permouendam, foras illum conspiciendum dedit, dicens: *Ecce homo.* Hæc verba diligenter ponderanda sunt; primò vt à Pilato prolata, hunc habent sensum, Ecce hominem, qui se regem & Dei filium esse dicit; ecce adeò castigatum ac deformatum, vt vix homo esse videatur; vestrûm tamen instar homo est; quapropter hominis vos homines misereri par est.

Perpendi etiam possunt, quatenus fuerunt à Spiritu sancto per os Pilati prolata, *Ecce homo.* qui simul Deus, etsi exteriori specie cæteris hominum similis esse videatur, est Messias in lege promissus, & hominum & angelorum caput; ipse est, quem immensa caritas huc perduxit, quemque amor erga homines pœnis, quas ipsorum crimina merebantur, immersit. Excitandus hic animus ad amorem & admirationem, vbi videmus quid nostri causâ præstiterit Deus. Tertiò perpendi verba hæc possunt tamquam ab æterno Patre ad omnes omnino homines prolata. *Ecce homo*, quem ego in mundum misi, vt vester esset magister, ac totius sanctitatis & perfectionis exemplar. Eius virtutes, caritatem, humilitatem, patientiam, paupertatem, obedientiam, man-

mansuetudinem respicite. Videte, quid exteriùs simul & interiùs propter vestram salutem perferat.

Offeram Deo Patri diuini huius hominis merita, virtutes necessarias ab ipso deposcēs, & aduersùs omnes necessitates nostras remediū, dicens; *Respice Domine, in faciem Christi tui.* fieri enim non potest, vt quos ille in protectionem suam suscipit, & pro quibus tam horrendos patitur cruciatus, tu eos deseras.

2. Meditabor, quàm parum ponderis verba illa Pilati apud induratum populum & ingratos plebis animos habuerint. quæ rabie quadam ferali clamare cœpit, *Crucifige, crucifige.* Quàm graue fuerit Domino hanc populi videre ingratitudinē, quem tot sibi deuinxerat beneficiis, & quantum pro iis ipse malum rependeret. Notabo item nouam Iudæorum aduersus Dominum Iesum accusationem confictam. Pilatum vrgentium, vt quàm citissimè eum morti addiceret; nam inquiunt, *Nos legem habemus, & secundùm legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit.* in quo populi huius notanda cœcitas; qui veritatem ipsam vt blasphemiam habebat, & huius se criminis reum constituebat, cuius Redemptorem arguebat.

MEDITATIO XXIX.

Iesus postulatur ad crucifigendum.

1. PIlatus, audito Dominum esse Dei filium, magis timuit, & stomachatus irascebatur, quòd ad Iudæorum accusationes neu ad interrogata sua non responderet, quod ipse vt superbiam & auctoritatis suæ contemptum interpretabatur. Cogitabo si Dominus tacuit, quando tacendum esse censebat, etiam locutum, cùm opus videbatur, Pilato dicentem, *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* Quibus verbis iniqui huius iudicis insolentiam repressit, & declarauit, quidquid aduersùm se in terra ageretur, Patris æterni nutu permissuque fieri.

2. Iudæi, comperto Pilatum in Domini liberationem propendere, dixere minitando: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris:* eius nomen intermiscentes, ad iudicem hunc iniquum percellendum. Pilatus autem iterum foras Iesum producens, ait: *Ecce rex vester.* quasi diceret; Ecce miserum hunc, regem hunc imaginarium ac fictitium, videte coronam, sceptrum ac purpuram eius. Cogitari quoque hæc possunt quasi à Spiritu sancto ad vniuersum mundum prolata, Ecce rex vester, quem ad eos liberandos tanto tempore exspectastis. Videte hunc regem, filium Dauid, in regem vestrum ac Dominum à Deo vnctum. Videte quàm sit sapiens & in perfectione humilis.

3. Con-

3. Confiderabo clamorem Iudæorum, *Tolle, tolle, crucifige, non habemus alium regem nisi Cæsarem.* Non illum amplius videant oculi noſtri; neque enim antè quieſcemus, quàm mortem occumbat. nolumus vel pilum eius ſupereſſe, ſed vitam eius & memoriam penitus volumus aboleri.

4. Cogitabo, quæ populi huius fuerit cæcitas, vt verum ac legitimum deſerat principem, quem Deus dederat, vt per eum ditarentur, honorarentur; & tyrannum in regem admittat, quem antè cane peius & angue oderant, quòd facultates illis, & libertatem, quam adeò caram habebant, tolleret. Hæc nobis applicanda ſunt, quoties ſcilicet Deum propter terrena deſeruerimus.

MEDITATIO XXX.

De Christi condemnatione ad mortem crucis. Matthæi 2.

COnſidera ea ipſa nocte, Pilati vxorem terriculamentis, quibuſdam nocturnis territam marito indicaſſe ne cœpta proſequeretur, néue iuſtum condemnaret. Hæc à Sanata forſan ſomnia immiſſa, qui hominis huius ſanctitate perſpectâ ſuſpicari cœpit, ne is forſan Meſſias foret & Dei filius, itaque mundi redemptionem ſubuertere conatus eſt per feminam, cùm eum iam antè per aliam perdidiſſet. Dici queat etiam, hæc à bono angelo data ſomnia, Pilati vxori minitante ac dicente, ſi eius 1.

maritus Christum condemnaret, fore vt ipsè condemnaretur, & Iudaicus populus destruendus esset.

2. Pilatus acceptâ aquâ lauit manus coram populo, Christi innocentiam testatus, quam suis in scriptis Euangelistæ omnes produnt. Notanda quoque furiosa Iudaici illius populi nequitia, qui modò Christo vitam adimerent effundendo eius sanguinem, proprium & filiorum obtulerunt, accipientes super se supplicia quæ iusti huius mors iniusta merebatur. Hinc discam, quàm noxia sit passio in anima radicata; cùm nihil sit, quod eam impedire queat aut sistere.

3. Pilatus populi vocibus acquiescens, Christum morti adiudicauit crucis, & in inimicorum manus tradidit, iustitiam omnem & æquitatem pessundans, & illum morti addicens, quem antè innocentem esse palàm asseruerat, humano scilicet timore victus. Hominibus igitur cessit, propriam læsurus conscientiam. Notabo quàm populus omnis plauserit, quomodo exultarit hâc auditâ sententiâ, vidensque desiderio suo satisfactum. quæ omnia in opprobrium & infamiam maiorem Domini redundarunt, qui magnâ patientiâ sententiam suam audiuit, & velut à Deo Patre, non verò iniquo iudice latam, acceptauit. Gratanter quoque admisit, ab ea non appellans, non replicans, nec de illata iniuria conquerens, vltrò ac libenter hostili se rabiei offerens. Meditabor hîc, aliquos discipulorum tristem hunc nuntium ad do-

ad dolorosam matrem tulisse, qui inexplicabili illam dolore sauciauit; etsi in omnibus perfectè se voluntati diuinæ accommodaret.

MEDITATIO XXXI.

De baiulatione Crucis. Matth. 27.

1. MEditabor, milites Dominum vestibus, quibus illum antea in domo Herodis & Pilati induerant, spoliasse, ac proprias induisse, quo notior foret & maiori ludibrio exciperetur; coronam nihilominus spineam in capite eius reliquisse, quo infamia foret maior, & cruciatus acerbior.

Mox vt prolatâ sententiâ, iidem milites lignum crucis attulere, quæ ingens & grauis. Cogitabo hic, quàm graue & amarum Domino fuerit spectaculum, crucem videre, & quæ secum in corde diceret, modò illum lectum, in quo somnum dormiret mortis, modò vitæ arborem, in qua præuaricationem in arbore illa mortis commissam lueret, appellans. Quisque secum cogitet, quàm blandis & dulcibus eam nominibus compellarit. Cogitabo eius ad montem Caluariæ properantis comites fuisse duos latrones nobiles, ob scelera morti adiudicatos: quod in Domini ignominiam cedebat, quasi latronum ipse dux & antesignanus foret.

2. Perpendam, hunc secundum Domini è Pilati domo exitum, crucem inter duos

latrones ; tuba præeunte & omni plebe oc-clamante baiulans. Ita scilicet verus Isaac egressus est sacrifici sui ligno onustus. Pater æternus porrò ignem & gladium, ad victimam in delictorum meorum satisfactionem iugulandam portabat.

Considerabo, quàm acrem corpus Domini exhaustum & exsangue dolorem senserit, quomodo ad singulos penè passus præ dibilitate in genua prociderit graui crucis pōdere oneratus, sanguine suo pretioso plateas & compita humectans. Per postremam hanc stationem comitare illum anima mea, laboribus illius compatiendo, & cogitando, non tam materiali illum crucis ligno, quàm criminibus hominum præteritorum, præsentium ac futurorum, & imprimis meis, quorum me pœnitere debet, ac veniam flagitabo, grauari.

3. Domino crucem humeris gestante sanguine omni destitutis ac laceris, milites omnigenis contumeliis insultarunt : itaque dolorem eius auxerunt. At metuentes ne sub onere succumberet, antequam ad supplicij locum perueniret, socium illi in cruce baiulanda dedêre, qui illam post eum ferret, Domino ita permittente, vt hinc discerent mortales, fidelibus crucem hanc communicandam, quibus & illa suscipienda. nam sine illa impossibile est. vel in terra viuere, vel cœlum subire. Toto porrò illo itinere neminem prorsus reperit Dominus, qui sibi in cruce baiulanda auxilium, aut in afflictione constituto opem ferret: calicē quippe passionis solus omnino haurire voluit.

4. No-

4. Notabo, eum, qui crucem Domini gestabat, Simonem nuncupatum fuisse; quasi dixeris, obedientem, qui peregrinus erat, & è villa in Ierusalem veniebat. Illius quidem pœnam perbreuem fuisse, memoriam tamen eius & filiorum etiamnum in Ecclesia viuere. Hinc discam, verum obedientem, quique se hoc in mundo, in quo vita adeò breuis, peregrinum credit, verè Dominum in portanda cruce iuuare.

MEDITATIO XXXII.

De mulieribus lamentantibus Christum.

INter eos qui Dominum stipabant, alij eum affligebant, alij calumniabantur, piæ aliquot mulieres viso illum tam immaniter tractari plangebant. Verum eas Dominus monet, quid potius plangere deberent, peccata scilicet propria & filiorum. hæc enim passionis suæ erant causæ. Diuinam hic Dominus auctoritatem suam, quam in tot tormentis integram conseruauit, & ardentissimam caritatem suam declarauit. quasi enim dolorum suorum esset oblitus, nostra nos docuit plangere crimina; ac imprimis illorum supplicia, qui amarissimam passionem & mortem eius in vtilitatem suam non conuertunt. Notabo hæc item verba, *Si hæc in viridi ligno, in arido quid fiet?*

2. Proponam hic mihi Virginem Deiparam Filij sui amantissimam, domo egredientem Mariâ Magdalenâ & aliis matro-

nis ſtipatam, dilectum ſuum quærentem, & è ſanguinolentis illum veſtigiis indagantem, vehementiſſimâque triſtitiâ opplecam. Dominum quoque, cùm matronas Ieroſolymitanas reſpiceret, ſimul matrem ſuam vidiſſe, ac tum vtriuſque animum ineffabilis doloris gladio transfixum, nouam triſtitiam ſenſiſſe, quæ verbis exponi nequeat: matrem quoque, dilectiſſimum natum, vnigenitum Dei filium, adeò deturpatum, liuidum, & pro hominibus ab hominibus adeò afflictum reſpexiſſe. Dei hic agendi modum notabo, affligentis eos quos diligit: item, quo Saluatoris anima modo affecta fuerit, cùm Heroſolymis peccatoris inſtar egrederetur; præſagiens ſceleſtam hanc vrbem, à qua tam inhumanè eiiciebatur, tantis licet ab eo affecta, per prædicationes inquam & opera prodigioſa, beneficiis, ob ingratitudinem aliquando deſtruendam.

MEDITATIO XXXIII.

Quid in monte Caluariæ actum ſit.
Matth. 27.

1. COgitabo, Dominum crucifigi voluiſſe in monte Caluariæ, vt nempe tormenta ſua patentiora & apertiora forent, ac proinde maiorem ſibi ignominiam afferret, ac mori in loco maleficorum ſuppliciis deſtinato, in quo ob crimina illi ſua plectebantur, vt hoc pacto indicaret, ſe, vt diuinæ iuſtitiæ ſatiſfaceret, mori, quæ in ſe in-

ſe innocente hominum verè maleficorum crimina caſtigabat. quin & fœtido loco, vt eo pœna maior foret; pleno die, vt ab omnibus eius ignominia, nuditaſque perſpiceretur, & exceſſus amoris eius agnoſceretur. Hinc & in die feſto crucifigi voluit, ad quem innumera vndiquaque multitudo in Ieruſalem confluebat, vt totus orbis à diuino hoc præceptore mirabiles illas lectiones diſceret, quas in cruce ſua eſſet prælecturus. Natus eſt noctis in caligine, mori voluit meredie, ab omnibus hominibus conſpiciendus.

2. Vt in montem Caluariæ venit, dederunt illi myrrhatum vinum felle mixtum; in quo brutalem feritatem ſuam ſacrilegi prodidere. loco namque vini exhilarantis, quod cæteris dari maleficis ſolet, potum illi dedere amariſſimum, vt ſicut corpus eius exterius fuit per flagra & coronam ſpineam cruciatum; ita felle interiùs cruciaretur, ac nulla in eo pars dolore vacaret ſuo. Cogitabo, nefarios Chriſtianos eodem quoque modo Dominum felle peccatorum ſuorum potare, & ſupplicia paſsionis eius, dum contemnunt, eadem adaugere.

3. Milites Dominum omnibus veſtibus ſuis ſpoliaſſe, eum coram omnibus hominibus denudando, quæ maxima haud dubiè dulciſſimo Ieſu ignominia fuit; eam tamen magna cum patientia & profundiſsima humilitate pertulit, hanc confuſionem ſuam Patri æterno offerens: itaq; nudus mundo exire voluit, ſicut & nudus intrarat: vt hinc

hinc discamus animam à rebus mundi huius auellere, paupertatem amplecti, & rerum terrenarum contemnere vanitatem.

MEDITATIO XXXIV.

De crucifixione Domini nostri Iesu Christi. Matth 27.

1. MEditabor, cruce in terra iam prostrata, iussisse carnifices, vt in eam se Dominus supinus extenderet: humiliter illum paruisse, & se in duro hoc lectulo extendisse, gratiis Patri æterno actis, quòd iam venisset hora, quâ se in altari hoc videret breui immolandum, & cruentum hoc sacrificium in nostrarum noxarum expiationem offerendum.

2. Manus eius & pedes sacratissimi clauis durissimis à scelestis illis tortoribus, perforatæ fuere; quod sanè crudelissimum & durissimum fuit tormentum; quod in membris illis, vtpote neruosioribus proinde sentire dolorem aptioribus, cruciatus sit maior, vt taceam corpus eius delicatum ac tenerum fuisse. Cogitabo, manuum alterâ iam clauatâ, cætera membra se retraxisse ob neruos affixos, adeo vt cùm altera iam affigenda foret, ad foramen destinatum pertingere non potuerit; hinc funibus eam ad locum pertraxere carnifices, eâ quidem vehementiâ, vt ossa omnia loco mota sint,
Psal. 21. iuxta id Prophetæ: *Foderunt manus meas & pedes meos: dinumerauerunt omnia ossa mea.* Hoc igitur pacto pretiosum hoc

hoc corpus fuit in cruce, ſicut in teſtudine fides ac neruus extenſum. Hinc compaſsionem in me excitabo, videns iuuenem adeo elegantem, ſanctum, innocentem, cœli terræque delicias, Patris æterni ſplendorem, ita ob peccata mea cruciatum; aduersùs quæ irreconciliabile odium concipiam, cùm propter hæc huc ipſe miſeriarum & ærumnarum redactus ſit. Cogitabo, quomodo penitus Virginis animum ſauciarunt ictus illi malleares, quibus per Filij manus ac pedes claui adigebantur.

3. Chriſtus plaudentibus & cachinnantibus Iudæis in ſublime erigitur, qui hoc pacto tormenta & ignominiam eius augebant, cùm ipſe interim doloribus oppletus foret, & in toto corpore à planta pedis vſq; ad verticem non eſſet in eo ſanitas, & præſertim quatuor pedum manuumque ſcaturigines, quatuor quodammodo fluuios, ad inſtar illorum paradiſi, ſanguinis effunderent.

Quàm triſte ac pœnoſum hoc Virgini matri fuit ſpectaculum, vbi hoc in ſtatu Filium dilectiſſimum vidit. Et quidem vehemens adeò dolor eius fuit, vt niſi miraculoſè illi vitam ſeruaſſet Deus, ſpiritum illa dolore victa edidiſſet. Si enim amici Iob videntes illum in fimario ſedentem ac leproſum, ita perculſi ſunt, vt ad multos loqui dies minimè potuerint, & loqui non incepiſſent, niſi dolorem ſuum oculis conceptum prodere voluiſſent: quanto maior Virginis fuit dolor, videntis Filium, quem magis amabat, quàm exprimere quis

poſſet.

possect, tam crudeliter à suis habitum? Comitabantur eam aliæ matronæ Ierosolymitanæ, quæ lacrymis dolorem eius delinire conabantur.

MEDITATIO XXXV.

De mysteriis in crucifixo Iesu latentibus.

1. AD pedem crucis prostratus considerabo quis ille sit, qui in ea confixus pendet, magnitudinem eius infinitam, bonitatem, misericordiam, sapientiam & potestatem interminabilem, & omnes hasce perfectiones cum extrema miseria & humliatione Dei cruci affixi comparabo; perpendam, quàm sit à throno gloriæ, in quo tamquam Deus considet, dispar lignum crucis, in qua instar hominis ob homines patitur. Deinde ex amoris & gratitudinis effectu exclamans, ob tantum illi beneficium gratias agam, inque corde affectus & motus excitabo.

2. Considerabo, eumdem hunc Dominum, esse magnum illum sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, supremum Ecclesiæ Pontificem, animarum nostrarum pastorem, cuius vestes & schema, probrosum ipsi erat & ignominiosum. nam mitra pontificalis corona est spinea, pedum pastorale crux, eius annuli claui, quibus manus perforantur. Hoc ergo modo Pontifex noster in sancta sanctorum intrauit, seipsum in sacrificium & holocaustum,

caustum, amoris igne succensum & doloris, ad remissionem peccatorum nostrorum, offerens.

3. Contemplabor, eundem Dominum, velut redemptorem nostrum & vnicum præceptorem, qui extremè vitæ suæ tempore sacram crucis cathedram conscendens, breuem quodam modo eorum, quæ antè in mundo docuit, fecit recapitulationem, præsertim octo beatitudinum, de quibus alio in monte egerat. Cogitabo, Patrem æternum eadem ad me proferre verba, quæ olim ad Moysen: *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Conabor item debitè repetere lectionem, quam diuinus ille doctor in cruce nobis prælegit.

4. Notabo, eum ipsum Deum in cruce pendentem esse Deum exercituum, qui generosi & validi ducis instar, tacitè potentias infernales & oppugnauit & expugnauit, earum vires eneruans, & regnum peccati subuertens. Arma eius sunt crux, spinæ, claui, flagra, iniuriæ & probra; docens nos eadem opera, si vincere inimicos velimus, eisdem nos armis vti, corporaque nostra pœnitentia subigere & mortificare oportere.

ME-

MEDITATIO XXXVI.

De glorioso titulo Crucis Dominicæ. Matth.27.Marc.15.

1. NOtabo, crucis Dominicæ titulum hæc continere verba, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. quibus verbis, vt Marcus ait, causa cur morti addictus sit, continetur. Primum verbum est Iesus, id est, Saluator, quod ei nomen in circumcisione impositum, cùm Redemptoris primum officium adiit, & in morte, in summo illi vertice confirmatum; moriens namque quidquid huc spectabat impleuit. Secundum Nazarenus, id est, floridus; nam Dominus, cruce conscensâ pulcherrimos præstantissimarum virtutum flores produxit, quas suo ibi docuit exemplo. Verbum quoque hoc Sanctum denotat, ad declarandum, Dominum, qui in cruce pendebat, esse Sanctum Sanctorum, qui pro aliorum delictis, non suis, occumbebat. Tertium Rex, cœlestis scilicet ac diuinus, cuius regnum in ligno cœpit, quemadmodum peccati in arbore vetita initium habuit. Hinc discam, si cum Christo regnare velim, esse mihi veterem hominem crucifigendum, & corpus peccati destruendum. Postremum verò, Iudæorum. Etsi quidem scelesti illi Iudæi confiteri tum nollent, Christum suum esse regem, verè tamen erat, vti & mundi totius. hinc & titulus crucis triplici scriptus fuit linguâ, vt omnes eum orbis nationes intelligerent.

2. Multi

2. Multi titulo hoc offendebantur, atque inter cæteros Pontifices ac Pharisæi; alij curiositate moti, eum quidem inspexere, quid vellet tamen non intellexere; alij, vt Deipara & Ioannes, eum pio affectu legerunt, & quæ continebat mysteria penetrabant, atque hoc in sanctarum scripturarum lectione imitari oportet.

3. Pilatus titulum hunc, etsi instantibus Iudæis, ipsum vt mutaret, mutare noluit, idque diuino instinctu, omnes vt intelligerent, quidquid titulus continebat, esse verissimum. Hinc discam, in eis, quæ ad honorem diuinum cœpi, ad extremum vsque constanter perseuerare, refragante licet spiritu nequam, & prauis inclinationibus impedire conantibus.

MEDITATIO XXXVII.

De vestium Domini diuisione.
Matth. 27. Ioan. 19.

MEditabor, milites, qui Dominum crucifixere, vestes eius inter se diuisisse, 1.
sortem mittentes cui illæ cederent, aut quis potiorem partem tolleret. quod in insignem Domini contumeliam cedebat. Ita namque ostendebant, vestibus illum posthac opus non habere.

Considerabo has sibi permisisse Dominum tolli, vt perfectæ nobis paupertatis exemplum daret. eo se spoliari sinens, quod solum in orbe possidebat, adeò vt eius nec vsus nec proprietas sibi superesset;

in quo ardentissimam quoque carita-tem prodidit, cùm quidquid possideret, hominibus cederet, corpus, sanguinem & facultates.

2. Sortem super tunicam inconsutilem misêre, vti iam antè Psalmista prædixerat *Psal.* 21. quam suis Deiparam texuisse manibus communis tradit opinio; cui graue fuit, hanc in sacrilegas tortorum manus incidisse videre, & quidem pretioso agni immaculati & innocentis sanguine tinctam, quem fera pessima, inuidia inquam, vitâ priuauerat, & crucis stipiti affixerat.

3. Milites considerunt vestes Domini diuisuri, eumque ex Iudæorum petitione custodituri; metuebant hi siquidem, ne viuus è cruce tolleretur, aut solitum crucifixis dari solamen ei daretur. Meditabor quoque, Domino in tormentis hisce immanibus & ignominiosis constituto, inimicos alia illi irrogasse, mille eum calumniis & blasphemiis proscindendo. quod incredibili inuictaque tolerabat patientiâ, frendente Satanâ, qui administrorum suorum ministerio ad impatientiam illum cogere satagebat. Credendum quoque hosce diaboli satellites turpes fœdosque ore gestus edidisse, sibilasse & caput p[illegible] ludibrium motitasse; dicendo: *Si filius Dei es, descende de cruce. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Alios saluos fecit, seipsum nō potest saluum facere. Confidit in Deo, liberet nunc si vult, eum.* Hasce autem blasphemias & ludibriâ magnâ Dominus patientia & sum-

summâ mansuetudine excipiebat; quin & latrones quibuscum crucifixus erat, non secus atque alij, teste D. Marco, illi improperabant cachinnantes.

Meditare, quomodo matrem beatissi- hæc improperia ludifimam cantium pupugerint, quorum brutalem immanitatem etiam in matrem ipsam redundasse, fit verisimile, maledicendo, quòd huiusmodi genuisset filium. Verùm hæc ipsa opprobria insigni modestiâ, patientiâ, & humilitate tolerabat.

MEDITATIO XXXVIII.

De primo Domini verbo in cruce pro inimicis suis orat. Luc. 23.

PRima Doctoris huius mirifici in crucis cathedra lectio oculis in cœlum sublatis fuit, quando pro crucifixoribus suis & pro iis qui iam actualiter illi insultabant, Patrem cœlestem rogauit, dicens: *Pater ignosce illis; non enim sciunt quid faciunt.* Non petit vt ignis cœlo descendens illos in nihilum redigeret, verùm vt diuini amoris ardor illorum corda succenderent, & efficaciter ad pœnitentiam conuerteret. In qua eximia eius notanda charitas. 1.

2. Singula orationis huius notabo verba: quamuis enim maiestas eius absolutè in quantum Deus, ignoscere illis poterat, vti & ignoscebat; Patrem tamen suum orabat, iis vt offensam hanc remitteret, illorum ignorantiæ eam adscribens, in ea

plerisq;

plerisque aduersariorum affectata ea foret, vt scilicet infinitam charitatem suam hoc pacto testatam faceret. ecquis enim eum accuset, quem ipse excusat? Hinc discam proximi imperfectiones excusare, etiamsi nobis ille infestus sit.

3. Sanctæ huius orationis, quam lacrymæ comitabantur, effectus perpendam: Si enim diuina maiestas humilium preces exaudiat, quanto potiùs Filium suum vnigenitum humillimum & maximè humiliatum exaudiet? Hinc eum Paulus ait exauditum pro sua reuerentia, id est, ob respectum & honorem infinitæ dignitati eius debitum. ac proinde plurimi Iudæorum adstantium, huius deprecationis energiâ, veniam delicti obtinuere, & ad Petri prædicationem fidei Christianæ accessere.

Cogitabo quantam hæc oratio in adstantium animis admirationem causarit, præsertim in Virginis, S. Ioannis & aliorum piorũ pectore, qui auditâ insolitâ hâc oratione stupebant, & dolebant videntes hunc mortem oppetere, qui tanto pro inimicis suis orabat affectu.

MEDITATIO XXXIX.

De Latronibus cum Domino crucifixis, deq́ secundo verbo ad horum alterum prolato, quo illi paradisum promisit.
Matthæi 27.

PErpendam profundam Redemptoris humilitatem, inter duos latrones mori volentis, qui sine dubio omnium vinctorum Pilati erant sceleratissimi. Item Dominum, qui in die transfigurationis, Mosem inter & Eliam apparuit medius, vnicum scilicet æterni Patris filium, & figuram substantiæ eius, hodie in monte Caluariæ, inter duos latrones, velut illorum principem, aut sceleris eorumdem socium, crucifixum pendere. Hinc discam, sincerè me & ex animo humiliare, & iniurias hominumq́ue contemptum æquanimiter ferre. 1.

2. Alter latronum, qui scilicet ad sinistram Domini pendebat, illi quoque insultabar; alter verò ad dextram socium carpebat, dicens: *Nos quidem iustè, nam digna factis recipimus. hic verò nihil mali gessit.* Cogitandum hic, latronis huius insultationem Domino haud dubiè maximè iniuriam ac pergrauem fuisse; neque enim soli Scribæ & Pharisæi illius innocentiam carpebant, sed & scelestus & infamis latro in crucem ob scelera actus, vnà cum cæteris Domino improperia oggerebat.

Domino tacente alter latronum Domini partes tuendas suscepit, diuinitus inspi-

ratus : qua in actione heroicas virtutes plurimas exercuit ; primò quòd publicum blasphematorem verbis grauibus reprehenderit, dicens ; *Nec tu times Deum, cùm in eadem damnatione es?* Secundò quòd palàm delicta confitemur, ob quæ hoc supplicium meritò pateretur. Tertiò, quòd Christi innocentiam tueretur, dicens ; *Hic verò nihil mali gessit.* quod sine dubio heroicum facinus fuit coram omnibus exercitum, & quidem quando eum Pilatus cum Scribis & Pharisæis morte dignum iudicarant, quando discipuli metu pauidi hinc inde aufugerant, & amici tecti ne hiscere quidem audebant.

3. Bonus hic latro ad Dominum conuersus aiebat : *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Quibus verbis primò eum Dominum, dein regem confitetur ; tandem petit non vt à cruce eum liberet, non in regno eius sedem ambit, (neque enim latronis est tam ardua petere) sed duntaxat, sui vt meminisset : adeò vt petitio eius plena fuerit fidei, humilitatis, fiduciæ, cum eadem opera delictorum veniam postularet.

Deinde causas exquiram, ob quas tam subitò vitam suam latro commutauit ; non Domini prædicatione aut operibus miraculosis, at dumtaxat heroica eius patientia & singulari tot inter tormenta, iniurias, opprobria mansuetudine, & quod pro persecutoribus Patrem rogasset. Hinc discam, quantæ bonum exemplum sit efficaciæ, & quomodo boni latronis exemplo orandū sit.

4. Per-

4. Perpendam Christi responsum; *Amē dico tibi, hodie mecum eris in paradiso:* è quo orationis pro peccatoribus antè effusæ elucet efficacia. nam statim in nobili hoc peccatore eius fructum vidit. Apparet hic item pretiosi sanguinis Christi in cruce effusi virtus, cuius primitiæ fuit bonus hic latro, cui ipse culpam remisit, à culpa simul & pœna absoluens, cœlum ei promittens, sine dilatione offerens, & votorum illum compotem reddens, ac dicens eo ipso die illum in regnum cœlorum admittendum, ac miserabilem crucis sortem & supplicia in delicias paradisiacas conuertenda.

5. Notabo, disparem bonorum ac malorum statum in gemino hoc latrone, quorum vnus electus fuit, alter reprobatus, designatum. Etsi verò pretiosus Domini sanguis ad vtrumque iustificandum sufficientissimus foret, nonnisi tamen in vno diuina illius virtus operata est, vt nos metu pauidos suspenderet, à vana præsumptione deterreret, simulque aduersus pusillanimitatem fiduciā daret: itaq; spem simul & timorē inter fluctuare doceret; simul vt hinc disceremus, non esse ad delicias diuturniores aspirando, vitæ emendationem in mortis horam differendam. Perpendam denique quem in beatissimæ Virginis anima latronis huius conuersio, ac filij sui promissio motum excitarit, videndo & admirando tot inter contumelias & opprobria reperiti vel vnum, qui filij sui honorem tuetur, per cuius passionis ac tormentorum merita, cœli ianuæ à tot retro annorum

millibus obſeratæ, peccatoribus laxaren-tur. Meditabor, Deiparam benignè admo-dum latronem allocutam, verbiſque con-ſolatam, ſpem accendendo, quam in filium is conceperat, illumque animando, vt piè ac Chriſtianè moreretur.

MEDITATIO XL.

De tertio verbo, quo Dominus matrem & Ioannem diſcipulum allocutus eſt. Ioan. 19.

1. COgitabo, inter pios omnes, qui Domi-ni amantes cruci adſtabant, hoſtilē ra-biem nihil veriti, maiorem cæteris conſtan-tiam oſtendiſſe glorioſam eius matrem: cu-ius intuitu reliquæ acceſſerunt. Corpore quidē quàm licuit proximè acceſsit, ſpiritu porrò adeò vicina fuit, vt cruci filioque ſuo ſe coniunxerit, fueritque eidem, ob a-moris & doloris magnitudinem, primò viuâ tormentorum apprehenſione, deinde extremo illo quo ipſum proſequebatur a-more, tertiò compaſſione, quòd talis ſcili-cet tanta pro alienis peccatis pateretur, concrucifixa. Hæc omnia tantum in anima eius dolorem cauſarunt, vt omnium mar-tyrum ſupplicia longè ipſe ſuperarit.

2. Notabo verbum Domini ad matrem: *Mulier ecce filius tuus:* quo inſignem chari-tatem ſuam manifeſtauit, opera pietatis exercens etiam in tormentis grauiſſimis conſtitutus, tum pro inimicis orando, la-troni paradiſum promittendo, tum & ma-tri de alio filio proſpiciendo. *Mulier* dixit,

non

non mater, vt ostenderet, quàm parum carni & sanguini tribueret, vtque cœlestis Patris operibus totus incumberet. Hoc tamen verbum insigniter auxit in corde beatissimæ Virginis dolorem, tum quòd ex eo cognosceret, filium sibi valedicere, tum quòd huius commutationis disparitatem aduerteret, quâ pro filio Dei viui filium acciperet pauperis piscatoris, & pro cœlesti magistro, terrenum discipulum. Considerabo, Dominum hic non solùm Ioannem Virgini in filium dedisse, sed in eo etiam reliquos discipulos ac Christianos, quos tunc habebat, & ad mundi finem esset habiturus; in quo non parum nos sibi deuinxit, dum nos quàm liberalissimè matris suæ constituit filios, quæ ex eo tempore nos vt filios habere & curare debebat, cùm nos illi filius in mortis suæ hora commendasset.

3. Cosiderabo & illa ad Ioannem verba, *Ecce mater tua*, quibus discipulo spiritum filij erga sacratissimam virginem, & vicissim Virgini matris ergo ipsum ac reliquos Christianos impressit affectum. Dei enim verba semper apta sunt exequi quod denotant. Hâc Ioannes gratiâ ob virginalem pudicitiam, & singularem in Dominum suum amorem, dum eum ad crucem vsque comitatur, nulla pericula ac difficultates viritus, donatus est: quam eius constantiam & charitatem nos imitari par est, Dominum magnâ cordis & corporis puritate sequendo.

Ex illa hora accepit Ioannes Virginem

in matrem suam, & omnia veri filij officia erga illam sedulò exequutus est, magno illi honore & sollicitudine obsequens, tum quòd sibi eam Dominus commendasset, tum quòd beatum se ac felicem crederet, tali matri tamque perfectæ seruire posse.

MEDITATIO XLI.

De tenebris, quæ facta sunt super vniuersam terram, & de quarto verbo Christi in cruce. Matth. 27. Luc. 23.

1. COgitabo, Deum spissas hasce & prodigiosas tenebras, quas extraordinarius solis defectus causabatur, permisisse, vt ingratus ille populus agnosceret, diuinam se iram grauiter prouocasse, quòd soli iustitiæ oculos occlusisset, quem suâ ipse nequitiâ ad tenebras mortis vsque perduxerat. Terræ quoque vniuersæ superficies furuo fuit colore & tetrâ caligine operta, vt creaturæ creatoris mortem lugentes, eius innocentiam hisce tristitiæ signis testarentur; lumen quoque euanuit, vt occasionem persequentibus eum subsannandi subtraheret, denique vt repentina illâ nocte superueniente motus omnis ac strepitus cessaret turbæ, sicque Dominus maiori quiete tres illas horas in feruenti oratione & lacrymis pro nobis fundendis expenderet; sicut tempore prædicationis suæ noctu se recipere ad montes & solitaria loca solebat, quò orationi vacaret. Licet etiam existimare, Beatissimam Virginem totum ca-

caliginis tempus in feruenti oratione spiritum suum ad altissimam mysteriorum quæ ibidem peragebantur, contemplationem eleuando expendisse.

2. Quartum Domini in cruce verbum notabo, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Hæc dicebat, vt ostenderet se sentire, deseri se interiùs à Patre, quòd scilicet tam grauia se pati sineret, nec consolationem vllam afferret, omnibus membris tam generalibus quàm particularibus dolorem sentientibus: dein quòd diuinitas humanitatem quoad sensibiles consolationes, quas subijcere illi solebat, deseruisset, doloribus illum extremis obruens, vt videre licuit iis in angustiis & agoniis, quas in horto sustinuit. Quin & alio derelictus fuit modo, quando scilicet discipuli præ metu aufugientes, eũ deseruere, & omnis eum Iudæorum populus denegauit. Addere hîc licet, & ad aliam eum desertionem respexisse, vidisseque multa animarum millia fidem desertura, Sacramenta ipsius conculcatura, & labores grauissimos, quos eorum causa pertulerat, parum curatura.

3. Quamuis Christus solùm prædicta verba elatâ voce protulerit, quæ principium sunt Psal. 21. piè tamen credi potest, submissâ voce reliquum Psalmi, quo passio eius præsignatur, prosecutum fuisse. Perpendendum deinde, quàm grauiter B. Virgo lamentabilem hanc Filij vocem senserit, quantoque cum affectu cor ad Patrem cœlestem, ne filium ad voluntati eius parendum occumbentem ita desereret, sustulerit.

MEDITATIO XLII.

De siti Christi in cruce, & quinto eiusdem verbo. Matth. 27.

1. CONsiderandum, graui Dominum siti laborasse, vt qui à nocte præcedente nihil prorsus bibisset, cùm tamen maximos labores in multis itineribus festinanter peractis pertulisset, & plurimum sanguinis effudisset. Hanc sitim etsi diutiùs sustinuisset, non antè tamen indicare voluit, quàm iamiam esset exspiraturus, vt ostenderet scilicet, quantum pro delictis nostris pateretur.

2. Perpendam sitim hanc corporalem designasse & tres alias spirituales; primò sitim atque in omnibus & vbique Patris sui cœlestis voluntatem quàm exactissimè implendi desiderium. Secundò, plura patiendi pro nobis, quàm hactenus tolerasset, si opus fuisset. Tertiò, salutis omnium animarum, vt scilicet sanguis suus effusus omnibus in genere prodesset; hoc namque desiderium diuina eius viscera nimium quantum torrebat. Hic cogitabo, mei vnius salutem Dominum sitiisse, atque optasse, vt summâ illi perfectione seruirem. Notabo item, quàm simpliciter necessitatem suam Dominus exposuerit, vt doceret, nostras superioribus repræsentandas non importunè, non instanter, ac præsertim nostris in orationibus, diuinæ maiestati postulata nostra simpliciter proponenda esse, integrè nos & totaliter in eius manus resignantes.

3. Im-

3. Impij carnifices acetum Domino porrexere in spongia, denotatur hic exsecranda hominis aduersus Deum immanitas & crudelitas, è contra verò infinita Dei erga hominem liberalitas: cùm enim ipse vel vltimam sanguinis guttam illi obtulisset, ingratus ille nimiâ hâc parcitate tantæ bonitati respondet. Perpendenda hic quoque Domini derelictio, qui ne vel vnim habuit, qui sibi siti vexato vel haustũ frigidæ offerret: nã Deipara, quæ quàm libentissimè, non aquam modò illi dedisset, sed & sanguinem è venis elicuisset, supremum hoc illi præstare officium non poterat, ob inimicorum crucem circumstantium multitudinem. Denique quàm graue fuerit Virgini, videre loco haustus frigidæ acetum amaro hyssopo mixtum, vt nonnulli sentiunt, in potum filio dari.

MEDITATIO XLIII.

De sexto Christi verbo in cruce.

MEditabor verbum hoc; *Consummatum est*: quasi diceret. Toleraui quidquid de me Prophetæ prædixere, iam inde à primo incarnationis instanti ad vsque vltimum vitæ finem: hinc beata eius anima in seipsa gauisa est quòd Patrem æternum clarificasset. 1.

2. Perpendam Dominum hæc dicendo, finem respexisse, ob quem in mundum venisset, & officium quod illi à Patre iniun-

ctum erat, scilicet vt pro hominibus offensis satisfaceret, tartarei serpentis caput comminueret, mortem destrueret, doctrinam perfectionis doceret, omnisque se virtutis exemplar perfectissimum redderet: Hinc ait *Consummatum est.* omnia namque impleuerat.

3. Respexit item ad figuras, quæ eum iam inde à mundi exordio præfigurant, ac præsertim ad sacrificia & cærimonias legis veteris. Hinc omnia iam consummata esse ait; neque enim antè spiritum Deo reddere voluit, quàm Patris iussa omnia exactissimè complesset, & executioni mandasset.

MEDITATIO XLIV.

De septimo Christi verbo, & eius morte.

CONsiderabo, Dominum, cùm iam iam spiritum esset redditurus, altâ inclamasse voce, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Altâ inclamat voce, vt omnes intelligerent, vires sibi sufficientes esse ad vitam prolongandam, & mortem, si modò voluisset, auertendam, sed quòd mori vellet, vt Patri obediret. Deinde vt naturalem ostenderet sensum, quo anima eius afficiebatur dum à corpore separanda esset, quòd triginta tribus annis fidum se illi socium præbuisset, & in omnibus redemptionis operibus ipsi esset cooperatum. Clamauit denique Dominus voce sonorâ in

n signum victoriæ, quam de dæmone, inferno & peccato per crucem referebat, in qua corpus tormentis comminui ac confringi voluit, vt Gedeonis instar humanitatis suæ vasculum frangendo, infernales Madianitas debellaret.

2. Singula hæc verba perpendenda sunt, quæ in mortis hora propriè admodum vsurpantur; neque enim spiritus noster in manibus alterius quiescere potest securiùs, quàm Patris, à quo formatus est. Cogitabo item Dominum spiritum Patris commendando, omnium quoque electorum spiritum illi commendasse; *qui enim adhæret Domino*, inquit Apostolus, *vnus spiritus est*: adeo vt tum spiritum ipse meum, & vitam spiritualem quam videre debeo, Deo Patri commendarit, ipsum orans, vt omnia in protectionē admittere suam dignaretur.

3. His dictis inclinato capite animam sanctissimam in manus Patris tradidit. caput autem inclinat, vt ita humilitatem & obedientiam suam significaret; deinde vt nobis magis nostrorum grauitatem peccatorum aperiret quæ suo ipsum pondere ad mortem vsque dimiserunt; tertiò vt limbi locum, ad quem eius spiritus iter dirigebat, eâ inclinatione designaret. Ex his omnibus fructus aliquis eliciendus, & gratitudinis & recognitionis motus educendus.

Cogitabo, quamuis Dominus volens ac sponte moreretur, vi & atrocitate tamen dolorum, quos sustinuerat, & sanguinis defectu, qui ex eius vulneribus effluxerat, reuerà mortuum esse. nam sanguine defi-

ciente, corpus eius aridum quodam modo, exsuccidum & viribus fuit destitutum: hinc mutari color faciei cœpit, qui in mortis articulo pallescit & marcescit, vt in agonizantibus cernere est. Ita scilicet benignissimus Iesus, in arbore crucis exspirauit, cùm gloriosè cursum confecisset, & adimplesset omnia, quæ ad vigilantissimi Pastoris, summi Pontificis, Doctoris sapientissimi, Redemptoris liberalissimi, & veri solis iustitiæ, doctrinæ & vitæ integræ lumine omnia illustrantis officium spectabant. Cogitabo, quis tum sanctissimæ Virgini fuit sensus, dilectissimi filij corpus exanime, & in morte verum dolorum exemplar factum videnti. Quas illa lacrymas oculis effuderit: qualia suspiria, quos gemitus corde eduxerit: quos questus amore plenissimos æterno Patri obtulerit. Denique licet considerare, quod multi sancti scriptores hoc loco notant, & dæmonem præsentem ad vnum crucis latus adfuisse, solicitè exspectantem, si quid fortè in Christo inueniret, quod culpam redoleret: sed sua illum malitia & Christi sanctitas decepit. Credendum quoque, aliquos à Patre æterno ex hierarchiis cœlestibus angelos submissos, qui morti vnigeniti sui assisterent, non quò illum hoc in certamine adiuuarent, sed venerarentur.

MEDITATIO XLV.

De miraculis ac prodigiis quæ post Christi mortem euenerunt. Matth. 27. Luc. 23.

COntigere hæc prodigia ad morientis gloriam denotandam, & ſcelus illi mortem inferentium deſignandum; ſimul etiam vt in figura oſtenderentur mirabiles effectus, quos hæcce mors cauſari debebat. Velum templi ſciſſum eſt in duas partes, in ſignum blaſphemiæ ac ſacrilegii execrabilis Iudæorum, quod vnicum Dei filium cruci affigendo commiſerant; deinde vt ſignificaretur, Chriſti morte aperiri viam ad ſecreta & myſteria Dei cognoſcenda, quæ antea partim ſub legis veteris inuolucris latebant, partim etiam ob peccatorum noſtrorum, quæ Deum ab hominibus ſegregabant, caliginem, cerni non poterant. Terra mota tremuit, petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta, creaturis inſenſibilibus ſuo modo ſuum in creatoris obitu luctum declarantibus. 1.

2. Cogitabo, centurionem, qui corpus Domini cuſtodiebat, viſis hiſce prodigiis, & auditâ ſonorâ Domini voce quam circa vitæ extremum adeò intendebat, confeſſum eſt palàm, *Verè hic homo filius Dei erat, & iuſtus.* Id ipſum & milites, quibus præerat dixere, & cæteri qui hiſce interfuerant, & videbant quæ fiebant, percuſſis pectoribus in vrbem mœſti reuertebantur.

Mirabor hic efficaciam ſanguinis Domini, qui tam breui tempore corda antè ſaxo duriora molliuit ac fregit. Orandus hic ergo, vt corda noſtra tangere & gratiâ ſuâ mollire dignetur.

MEDITATIO XLVI.

De Christi latere aperto, deq; quinque eius vulneribus. Ioan. 19.

CONſiderabo, Principes ſacerdotum rogaſſe Pilatum, vt frangerentur crucifixorum crura, quo deinde tollerentur; hoc fictæ religionis & pietatis prætextu duas ob cauſas fecere, vel ad Chriſto nouum tormentum afferendum, ſi vixiſſet, vel ad mortui augendam ignominiam. Videntes etiam plebem ex viſis prodigiis compungi, & iuſtum eum confiteri, volebant illi pœnitentiæ occaſionem ſubtrahere, atque gloriam, quæ inde forſan in Dominum redundaſſet, obſcurare.

Antiqua lex erat, vt cruci affixi ea ipſa die è cruce tollerentur, quod in ligno ſuſpenſus, maledictus haberetur, quam Dominus legem etiam in ſe impleri voluit, maledici cupiéns, vt nos à peccati maledicto liberaret.

Milites venientes vt crurifragium hoc peragerent, viſo Chriſtum iam exſpiraſſe, oſſa eius non fregere. quod magis diuinâ factum prouidentiâ, quàm humanâ voluntate: Deo ita res diſponente, vt praua hominum conſilia & cogitationes fruſtrà & ſine

fine effectu forent. Lege quoque de agno paſchali, qui Redemptoris mundi erat figura, cauebatur, *Os non comminuetis ex eo.*

2. Vnus militum, de morte Christi certus eſſe dum vult, lanceâ latus eius aperuit, nouam hanc illi iniuriam irrogans, cùm pro voluntate Iudæorum oſſa frangi non potuerint. Vulnus hoc lanceæ magis Virginis animam ſauciauit ſub cruce ſtantis, quàm corpus in cruce pendens iam exanime, ſenſu vitaque deſtitutum. Duas ob cauſas hocce vulnus Dominus admittere voluit; primò vt nullum in corpore foret membrum, quod non pro noſtrorum ſcelerum ſatisfactione pœnam ſuſtineret; dein vt nobis per hoc vulnus ianuam patefaceret, per quam intrantes videremus, quàm viuis amoris flammis intus ardeat. In ſacro hoc vulnere habitare debemus, & quieſcere, atque huc confugere, quando Satanas & tentationes nos impetunt.

3. Ex aperto latere continuò exiuit ſanguis & aqua. Exiguum hoc ſanguinis in corde ſuperflui ſeruare noluit Dominus, ſed eum ad extremam vſque guttam, in hominum redemptionem profudit. Sanguini porrò aquam permiſcuit, vt mortis & paſſionis ſuæ efficaciam oſtenderet, ad nos ſcilicet à peccatis abluendos, & ab iis gratiæ ſuæ aqua mundandos, illius virtute concupiſcentiæ noſtræ ardores exſtinguendo. Ad denotandum etiam, è ſacro Christi Ieſu in crucem acti, & in eadem mortui latere vi amoris eius nouæ legis Sacramenta cum virtute lauandi & ſan-

sanctificandi animas profluxura. Aperiri item latus voluit, vt designaret, quemadmodum Eua è costa Adæ formata fuit, ita Ecclesiam è sua, velut alteram Euam, matrem viuentium, nascituram. Ante crucem prostrati, spiritu animoque sacratissimam Virginem, & alias pias matronas comitantes, contemplemur Redemptoris corpus vulneratum & plagis coopertum; deinde ab anima petamus, quis sit ille, quem in cruce confixum contemplamur; & quam ob causam affixus sit. Atque inde affectum & motus, quos tertiæ hebdomadæ exposuimus initio, excitemus.

MEDITATIO XLVII.

De depositione Christi de cruce. Matth. 27. Ioan. 19.

1. NOta, particularem Dei nostri erga suos tum viuos tum mortuos prouidentiam: corpore enim Domini tanta cum infamia cruci affixo, nemo vt amicorum ob Iudæorum metum illi accedere propius auderet, ne aduersarij inde eum noua cum infamia abstraherent, Iosepho viro nobili ac diuiti, qui iustus erat, & exspectans regnum Dei, inspirauit, vt hac in occasione se proderet, & audacter à Pilato corpus doctoris sui peteret. In quo mirificè passionis virtus relucet, quæ à fidelibus cæteris metum & inertiam fugat.

Cogita & pondera humilitatem & obedientiam Saluatoris, dum etiam in se ser-

nari leges malefactorum crucifixorum voluit; nam hos iudicis iniussu è cruce deponi nefas erat: hanc porrò facultatem peti voluit, vt quemadmodum ex obedientia crucem conscenderat, ita etiam ex obedientia eadem descenderet.

3. Eadem diuina prouidentia Iosepho socium addidit Nicodemum, virum item nobilem & iustum, ac Christi discipulum: permagni quippe refert bonos ad opera pia perficienda iungi. Ioseph sindonem mercatus est nouam ad sacrum corpus inuoluendum, Nicodemus magnam pretiosi vnguenti quantitatem, quo ipsum vngeretur. Vtriusque horum imitari pietatem oportet.

3. Notandum quoque, quâ deuotione, reuerentiâ, compassione, quibus lacrymis corpus Domini è cruce deposuerint, manus & pedes illi osculando; quantaque cum pietate coronam spineam illi abstulerint, brachiis eum sustinentes, donec in terram descendissent; tandem Virgini eum dantes, quem suis ipsa vlnis & sinu fouit. Cogita, quæ fuerint piæ matris lacrymæ, suspiria, & colloquia, qui Sancti Ioannis, Magdalenæ & aliarum piarum matronarum, quæ tristi huic spectaculo & piæ actioni interfuere, planctus, fletus ac gemitus.

MEDITATIO XVIII.

Quomodo Filium è cruce depositum suo Virgo gremio exceperit.

COnsiderabo quantam Virgo tristitiam senserit, videns filium carissimum in cruce exstinctum, & neminem adesse, qui eum sibi de cruce deponeret, vt mortuum stringendo, quem viuum amplecti minimè potuerat, hoc saltem solatiolo dolorem leniret. increuit porrò is dolor, cùm loco eius, qui hoc sibi præstaret officium, militem mortui latus lancea vidit aperientem: nam ictus hic & plaga maternum magis pectus quàm filij corpus affecit.

2. Cogitabo in mediis illius afflictionibus misisse diuinam prouidentiam viros iustos, qui corpus de cruce depositum illius in gremio reponerent, quæ illud, velut pignus carissimum, & pretiosum thesaurum accepit,

3. Perpendam quibus illud lacrymis humectarit, quæ corde depromeret suspiria, quæ ore verba profunderet, videns sacras plagas, quas osculabatur & lacrymis tergebat. Modo spineam in manus coronam sumebat, modò capiti imponebat, deinde iterum in lacrymas dolorem redintegrans prorumpebat. Quàm dispar fuit amaritudo filium exstinctum gremio tenentis, à gaudiis, quæ, illum vberibus tenerum applicando, olim senserat.

4. Con-

4. Conſiderabo, quàm triſte & amarum illi fuerit, cùm ad inſtantiam ac preces iuſtorum illorum corpus tumulo imponendum reddere coacta fuit.

MEDITATIO XLIX.

De Chriſti Domini ſepultura.

CVm Virgo Sacratiſſima aliquantulum gremio Filij corpus habuiſſet, Ioſephus & Nicodemus myrrhâ illud & aloe aliiſque vnguentis magnâ abundantiâ profuderunt, ſicut tormenta & opprobria exceſſiuè in ipſum effuſa erant. Myrrhæ enim liquor funebris & amarus mortificationem ac labores deſignabat, quos Seruator iam inde à primo vitæ momento ad vſque vltimam vitæ horam pertulit. Dein corpus ſacrum ſindoni inuoluentes, ſudario caput pro more patriæ operuerunt.

In omnibus his paupertatem Dominus exercuit: myrrham enim, ſudarium & ſindonem piorum dono habuit, quin & ſepulcrum fuit alienum.

2. Piè credi poteſt inuolutum corpus feretro fuiſſe impoſitum, & à viris piis ad ſepulcrum delatum, comitante Deiparâ, quæ filium ſuum vnicum in flore ætatis, iniuſtè vitâ priuatum querebatur. Item angelorum choros exequiis eius interfuiſſe, vt corpus hoc diuinitati iunctum honorarent & angelos pacis iuxta Iſaiam, amarè fleuiſſe, id eſt, tantam flendi occaſio-

ſionem fuiſſe, vt, ſi beati illi ſpiritus lachrymarum capaces fuiſſent, vberem illarum copiam effudiſſent.

3. Notandæ ſunt ſepulcri qualitates & circumſtantiæ. primò, quòd fuit in horto: nam vt primus Adam in horto præuaricans animi ſimul & corporis mortem incurrit, ita ſecundus Adam hoc & reliquâ aliorum peccata in horto planxit, & ibidem ſepeliri voluit, vt nos à peccato & morte liberaret. Deinde fuit nouum; cùm enim hic Dominus nouus eſſet homo, omnia noua eligere voluit, nouam matrem, nouos diſcipulos, nouum ſepulchrum. Exciſum tertiò erat in petra, & quidem ferri violentia, vt ſignificaretur in eo ſepeliendam petram viuam ac ſolidam Chriſtum, tormentis paſſionis petræ inſtar exciſum & elaboratum. Hoc in ſepulchro corpus collocatum fuit, humiliante ſe eo, qui habitat in excelſis, vt ſub terra inter mortuos collocaretur, in viſceribus terræ conditos, quò nos ab inferiori inferni lacu & vmbra mortis liberaret. Hinc apparet, ſepulcrum hoc penitus glorioſum fuiſſe; & animam noſtram ſimiles habere qualitates debere, vt dignum fiat Domino domicilium, quando eius ad nos maieſtas deſcendere ſub ſpeciebus Sacramenti Euchariſtici voluerit.

MEDITATIO LI.

De solitudine Virginis post Filij sepulturam.

SEpulturæ officio peracto, & cruce Filij 1.
adoratâ, Virgo Deipara ad se reuersa est
extremo & indicibili dolore oppressa. In-
ter redeundum autem cauit, ne quas san-
guinis filij sui notas conculcaret, certa
quòd eius diuinitate esset coniunctus. Cùm
ad habitationem suam redisset, gratias duo-
bus illis viris ob officium filio exhibitum
egit, & mercedem illis pietatis atque ob-
sequij spopondit reddendam.

2. Ingressa domum in conclaue se abdi-
dit; hic lachrymis & planctibus habenas la-
xans, & suspiriosa colloquia modò ad Pa-
trem æternum, modò ad animam filij in
Patrum limbo versantem, modò ad cor-
pus eius in sepulcro positum directa inter-
miscens, tam lamentabiliter querebatur,
vt vel saxa ad misericordiam flectere po-
tuisset. Dein ad pias mulieres conuersa,
quæ illi collacrymabantur, spem ac fidem
illarum aliquoties erigere conabatur.

Meditabor, Redemptoris animam, cùm
in limbo inferiori ageret, vbi animas Pa-
trum & carissimorum suorum liberabat,
& sanctâ præsentiâ suâ consolabatur, non
oblitam intereà esse eorum, quos in terra
reliquerat, qui velut oues errabundæ à pa-
store suo recesserant, illis inspirando, vt ad
sanctissimam matrem suam se reciperent,
vti

vti Petrus alijque ad eam venêre, quos multis cum lacrymis pauorem ac meticulositatem suam confessos esse sit verisimile. quos Virgo quàm blandissimè est consolata, spem illis faciens filium propediem resuscitandum.

Licet etiam perpendere sensum ipsius Virginis & Apostolorum, cùm aduerterunt duodenario suo numero deesse Iudam, qui si pœnitens ad Virginem venisset, absque dubio illum recepisset, sicut alios ad ipsam confugientes receperat.

3. Matronæ autem piæ, considerantes ea quæ in Domini sepulturam contigerant, parauerunt se ad aromata coëmenda, vt pretiosum Domini corpus post paschalem vngerent solennitatem.

MEDITATIO LI.

De custodibus ad sepulcrum Domini adhibitis. Matthæi 27.

1. COgitabo, Iudæos ne quidem à mortuo & sepulto Christo exagitando cessasse, vtpote quem seductorem nuncuparunt, & Pilatum rogasse, sepulcrum eius custodiri iuberet, ne fortè clanculò illum discipuli abriperent, & populo illum resurrexisse persuaderent: tantarum scilicet virium est scelesta & inordinata improborum passio, vt noua delicta prioribus adiungere illos compellat. Verùm sua illos excæcabat malitia, & ea Dominus ad resurrectionem illustriorem certioremq; reddendam vtebatur.

2. Non

2. Non ſatis illis erat, cuſtodias impetraſſe, ſed & lapidem ſignarunt, panico ſe pauore conſternari prodentes. Noſtrum eſt animas ſignare, poſtquam Chriſtum in illas admiſerimus, ne eum aduerſarij ſurripiant.

3. Conſiderabo corpus ſacrum diuinitati iunctum triduo ipſo incorruptum, iuxta Pſalmographi vaticinium, in ſepulcro manſiſſe.

MEDITATIO LII.

De glorioſo Chriſti Domini ad limbum deſcenſu, & de gloria, quam patribus ibi communicauit.

Conſiderandum eſt, limbum eſſe locum ſubterraneum, ad quem deſcendebant animæ in gratia morientium; cœlum quippe ſubire eis non licebat, etſi alioquin ſanctiſſimis, idque propter Adæ peccatum; donec Chriſtus pro omni humana natura occumberet. Hoc in loco erant ſancti Patres ſemper ad libertatem aſpirantes, & diuinæ maieſtati ſupplicantes, vt eos liberatos glorioſâ faciei ſuæ viſione bearet: & iuxta vehemens hoc deſiderium, multos deuotionis actus cum motibus ineffabilibus exercebant. Hos nos imitari par eſt, Deum orantes, vt nos è corporis huius carcere liberet, quo nobis in perpetuum ipſo in gloria cœleſti frui liceat.

2. Statim atque Chriſtus exſpirauit in cruce, remanente in ea eius corpore diui-

nitati coniuncto, sanctissima eius anima eidem diuinitati vnita ad limbum descendit, vt iustorum animas, à quibus expectabatur, liberaret. Suam hic patefecit charitatem; cùm enim vel verbo, vel per angelum inde eas educere posset, ipsemet eò descendit, declaraturus quantopere eos amaret, & quàm grata sibi illorum fuissent obsequia, infinitum passionis suæ illis meritum applicans. Eluxit hîc etiam eius humilitas, cùm ad peccatorum carcerem descendit, etsi liberatoris ac Saluatoris, non captiui ritu eò descenderet.

3. Insigni cum maiestate eòdem penetrauit, multis angelorum millibus comitatus, verba illa Prophetæ cantantibus; *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* Tum illi se tartareæ potestates dedidere nihil refragatæ, pretiosi sanguinis eius virtute portas & vectes carceris illius tenebricosi confringente. Exultemus oportet ob omnipotentiam Saluatoris, & ob mortis ac passionis eius efficaciam, maiestati eius supplicando, eam vt animabus nostris applicet.

4. Limbum porrò ingrediens, tenebrosam eiusdem caliginem dissipauit, suamque omnibus Sanctorum animabus gloriam communicauit, quæ proinde glorificatæ sunt, ac subterraneus ille carcer subitò in cœlestem paradisum commutatus. Cogitabo ecquod Sanctorum illorum fuerit gaudium ob repentinam miseriarum ablationem, quamque beatos labores suos præteritos censuerint, cùm se beatitudine

post

post hæc fruituros cernerent. Imaginabor, iustos omnes seriatim & ordine Saluatori gratias ob labores pro illorum salute & liberatione toleratos egisse, illi de victoria post tot conflictus & certamina congratulantes. Credi piè potest, Adamum & Euam, primos generis humani auctores, gratulationem hanc exorsos, & reliquos dein ordine Patriarchas, Prophetas, aliosque secutos. Hinc considerabo immensum gaudium, quo affecta fuerit Christi Domini anima, cùm tantam animarum multitudinem suo vidit sanguine redemptam, quamque bene collocatos omnes passionis suæ labores censuerit, dum primos fructus adeò copiosos vidit.

5. Domino in limbo agente boni latronis anima eodem peruenit, & reliquarum instar gloria fuit donata, iuxta promissionem paulò antè illi à Domino factam. hanc ipse mox omnibus inspectantibus honorauit, quòd se tormentis & supplicijs oppletum in cruce esset confessa, hostes furiales nihil morata. tunc iusti omnes generosam eius & constantem in cruce fidei confessionem dilaudarunt.

Credendum quoque, eodem tempore, quo sub terra mansit, Christum purgatorium spoliasse, plenariam omnibus quas ibi reperit animabus, ex pretiosi sanguinis sui in passione recèns effusi virtute indulgentiam concedendo, angelis imperans, vt in limbum eas ad se educerent. Cogitare hîc licet, ecquod illarum fuerit gau-

dium, cùm eò primùm venere, & quàm benignè illas Dominus & iusti omnes exceperint.

Vltimò licet & rabiem damnatorum perpendere, qui Christi descensum in limbum sentientes, se relinqui, nec vllam sui rationem haberi viderunt, præsertim Iudæ & mali latronis; Luciferi quoque & angelorum eius, cùm se victos & alligatos per eius omnipotentiam viderunt; item captiuos vinctosque, quos tot annorum millibus detinuerant, in libertatem assertos. Glorioso hoc triumpho Domini nostri exultare & plaudere debemus.

PA-

PANIS QVOTIDIANI SIVE SACRARVM MEDITATIONVM LIBER QVINTVS.

PRO SABBATO

Præmonitiuncula.



Niuersa Christi per orbem Ecclesia sanctißimam Dei Matrem Virginem Mariam *peculiari semper deuotione & cultu venerata est, iuxta verißimam scilicet illius prædicationem:* Beatam me dicent omnes generationes. *Quotidiana enim eius est tum in priuatis, tum in publicis precibus commemoratio. Celebratur quotannis multis festiuitatibus eiusdem memoria. Totum Dominici aduentus tempus refert ipsam gestantem vterum: tempus à Domini nostri Iesu Christi Natiuitate vsque ad Purificationis festum eam celebrat lactantem Infantulum. Resurrectionis verò quinquaginta*

dies eandem nobis repræsentant de gloriosa Filij tum resurrectione, tum in Cœlos ascensione gaudentem. Æquũ etiam censuit Ecclesia qualibet hebdomade diem septimũ Virginis cultui deputare, tum vt qui à gentilibus dicatus erat Patri falsorum Deorum, impio Saturno, nunc dicaretur Matri verissimi Dei, piissimæ Mariæ; tum vt ipsa dolorum suorum memor, quos eo die, passo iam mortuoq; & sepulto Filio sustinuit, nobis sit in angustijs nostris solatio. Vt communi igitur fidelium subseruiremus pietati, visum est huic diei eas assignare meditationes quæ ad Virginis spectarent cultum & venerationem. Ne autem cum ipsis B. Virginis festiuitatibus coinciderent hæ meditationes, repræsentauimus eas quas in nobilissimum & suauissimum Canticum Salue Regina iam totis quingentis annis magno consensu in Ecclesia Dei vsurpatum conscripsit R. P. Franciscus Costerus. Sed cùm prolixiores futuræ viderentur, singula puncta nouis exornata inscriptionibus pro integra hîc exhibuimus meditatione. Atque vt toto anno piè commentandi suppeteret materia, alias eiusdem Auctoris de Corona stellarum duodecim, quibus S. Virgo fuit coronata, simili modo

modo partiti sumus, eiusdemq; verbis expressimus. Fruere, pie Lector, ad maiorem Dei & B. Virginis gloriam, animaeq; tuae pastum & salutem.

DE CANTICO SALVE REGINA,

MEDITATIO I.

De Cantici initio & salutatione.
Salue Regina, Mater misericordia.



ONSIDERA 1. hoc Canticum sui initio salutationem continere. Etenim Virgo Mater perlubenter à nobis salutatur. 1. Quia omnis eius felicitas cœpit à salutatione.

2. Vt humilitatem suam nobis exhibeat & benignitatem, quæ non dedignatur à vilibus homuncionibus admmittere salutationem; cùm nos interim fastidiamus pauperes salutantes, faustaque nobis comprecantes.

Considera 2. *Salue* non esse vel optantis, vel desiderantis, vel precantis vocem, sicut in salutationibus humanis, in quibus Salue idem valet, quod opto, precorque tibi

omnia prospera atque ex voto. Plena est enim gloria, omnique felicitate & bonis Virgo beata, neque vlla precibus nostris eiusdem maiestati vnquam fiet accessio. Est igitur vox congratulantis & congaudentis de tantis donis, beneficijs, & immensa gloria, quæ vtique congratulatio Virgini est longè gratissima. 1. Quia indicamus esse nos memores diuinorum beneficiorum, quæ per hanc Virginem accipimus. 2. Quia nostrum in Matrem Christi amorem testamur, cùm amicus sit, qui amico patienti compatitur, & gaudenti congaudet. 3. Quia ex congratulatione videtur augeri gaudium, sicut calor ignis, qui à pluribus carbonibus suscipitur. quemadmodum contrà, dolor compassione minuitur, quasi in plures diuisus. Et reuerà meritò congratulatur & congaudet Virgini Matri vniuersa Ecclesia, per quam ad eam dignitatem euecta est humana nostra natura, vt Mater sit omnipotentis Dei, eam nacta est felicitatem, vt Patronam habeat, Aduocatam & mediatricem apud Deum, cuius preces nunquam non exaudit pro Matris reuerentia Deus Filius. Non enim anxiè, solicitè, & dubiè precatur, sed, vt canit Ecclesia, gloriosâ intercessione, vt gloriosa eius intercessio nos protegat.

Considera 3. à nobis Reginam mundi, Deique Virginem Matrem, vt à pauperibus mendicisque ditissimam & effusissimam Dominam consalutari, quorum salutatio ad stipem & eleëmosynam impe-

trandam refertur. Hac igitur ſalutatione Virginis fauorem nobis tum conſeruari, tum augeri precamur. Cæterùm vt vtilis ſit nobis iſta ſalutatio, magna reuerentia, magna humilitas, magna eſt charitas adhibenda. Si enim Reges Principesque viros, qui ſunt Chriſti vicarij & miniſtri, Virginiſque huius ſerui, ſummâ animi demiſſione, & externâ reuerentiâ veneramur; multo vtique maiori internâ externâque veneratione conſalutanda eſt eorum Domina & Mater Dei. Hic verò ſuam hæreticis infidelitatem relinque, nec dubites ſalutationem tuam ab eadem exaudiri. audit omnino, & in Deo quaſcunque ad ipſam fundis, preces acutiſſimè percipit, videt geſtus tuos, agnoſcit deſideria tua, neque ſine benigna reſalutatione vacuum dimittit.

MEDITATIO II.

De regno Mariæ.

R*Egina*. CONSIDERA I. multis varijſque de cauſis Virginem noſtram Reginam appellari. 1. Quia hæreditario quodam iure, ex ſtirpe Dauidis oriunda, Reginæ nomen promeruit. 2. Quia Mater eſt Chriſti Regis vtique & Iudæorum, & Regum, & Angelorum. 3. Quia à patre ſuo Dauide hoc nomen accepit. Aſtitit (inquit) Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato,

circumamicta varietate, hoc est, vestita charitate aurea feruenteque, & varijs exornata virtutibus. 4. Quia visa est Ioanni
Apoc. 12. Apostolo dilectissimo discipulo, arcanorumque eius conscio, redimita corona stellarum duodecim. 5. Quia alijs sanctis à Christo primò quidem non solùm addictum, sed etiam donatum est regnum cælorum: *Beati* (inquit) *pauperes spiritu, &*
Matt. 5. *qui persecutionem patiuntur propter iusti-*
Apoc. 1. *tiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum, vt sint Reges & Sacerdotes, & regnent cum Christo in æternum.* Deinde verò datum est illis sedere in eodem throno regni cum Christo, impositaque sunt illis Regum dia-
Apoc. 3. demata, quæ gestent viginti quatuor seniores, tanquam regni insignia. Hæc igitur multo copiosiùs & gloriosiùs accepit à Rege Regum, Filio suo, Regina Virgo Mater.

Considera 2. non huius vel illius loci appellari Reginam, sed absolutè Reginam, tanquam omnium locorum, omniumque creaturarum. Christus est Rex Regum, MARIA est Regina Reginarum, & Regina mundi. Sic enim canit Ecclesia: Beata Mater & intacta Virgo gloriosa Regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum. Salutatur tamen frequentiùs in Ecclesia Regina cæli, & Regina cælorum, & Domina Angelorum, tum à nobiliori parte regni, tum quòd sine hostibus quietè in cælis regnet, omnesque ad nutum obsequentes habeat.

Considera 3. nullam hîc fieri iniuriam Christo & Deo, qui hoc nomen & officium regni sanctissimæ Virgini Matri communicauit. siquidem varijs modis regnandi vocabulum vsurpari potest. Primò, vt ille regnare dicatur, qui plenè perfecteque omnia tanquam à se facta & conseruata vniuersæ creaturæ, vtpote quam ipse de nihilo creauit; & iterum in nihilum ne recidat, suâ virtute sustentat. Secundò, regnare dicitur ille, cui plenè perfecteque subiecti sunt subditi, & boni quidem sponte parent, mali verò deuicti iacent; quo modo solus item Deus Rex creaturarum post iudicij diem in æternum in sacris literis scribitur regnaturus, *quando Filius tradet Regnum Deo & Patri, cui etiam ipse Filius subiectus erit, vt sit Deus omnia in omnibus.* 1. Cor. 1
cuius regni conditio talis erit, vt hostes quidem omnes æternis vinculis constricti, & inferni cruciatibus addicti, nihil amplius vel possint, vel tentare audeant: iusti verò in Dei voluntatem intuentes, ei perfectissimè obedire gaudeant, omnesque tam Christi humanitas, quàm sancti reliqui, diuinitatis gloriâ pleni, ita in cælis fulgeant, vt sola splendeat lux diuina in animis beatis, & Angelis sanctis, quæ lux ipsa etiam redundet in corpora, sitque summa sempiternaque ab omni hostium interturbatione pax, & suauissima securitas. Tertiò, regnare dicitur Christus Deus & homo, quia fortissimo certamine hostem deuicit, prostrauit, nudauit, spoliaque diripuit,

ripuit, nosque sibi in sublitos, iure quodam belli à diabolo abstulit, & ab æterni Patris ira sanguinis precio tanquam æquissimus negotiator redemit. Regnat igitur,
Mat. 28. quia *data est ei omnis potestas in cœlo & in terra; nomenq; quod est super omne nomen,*
Philip. 2. *accepit, vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.* Ad cuius hoc pertinet regnum, vt vniuersæ creaturæ eum agnoscant, venerentur, & colant Dominum Deumque suum, ei suam felicitatem acceptam referant, in eius gloriam omnia sua studia dirigant, neque quisquam suus esse velit, sed Christi, qui suo nos sanguine redemit. His tribus modis nulli creaturarum nomen attribui potest Regis vel Domini, sed soli Regi Regum & Domino dominantium. Quartò, regnāt Reges in terra, qui hominibus cum absoluta potestate imperant, eis leges decernunt, eos ad voluntatem suam dirigunt. Quintò, sancti regnare dicuntur in cælis cum Christo; non quòd in cælesti illa patria aliquos regant, in qua
Apoc. 7. omnes sunt Reges & Sacerdotes, *& agnus qui in medio throni est, regit illos,* sed quia id omne, quod in regibus est maximè præclarum atque optabile, iam assecuti sint in cælis: cuiusmodi sunt, 1. summus honor,
Psal. 149. immensa gloria, quietissima pax, *lætitia inenarrabilis & glorificata, quâ exultant sancti in gloria.* 2. summa nobilitas. sunt enim omnes filij Dei, fratres & cohæredes Christi. 3. copiosæ diuitiæ, & opes immarcesс-

marcessibiles, quia *gloria & diuitiæ in domo eius*, nullius boni est illic inopia, sed omnium bonorum summa abundantia. 4. summa libertas, eaque triplex; vna interna ab omnibus animi perturbationibus, quæ nos in hac vita frequenter remorantur, ne quod volumus, illud faciamus: perfectè enim membra omnia obsequentur rationi. Altera externa ab omnibus hostibus, illisq; omnibus, qui ne id quod in votis habemus assequamur, impedimenta & moras obijcere solent. Iam enim plenè deuicti erunt hostes omnes & impedimenta omnia penitus sublata. Tertia libertas est ex facultate perficiendi quæ cupis. Hic enim permulta imperfecta percurrimus, aut etiam infecta negligimus, vel ignorantia, vel inopia, vel fragilitate. In cælis autem nullum bonum ignorant sancti, quibus ostendit Deus omne bonum; nihil illis est impossibile, qui in Dei gloria omnia possunt. Faciunt igitur omnia quæ volunt, quia nihil nisi bonum volunt, & in ipso Deo summo bono vt rectè velint, omnes boni rationes intuentur. Itaque si *desiderium pauperum exaudit Dominus*. si *voluntatem tim[...]ntium se facit*; haud dubiè nihil à Sanctis p[...]titur desiderari, quod non abundè cumulateque perficiat. 5. victoria de host[...]bus, quos authoritate suâ iudicant, ęternisq; vinclis & pœnis constringunt illos, à quibus in hac vita molestias sustinuerunt: *Dabo illi* (inquit Christus) *potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur*.

Psalm. 11[...]
Rom. 7.
Exod. 3[...]
Psal. 1[...]
Psal. 1[...]
Apoc. [...]

Neque

Neque verò dubitandum est, quin Christus huius mundi nostri administrationem cum sanctis suis conferat, quos *constituit Principes super omnem terram*, atque ex eorum voluntate orbem gubernet. Multa denique possunt sancti in hunc orbem nostrum inferiorem, sicut ex curationibus, miraculis, alijsque auxilijs quæ per gloriam suam passim se inuocantibus adferunt, palam est & in confesso. Opitulantur enim quibus volunt, videntque in Deo quibus & quando expediat vt velint. Si enim sancti sunt sicut Angeli Dei, vtique ea omnia possunt, quæ possunt Angeli Dei. Cæterùm quod ad ipsos inter se sanctos attinet, licet in cęlis nemo alterius sit seruus, cùm sint omnes cælorum reges, ordo tamen est in animis beatis non minor, quàm in sanctis Angelis: *Sicut enim stella à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum. & diuersæ mansiones sunt in domo illa Patris cælestis*. Sancti igitur inferiores à superioribus illuminari possunt, more Angelorum, ab illisque priuata quædam ex Dei voluntate cognoscere. Sanè non caret mysterio, quod Euangelico seruo fideli pro mercede redditur: Esto super decem, aut quinque ciuitates. Quod mysterium tanto amplius est, atque diuinius, quanto ab hominum notitia magis remotum. Sextò beatissima Virgo Dei Mater eisdem quidem quibus cæteri sancti cum Christo regnat modis; sed in his duobus est cęteris beatis superior, quòd omnem sanctorum gloriam felicitate

Psal. 44.
Mat. 22.
Cor. 15.
Ioan. 14.
Luca. 19.

superet

superet, quodque ipsa sub Filio Christo omnem sibi habeat subiectam, atque ad nutum parentem creaturam. Solus Deus supra ipsam est. Quicquid Deus non est, sub ipsa est. Venerantur igitur eam vt Dominam atque Reginam suam Angeli, & sancti omnes, totaque in terris Ecclesia Christi inuocat Reginam, & Dominam suam. Est eius potestas magna in cælis & in terra, quam laudant Angeli, colunt homines, tremunt principes tenebrarum. Tu hanc Reginam demissè precare, vt legem tibi viuendi tradat, sen[sus] tuas dirigat, teque totum piè gubernet.

MEDITATIO III.

De misericordia Mariæ.

M*isericordia.* Considera 1. Christum esse Regē misericordiæ, tum quia sanguine morteq; suâ misericordiā nobis promeruit, tum quia omne iudicium à Patre accepit, vt cuius velit, misereatur; quem velit, induret. Est igitur Christus fons misericordiæ, ex cuius sacris vulneribus misericordia in omnes fideles, & in omnia Ecclesiæ Sacramenta dimanat: *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* *Ioan. 5.* *Rom 9.* *Psal. 12*

Considera 2. Virginem matrem nullâ Filij iniuriâ Reginam esse misericordiæ, 1. Quia Regina Misericors, phrasi Hebraicâ, quâ dicūtur *viri misericordiæ*, id est, misericordes. *Eccle. 4*

ricordes, *& viscera misericordiæ.* item viri sanguinum, montes Dei, pro viris sanguinolentis, montibus diuinis & altis. 2. Quia Regina non per naturam, sed per Dei misericordiam, quomodo dicitur pictura artificis vel artis, quam artifex vel ars depinxit. Agnoscit Virgo id omne à Dei miseri-
Lucæ 1. cordia proficisci, quod à Deo accepit: *Fecit mihi magna* (inquit) *qui potens est, & sanctum nomen eius.* 3. Quia Regina eorum, qui misericordiam sunt consecuti, vt misericordia pro effectu quodam misericordiæ
Psal. 32. accipiatur, quâ significatione dicitur: *Misericordia Domini plena est terra.* Sicut enim artificiosa pictura vocari solet ars pictoris, ita Christianus homo qui per misericordiam Dei, illud omne est quod est, misericordia Domini non iniuriâ appellatur. 4. Quia Regina est vt misericordiam nobis à Filio obtineat, quo modo vocamus fabrum lignorum, vel aurifabrum, qui in lignis vel auro versatur. Tota enim cura Reginæ huius est in misericordia impetranda. Cùm enim duo sint in Deo, iustitia & misericordia, illam satis prouocant peccata nostra; ad hanc excitandam Regina misericordiæ est constituta.

Considera 3. *Mater misericordiæ.* cùm ob prædictas rationes, tum quia Mater Christi, qui est misericordia Dei, iuxta illud: *Suscepimus Deus misericordiam*
Psal. 47. *tuam, in medio templi tui,* per quem Christum, cùm omnis misericordia, omnis pietas, omne bonum ad nos peruenerit,
recte

rectè beatiſſima Virgo appellatur Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, Mater amabilis, fons pietatis, ſedes ſapientiæ, cauſa noſtræ lætitiæ. Tu hanc Matrem precare, vt diuinam tibi miſericordiam exhibeat, miſeriamque tuam ſuâ miſericordiâ tollat.

MEDITATIO IV.

De his titulis, Vita, dulcedo & ſpes noſtra, & primum quod Maria ſit vita noſtra.

CONSIDERA 1. pulcherrimum horum titulorum ordinem; priùs enim viuit homo per vitam; deinde ſuauiter & bene viuit per dulcedinem; poſteà per ſpem expectat felicem vitæ exitum. Hoc eſt enim Dei noſtri deſiderium, vt animo læto hanc vitam exigamus, & demum ex hac vita lęti ad perpetuam commigremus lætitiam; idq; commodiùs vt præſtemus, Matrem ſuam nobis in vitam donauit, in dulcedinem, in ſpem noſtram.

Conſidera 2. tres iuſtorum hominum ordines hîc ſignificari, quibus opem ſuam Virgo beata præſtat. Primi ſunt, qui ex morte peccati redeunt ad animæ vitam, nimirum peccatores, qui in ordine incipientium peccata ſua deflent, ſpiritualemque valetudinem per opera pœnitentiæ & vitiorum mortificationem confirmant. Alios vocant proficientes, qui ſtudijs vir-

tutum

tutum dant operam animique suauitate progressus indies faciunt. His conuenit dulcedo, quâ in virtutis amorem accendantur. Sicut in studio literarum initia quidem propter asperitatem, fastidium difficultatemque pariunt; progressus autem dulcedine fructuum efficiuntur suauiores. Alij denique qui perfecti vocantur, spe ad æternam beatorum patriam anhelant.

Considera 3. vitam nostram varijs modis dici. Nam 1. anima est vita nostra, quâ corpore viuimus. 2. Gratia est vita animæ,
1. Tim. 5. qua spiritu viuimus, & sine qua corpore quidem viuentes, spiritu verò mortui su-
Act. 17. mus. 3. Deus est vita nostra, *in quo viuimus, mouemur, & sumus*, à quo non aliter dependet omnis vita nostra, atque lumen parietis à sole, à quo illustratur. 4. Chri-
Ioan. 14. stus est vita nostra: *Ego sum* (inquit) *via,*
Ioan. 11. *veritas, & vita*: & *Ego sum resurrectio &*
Ioan. 1. *vita*: & *Vita erat lux hominum*. Primò namque Christus animæ vitam passione morteque suâ nobis attulit; promeruit gratiam, & æternæ beatitudinis vitam parauit. Deinde verò in Christo solo vera vita inuenitur. Sicut enim palmes extra vitem non viuit, ita in solo Christo viuimus, qui in Ecclesia Catholica ipsius spiritu viuificati, Christo coniuncti sumus. Tertiò autem veram vitam animæ cum cæteris Sacramentis, tum sanctissima Eucharistia nobis donat, atque conseruat, sicut ipse fatetur, *Qui manducat me, & ipse viuet propter me*. &, *Qui manducat*

hunc

hunc panem, viuet in æternum. Nullo isto-rum modorum Virgo mater est vita nostra. Igitur 5. dicitur vita quidquid ad vitam, vel vitæ suauitatem confert. sic arbor vitæ appellata est, cuius fructus vitam homi-num à mortis corruptione seruasset: ita sa-lutare medicamentum dicitur esse vita in-firmi; & somnus ac lusus est vita puerorum. Rursus vita nostra dicitur quidquid dele-ctat & suauem reddit iucundamque vitam nostram. 6. Vitam appellamus viuendi normam & modum, sicut Carthusianorum aut aliorum Religiosorum vita dicitur.

Considera 4. sanctissimam Christi Ma-trem, varijs iustissimisque de causis vitam nostram appellari. 1. Quia ex ipsa tanquam ex arbore vitæ, Christus Deus fructus vitæ nobis est natus. Sic enim verè canit Eccle-sia: Benedicta filia tu à Domino, quia per te fructum vitæ communicauimus. Est ergo propter Christum Mater omnium spiritu viuentium, sicut Eua fuit mater omnium mortalium corpore viuentium, quæ proinde חוה hoc est, Euæ nomen in-uenit, quod significat vitam, vt multo æquiùs MARIA dici possit vita nostra. 2. Quia precibus auxilioque suo vitā cor-poris & animi non rarò nobis impetrat & conseruat. Sicut igitur Salomon de elo-quijs suis ita dicit: *Vita sunt inuenientibus ea, & vniuersæ carni sanitas.* & Christus: *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*, nimirum quia ad vitam animæ dandam & conseruandam faciunt: ita Do-mina,

Prou. 4.

Ioan. 6.

mina, Patrona & Aduocata nostra iure optimo vita nostra dicitur, quia in conseruanda vita, & vitæ commodis augendis, tota incumbit. 3. Quia vitam MARIAE, moresque sanctissimos, vitæ nobis regulam necesse est proponamus, si ex gratiæ eius plenitudine aliquando haurire desideremus. Itaque ad hanc vitæ arborem accurres, ad hunc fontem vitæ festinabis; & hinc quidem virtutum, & gratiæ haurie svndas; illinc verò summâ fiduciâ fructum vitæ decerpes; ipsamque tuam vitam MARIAM rogabis, vt veræ tibi vitæ dulcedinem conseruet, & augeat; noxium mortis pomum à te procul abijciat; peccatum, quo mors intrauit in orbem terrarum, à te dispellat; & serpentis, qui esum infelicis pomi nobis persuasit, conterat caput.

MEDITATIO V.

De dulcedine Mariæ.

DVlcedo. CONSIDERA I. dulcedinem referri ad gustum, quia gustamus dulcia: quamobrem hoc verbo nobis interna mentis delectatio & consolatio videtur significari. Est autem propriè omnis nostra consolatio 1. Deus ipse, in quo solo inuenitur omne bonum, omnis pax, omnis suauitas. 2. Christus Dominus, in quo sunt omnes thesauri bonitatis Dei; cuius amor admirabiliter ærumnas nostras

nostras consolatur, cuius passio reficit animum; cuius sancta vita & mores, post se trahunt tanquam in odorem vnguentorum. Igitur quia Christus est arboris fructus, est vtique dulcis; & extra Christum nulla est suauitas, sed amaritudo; nulla pax, sed inquietudo; nulla securitas, sed iustissimus multorum malorum metus.

Considera 2. Virginem Christi Matrem hoc nomen dulcedinis nostræ varijs iustisque de causis nunquam recusasse: 1. propter Christum sui ventris dulcissimum fructum, quem semper nobis offert benignissimè, quasi ex vlnis dependentem. Eua pomum acerbum tradidit; MARIA suauissimum adeoque benedictum fructum ventris sui nobis porrexit. Sicut igitur quoties de Eua cogitamus, simul etiam nobis in mentem venire solet peccati, malorumque, quibus per eam repleti sumus, & circumfusi: ita qui MARIAM contemplantur, semper cum ea Christum Filium cogitant, qui omne nobis bonum, omne solatium, & abundantiam pacis in orbem induxit. Postquam enim ab Angelo dictum est Virgini, *Dominus tecum*: nunquã Mater à Filio est separanda. Mater ergò Christi, propter Christum est gaudium, dulcedo, & consolatio nostra. 2. Propter mores suos suauissimos dicta est dulcedo, ad eum modum quo aliquem virtutis nomine appellare consueuimus, qui in ea virtute excellit, quem dicimus esse ipsammet mansuetudinem, charitatem, humilitatem.

Spi-

Spirabat vtique miram dulcedinem Virgo sanctissima verbis, actionibus, gestibus. Nihil eius animâ quietius, nihil mansuetius, nihil dulcius; odor virtutum eius cælos penetrans, Dei Filium detraxit in vterum, sicut scriptum est: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.*
Cant. 1.
Verba eius pauca quidem habemus in Euangelijs, sed dulcore plenissima: salutatio eius Ioannem in vtero, & Elizabetham vterum gestantem, repleuit Spiritu sancto: sermo cum Gabriele Dei Filium permouit, vt eam sibi deligeret Matrem: alia eius verba partim miraculum ante tempus impetrarunt, aquæ in vinum conuersæ; partim Deum ipsum homini subiecerunt. Postquam enim dixisset Mater Deo: *Fili quid fecisti nobis sic?* Deus alioqui immensæ maiestatis *factus est subditus illis.* Mores eius, totaque conuersatio Virginis fuit suauissima, vt non immeritò omnes qui ea familiariter vtebantur, in eius amorem traherentur, & in odorem currerent vnguentorum eius.
Luc. 1. Ioan. 3. Luc. 2.
Considera 2. vt hac Virginis dulcedine affici soleant Christi fideles, & huius virginis studiosi. Nam 1. miram percipiunt dulcedinem, suauissimarum virtutum, actionum, morum, atque verborum eius contemplatione. Sicut enim virtutis honestatem si consideremus, animum ipsa mirificè oblectabit, mirosque sui excitabit amores; mentem nostram eadem virtus afficiet, si in MARIA, quæ est virtutum omnium claris-

clariſſimum ſpeculum conſideretur. 2. Delectantur meditatione illius dulcedinis, quâ Virgo Mater perfuſa fuit, cum filio ſuo præſertim infantulo & puero tractans, vtero eum geſtans, faſcijs inuoluens, vberibus lactans, oſcula figens, aliaque illi exhibens materna officia. Hinc enim Natalis Domini feſtum magnam in piorum animis creat dulcedinem ex hac Dei infantis recèns nati cum Virgine Matre contemplatione. 3. Peccator grauatus pondere peccatorum, exhulcerataque conſcientia cruciatus, incredibile per hanc Virginem accipit ſolatium, ex qua nouit ſaluatorem ſuum in orbem natum, ab ipſa ſibi ad peccatorum remiſſionem, & æternam ſalutem offerri. 4. Oblectantur omnes qui in Virginis vlnis paratum ſibi vident omne bonum, Chriſtum Dominum, qui eſt beatitudo noſtra. Neque enim minor eſt nobis occaſio ſolatij, quàm Simeoni ſeni, qui ex Matris vlnis Chriſtum accepit in vlnas ſuas. *Luc. 2.* 5. Magnum eſt in eo ſolatium, quòd nemo qui ſeriò hanc Virginem rogarit, hactenus ſit ab ea neglectus: omnibus enim ſemper adfert auxilium & in neceſſitate ſolatium. 6. Hoc etiam Virginis dulcedine conſequuntur illi omnes, qui eam piè ac religiosè venerantur, vt mores acerbos & ferinos in humanos permutent & ſuaues; peccatores depoſitâ malitiâ pietatem colant; auſteriores humanitatem induant, grati, amabileſque reddantur, ſalutem proximorum deſiderent, commoda illorum

illorum promoueant, & ad Dominæ suæ imitationem charitatis viscera assumant. 7. Virginis nostræ dulcedo asperitatem virtutum lenit; & illa quæ duriora priùs apparebant, suauiora reddit, vt odore vnguentorum eius viam mandatorum Dei decurramus. Tu Dominam tuam precaberis, vt te suauitate repleat, te soletur, te recreet, sibi iter virtutum complanet, suæque dulcedinis participem te faciat.

MEDITATIO VI.

Vt Maria dicatur nostra spes.

ET *spes nostra salue.* CONSIDERA 1. triplicem esse spem; vnam naturalem, quæ est naturæ affectio nobis cum brutis animantibus communis; alteram humanam, quæ in expectatione terrenarum aut inferiorum istarum rerum versatur; tertiam diuinam, quæ cùm sit virtus Theologica, erigit hominis animum ad expectanda cælestia, nimirum Deum ipsum, æternam felicitatem, & quæcunque eò referuntur. Quæ spes est nobilis virtus admirabilem pacem, & suauem securitatem adferens homini iusto; qui tametsi in hoc mundo, innumeris malis obnoxio, iubeatur cum metu & tremore salutem suam operari, lætus tamen viuit, atque securus, sine anxietate aut cruciatu animi, quod sciat ab Apostolo
Rom. 5. scriptum esse: *Spes non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per*

Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Considera 2. spem omnem in re quidem bona, sed ardua difficiliq́ue versari. Difficultas porrò obtinendæ rei, oritur vel ex re ipsa ad quam patet difficilis accessus; quo quidem modo difficulter aditur castrum in altissima præcipitiq́ue rupe constitutum; vel ex hominis sperantis imbecillitate, nempe si infirmus sit vel claudus, qui aliquò desiderat instituere profectionem, in se alioqui non difficilem.

Considera 3. illa, quæ diuinâ spe exspectamus, vtrinq́ue grauissimam difficultatem habere. Nam & Deus naturâ suâ immensus, omnem creaturarum rationem excedit & modum, vt nemo sit prorsus aut hominum, aut Angelorum, qui ex se ad eius contemplationem audeat aspirare. Hominis certè ineptitudo atque infirmitas tanta est, tum ex sordibus peccati quibus conspurcati sumus, tum ex naturæ fragilitate, vt nisi peculiari Dei misericordiâ, nullus vel cogitare quidem de Deo assequendo præsumat. Virgo sanctissima vt Deum in se reciperet, carneq́ue vestiret, obumbrari debuit Altissimi virtute. Quis ergo speret assequi Deum, nisi summâ Dei benignitate & gratiâ. *Lucæ 1.*

Considera 4. duo esse quibus spes nostra innixa mentem hominis erigit, & aduersus timorem confirmat; diuinam promissionem, & opera bona. Deus enim non absolutè nobis promisit cælestia, sed hac conditione, si rectè ad voluntatem eius

viua-

Matt. 19. viuamus. *Si* (inquit) *vis ad vitam ingredi, serua mandata.* & quidem quod ad diuina promissa attinet, in illis, propter Dei certissimam veritatem, est summa constantia, vsque adeò vt fide Catholicâ firmiter credamus, illud omne nobis à Deo donandum, quod promisit, si à nobis quas præ-
Hiere. 17. scripsit conditiones fuerint obseruatę. Quia verò prauum est cor hominis & imperscrutabile, vt suas ipsemet actiones & intentionem frequenter non agnoscat; peccata à virtutibus subinde non discernat; occulta etiam in animo latentia vel peccata vel vitia non aduertat; fit vt solis operibus nostris merito fidere non audeamus, in quibus Deus fortè vel reperit iniquitatem, vel maiorem quàm nos arbitremur, cernit & detestatur malitiam. Ex quo efficitur, vt mens iusti hominis, peccati nullius sibi conscia, sine anxietate quidem spe-
1. Ioan. 3. ret, sicut docet Apostolus Ioannes: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam*
1. Cor. 4. *habemus ad Deum:* metuere tamen possit, & cum B. Paulo dicere: *Nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc iustificatus sum.* Ex quo etiam illud consequitur, spem nostram aliorum auxilio iuuari posse, qui quod nostris operibus deesse metuimus, suis apud Deum meritis aut precibus impetrent.

Considera 5. nomen spei varijs accommodari. Nam 1. spes est animi qualitas, quâ æternæ vitæ bona à Deo expectamus. 2. Spes dicitur res illa, quæ speratur, vt apud

apud sapientem: *Spes quæ differtur affligit animam.* Prou. 13. Hoc modo Deus est vnica spes nostra, quia *hæc est vita æterna, vt cognoscamus eum solum verũ Deum, & quem misit Iesum Christum.* Ioan. 17. 3. Appellatur etiam hac ratione Deus spes nostra, quod suprema sit primaque omnis boni causa, cuius bonitate & misericordiâ nobis bona proueniunt. 4. Christus est spes nostra, qui suis meritis omnia nobis bona obtinuit, eaque nobis merita cõmunicauit: nostra est enim Christi passio, nostra mors, labores, doloresque nostri, quia nobis natus est puer, & filius datus est nobis: vt sicut vxor sua redimit debita pecuniis mariti: ita nos Christi meritis æterno Patri pro peccatis nostris faciamus satis. Hæc est summa spes peccatorum, consolatio miserorum, & Christianorum omnium læta expectatio. 5. Hoc nomen spei etiam iis accommodamus, qui nobis ad obtinenda à Deo quæ postulamus auxilio esse consueuerunt, præsertim si sine illorum ope rem illam vel omnino non obtineremus, vel ęgrè admodum obtineremus. Vt enim Deus omnia largiatur bona, largitur tamen per media, quas causas secundas vocant, sine quibus non largiretur. Itaque Deus nos pascit, sed per cibum; nos curat, sed medici operâ; nos adiuuat, sed precibus meritisque sanctorum. Amicis Iob placari noluit, nisi precibus Iob. Abimelech Regem Gerari curare noluit, nisi precibus Abrahæ. Iob. 42. Gen. 20.

Considera 6. beatissimam Christi Matrem esse spem nostram, non quòd ab ea no-

bis donari petamus gratiam diuinam, vel gloriam, aut peccatorum condonationem; hæc enim sibi reseruauit donanda ipsemet
Psal. 83. Deus, sicut scriptum est: *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, & in meritis suæ passionis ea nobis reposuit Christus, qui est vnica spes nostra, in quo omnia bona habemus.
Colos. 1. 1. Tim. 1.

Sed 1. quia eius fauore sæpè assequimur, quæ sine illa non largiretur Deus. 2 Quia nihil est vsque adeo arduũ, quod nō Matris precibus concedat Filius. 3. Quia qui indignitate suorum peccatorum ab adeunda diuina maiestate deterrentur, huius Virginis Matris fauore erigunt animum, & impetrandi fiduciam sumunt. B. Bernardus hanc ait esse scalam peccatorum, & totam spei nostrę rationem, quòd homo peccator Matrem adeat, Mater Filium, Filius Patrem.
Serm. de. Natiuit B. virg.

Discis igitur nullâ Christi iniuriâ Mariam spem nostram appellari, quia sine Christi iniuria vocauit B. Apostolus Paulus Thessalonicenses Christianos spem suã, gaudium suum, & coronam gloriæ; *Quæ est enim spes nostra* (inquit) *aut gaudiũ, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? vos enim estis gloria nostra & gaudium.*
1. Thes. 2.

Vocat eos spem suam, quia per eorum Christianam sanctamque vitam, quibus ipse prędicatione Euangelica occasionem salutis dederat, sibi gloriam in cælis augeri sperabat. Ita quoque dicimus filios esse spem & exspectationem parentum, magnæque spei adolescentes, quòd ab illis magna

magna exspectentur. Itaque Matrem Christi tibi conciliabis, eius implorabis auxilium: & multorum licet malorum tibi conscius, diuinam metuas iram, & seuerum Christi iudicium expauescas; Matris tamen precibus meritisque innixus, per eam, cui Filium nihil decet negare, omnia bona, gratiam, & salutem exspectabis.

MEDITATIO VII.

Vt ad Mariam clamandum.

CONsidera 1. Quomodo tibi adeunda sit hæc Domina tua, nempe 1. magnâ animi demissione, quâ te agnoscas filium Euę, hoc est, peccatorē, tantæ proinde Virginis ac Reginæ colloquio indignum. 2. miseriā tuam ei exponas qui sis exul, eiectus de paradiso, multisque miserijs circumseptus. 3. magno affectu & deuotione, vt intimo corde ad illam clames, eamque inuoces.

Considera 2. in voce, *clamamus*, significari, 1. orandam esse Dominam nostram non tepidè, neque labijs solis, neque solâ consuetudine, sed magno affectu & desiderio. sicut enim *desiderium pauperum exaudit Dominus*, ita feruens precatio aures Matris Dei citissimè penetrabit. 2. humilitatem, quâ agnoscas te valde procul ab ipsa abesse, vt de profundis clames ad sublimem altissimoque loco residentem. 3. sensum doloris; illi etenim clamant, qui pœnas *Psal. 10.*

sentiunt. Igitur si exaudiri velis, indicabis te sensu percipere incommoda vitæ huius, eaque non reputare in rebus bonis & commodis, quæ mundus consectatur & amat.

Considera 3. clamari varijs modis; voce, corde, opere; & voce quidem clamant etiam iumenta, qui modus clamoris si solus adsit, parum momenti habet. Cordis clamor est efficacior, præsertim si dolore peccatorum, & amore diuino excitetur. At verò clamor operis, maximam vim habet, penetratque facillimè, quando nimirùm ex Dei amore, zeloque animarum eduntur pręclara aliqua opera ad diuinam gloriam. Sicut enim magna peccata clamare dicuntur ad Deum: *Clamor* (inquit) *Sodomorum & Gomorrhæorum adscendit coram me.* &, *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* Ita insignia pietatis officia clamant, atque in cælos penetrant. Non exiguus est clamor, omnibus relictis Christum nudum sequi; impiis hominibus intrepidè sese opponere; veritatem palàm tueri, octauo die expiare peccata, Christique sacrum corpus percipere, aliaq; à quibus abhorret mundus, vel quæ passim homines detestantur, in Christi gloriam præstare. Hoc modo clamabat Ioannes Baptista, qui se dicebat vocem clamantis, quia totus erat vox, cuius singula officia & actiones clamabant.

Considera 4. non dici, *loquimur*, sed, *clamamus*, quia clamor etiam brutis animantibus

tibus nobiscum communis est. Est ergo humilitatis vox, *Clamamus*; sicut Hieremias dicebat: *A, a, a, Domine ecce nescio loqui.* Nos affectum clamore desiderioque aperiamus; loquatur porrò pro nobis & in nobis Spiritus sanctus, cuius officium est, postulare pro nobis.

Considera 5. *Clamamus*, in plurali, vt hac communi voce Virgo moueatur. 1. quia omnes repleti sumus multis miseriis. 2. quia hac voce eam inuocant, & beatam dicunt omnes generationes; talemque eius prædicant beatitudinem, vt eius fauore & misericordiâ, etiam ipsæ sibi ab ea beatitudinis aliquam portionem expectent. 3. quia communis oratio commendat precantis charitatem, & impetrat faciliùs.

Considera 6. *Ad te.* quod his modis exponi potest. 1. *Ad te* clamamus, à qua non sumus alieni; Filius enim tuus creatione Pater noster est; redemptione Dominus noster est; humanâ naturâ frater noster est. Si igitur tot modis obnoxij simus & coniuncti Filio, vtique ad te Matrem illius Filij, meritò in necessitate confugimus, tibiq; vt Matri, ob oculos ponimus calamitates, miseriasque nostras. 2. *Ad te*, quia data es humano generi mediatrix ad Deum, media inter solem & lunam; virga Iesse radice terram attingens, summitate rami gestans florem; felix cæli porta & ianua, quæ & nos foris & Filium intus respicis. Nihil igitur officio nostro alienum facimus, neque ab

officio tuo alienum petimus, quando te, pro officio mediatricis, tibi à Filio tuo imposito inuocamus, precesq; tuas auxiliúq; imploramus. 3. *Ad te*, vt per te ad Filium perducamur. Qui enim clamant ad te, nullam Christo iniuriam faciunt, quia per te ad ipsum clamant, vt sicut faciliùs vox defertur ad aurem per fistulam, ita vox nostra per te purgata atq; adiuta, citiùs ad Christum deferatur. Neq; verò hoc cuiquam est mirandum; quia ille etiam qui clamat ad Christum, si rectè clamat, non nisi per Christi Matrem clamat, cuius manibus cupit suas Filio preces offerri & commendari. Apostoli de muliere Cananæa dicebant Domino: *Dimitte eam, quia clamat post nos* cùm tamen non ipsos inclamaret, sed Christum, dicens: *Miserere mei Domine, fili David* Intelligebant namq; suas ab ea preces apud Christum desiderari. Ita quicunque à Christo iã in cælis glorioso aliquid petit, is simul clamat ad misericordiæ Matrem, à dextris Filio adsistentem, cui vt aduocatæ & patronæ nostræ procurationem suæ causæ commendat. Tu magno affectu Virginis auxilium tibi & afflictæ Ecclesiæ inuocabis.

MEDI-

MEDITATIO VIII.

De nostro exilio & patria.

EXules. Considera 1. Patriam nostram, si corpus quidem nostrum spectemus, quod de terra accepimus, esse hanc terram; si verò animam consideremus, esse cælum. Anima enim cùm sit naturæ spiritualis, Angelicam habet cælestemque materiam, omni corpore vacuam, estque verissimus ipsius locus non terra, sed cælum. In terra quidem ad tempus commorandum nobis est propter corpus terrenum, ad cælos autem contendendum propter animam cælestem.

Considera 2. cælestis patriæ conditiones, ad quam ante peccatum primorum parentum facillimus patebat accessus, nimirum ex paradiso terrestri, loco voluptatis; in quo tanquam in suburbijs homines ad gloriam æternam præparabantur. Nunc porrò commisso peccato difficillimus est aditus; exclusi sumus à suburbijs illis, in exilium acti in locum bestiarum, & habitationem dæmonum, qui in hoc aëre nostro circumfusi discurrunt. Porrò ante portas cælestis patriæ sunt alia collocata suburbia; ignis (inquam) purgatorius, quo diriter admodum peccatorum sordes excoquuntur, animæque ad sedes beatorum grauissimis pœnis mundan-

tur. Ad hæc autem ſuburbia non niſi per horribilem mortis ianuam intratur, poſt quam ianuam ſeuerus adſiſtit iudex, qui diſtrictiſſimè de ſingulorum non factis modò, ſed verbis quoque & cogitationibus, tum inquirit, tum decernit, illoſque ſolos his ſuburbijs dignos cenſet, qui in amicitia & gratia Dei ex hac vita deceſſerunt; vt in magna iam ponatur felicitate, ad hæc tam atrocia admitti ſuburbia, quòd in illis ſit ſpes certa æternæ ſalutis. In his autem ſuburbijs ſeu purgatorijs ignibus, pro cuiuſque obligatione ſatisfaciendi vel diutiùs hærendum, vel breuiùs.

Iacob. 5.

Conſidera 3. Cælorum regionem omnibus quidem hominibus eſſe patriam, ſed non eodem omnibus modo. Quibuſdam enim ex eo ſolùm eſt patria, quòd cæleſtis ſpiritualiſque naturæ acceperint animam, qui nihil ſibi prætereà cum beatis habent commune. nam toti huic terræ ſunt dediti; nihil niſi terrenas diuitias quærunt; nihil præter terrenos honores ambiunt; nihil niſi terrenas delitias, voluptates, commoda ſectantur, ſuamque animam terrenis vſque adeò ſordibus & luto conſpurcant & inficiunt, vt iam naturam illam pulchram & cæleſtem, cum fœda, horrida, terrenaque mutaſſe videantur, quæ mente, voluntate & corde à Deo aliena, cogitationibus, deſiderijs, ſtudijs tota eſt immerſa ſordibus terræ, adinſtar auium, quæ detractis plumis, aut multo luto grauatis, priuantur facultate ſurſum euolandi. Et hu-

huiusmodi quidem hominibus non est ad cælestem patriam adspirandum, sed in æternum in terra terræque centro, vbi dominium & tyrannidem exercet Princeps mundi huius, durissimis legibus hærendum. Væ miseris illis quibus nunquam ad patriam illam iucundam reditus patebit, ad quam tamen hæreditatem possidendam creati fuerunt. Nunc quidem opressi corpore non sentiunt iacturæ magnitudinem; at corpore liberatæ post mortem animæ percipient acutissimè non solùm pœnarum inferni grauitatem, sed tantorum bonorum cælestium intolerabile detrimentum. Alij verò cælestem habent patriam, tum quia cælesti animâ donati, tum quia in cælis omnia sua bona reposuerunt, soloque corpore hic versantur in terris: illuc præmiserunt diuitias per manus pauperum; illic sibi contemptu probrique susceptis, magnos parauerunt honores; illic delicias, & dulcissimas castissimasque voluptates reposuerunt, laboribus molestijsque istius vitę; illic parentes, charos, amicos, & filios habent, sanctissimam Christi Matrem cum cęteris Diuis, & ijs quidem maximè quibus ipsi ad æternam vitam aliquid in hoc mundo subsidij attulerunt. Ab his omnibus cùm sciant se immensâ charitate diligi & expectari, corpore solo hic agunt, mente perpetuò in cælis degunt. & hi similes sunt mercatoribus, qui lucri causâ extra patriam peregrinantur. Isti enim nihil nisi patriam

cogitant; merces & lucrum eò præmittunt, tempus auidè præstolantur, quo bene opulenti domum reuocentur.

Considera 4. exulum conditiones. Procul absunt patriâ; inter ignotos degunt, ciuibus minùs grati, incertis sedibus vagantur. Hæc diuersis modis conueniunt in bonos & in malos. Boni etenim solo corpore exules, nihil hîc suum arbitrantur; mundum ignorare student; ingrati ciuibus huius mundi, varijs casibus iactantur, mente intereà semper in Deum fixi. Mali autẽ animo profugi sunt à Deo, quem peccatis suis & metuunt & fugiunt, vagantur ab vna ad aliam voluptatem, nullaque in re conquiescunt.

Considera 5. Dei bonitatem, qui sic nostrum exilium temperauit, vt in eo (si velimus) liceat nobis magna cum vtilitate viuere. Quod vtique non assequemur, si renunciantes patriæ cælesti, hoc loco conquiescamus, ad exemplum duarum tribuum
Num. 32. Israëliticarum, Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manasse, quæ citra Iordanem acceptâ portione suâ, nuncium remiserunt terræ Palęstinæ, ipsis vltra Iordanem promissæ: & sicut filij Israël, qui sub Iesu filio Iosedech, ac duce Zorobabel recusarunt reditum in Iudęam, emptis iam possessionibus in Babylone, terra captiuitatis suæ: sed si tanquam in nundinis multa hîc nobis ad cælestem patriam vtilia comparemus. Si quidem hic mundus, in quo exulamus, est instar amplissimi emporij, in quo

quo videas merces, quæ, quòd in cælis non reperiantur, maximis illic precijs redimuntur. Paupertas ibi nulla est, nulla miseria, nulla indigentia, nullus labor, nulla pœnitentia, nullus vsus Sacramentorum, nulla pauperum subuentio, denique nulla calamitas aut afflictio, quibus in hoc mundo abūdamus. Qui igitur his mercibus onustus cælum petit, maximum ille faciet quæstum, summoque loco erit in aula illa beatorum. Nam & ipse cælorum Rex proptereà exaltatus est, & accepit *nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*, quia *fuit obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Tu igitur in hoc tuo exilio ad patriam adspirabis, & ex oblatis occasionibus lucrum tibi spirituale comparabis. Ideò quippe tot malis nos Deus exules affligit, tum vt afflictionibus ad quæstum vtamur; tum vt ad cælestem gloriam & hæreditatem oculos conuertamus. Rogabisque Virginem vt ducatum suum tibi in cælos præbeat. Philip. 2.

MEDITATIO IX.

De miseria filiorum Euæ.

F*ilij Euæ.* CONSIDERA 1. ad nostram humilitatem, Virginisque misericordiam excitandam, his verbis significari mala quæ à parentibus nascendo traximus, eaque triplicia; peccatum, concupiscentiam, pœnas. Peccatum originis nobiscum attulimus in hunc mundum, nati animo à Deo alieno, voluntateque à Deo auersâ; vnde etiam ab Apostolo vocamur
Ephes. 2. *natura filij iræ.* Concupiscentia est in nobis omnium passionum animi dissolutio, dum contra voluntatis imperium, rectæq; rationis iudicium, variæ nos incitant perturbationes superbiæ, iræ, luxuriæ, auaritiæ, inuidiæ, quibus ad mala impellimur, & commouemur. His tamen si obsistamus, non iam nos ea operari censebimur, sed quod habitat in nobis peccatum, hoc est,
Rom. 7. concupiscentia, quam Apostolus propter insignem malitiam peccatum figuratè appellat, quomodo Poëta insignem scelestum vocat scelus; nimirum quia totus concupiscentiæ conatus in eo est, vt peccemus, quæ etiam ipsa à peccato parentum duxit originem. Pœnæ quibus natura obnoxij sumus, sunt mala omnia, afflictionesque externę & internę æstus, frigoris, paupertatis, morborum, denique mors ipsa quę
Rom. 5.

per

per peccatum venit in orbem. Hæc omnia à parentibus naſcendo accepimus, vt diſcas 1. in natalibus non gloriari, neque iactare maiorum nobilitatem, præſtantiam, bona, à quibus tot mala contraxiſti. 2. nullam parentibus fieri iniuriam, ſi illis relictis, qui tibi tot mala cum beneficio viuendi communicauerunt, ad illum tranſeas Patrem Chriſtum qui te nouâ natiuitate his malis liberet.

Conſidera igitur 2. datam nobis à Deo poteſtatem filios Dei fieri, idque beneficio Chriſti, quem à Virgine Matre accepimus. nempe ſi per gratiam Dei, Spiritu Chriſti imbuamur, & in animo illuſtremur: *Nam qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei; & ſi quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Hic diuinus Spiritus in animam ingreſſus, 1. Vitam illi dat ſpiritualem, vt viuat, videat, audiat, ſapiat, & percipiat, opereturque quæ ad Deum vitamque pertinent. 2. Tollit ab animâ peccatum, eamque virtutem donat, vt quoties homo ex Spiritu operatur, non poſſit peccare, iuxta illud Apoſtoli Ioannis: *Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat, & non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt.* 3. Vires concupiſcentiæ vehementer frangit, & minuit. 4. Tametſi non adimat nobis pœnas, corporiſque moleſtias, tria tamen iſta præſtat: 1. Auget vires, vt feras. 2. Infundit conſolationem, vt hilariter feras. 3. Vt eædem tibi pœnæ lucro ſint & honori, efficit, iiſque

Ioan. 1. *Rom. 8.* *1. Ioan.*

ijsque & pro peccatis Deo satisfacias, & æterna vitæ cælestis bona tibi mercearis. Nihil enim à Filio Dei in Dei gratiam præstatur, quod non eximiam mercedem obtineat. Sicut igitur spe mercedis labores leuantur, ita afflictiones omnes tibi sint dulces, quæ tam immensis præmijs compensantur. Ideò enim te patitur aliquid sustinere Deus, Pater tuus, vt augeat mercedem & gloriam tuam.

Considera 3. dæmonem hoc sollicitè conari vt efficiaris filius diaboli. Sic enim
Ioan. 8. impios appellabat Dominus: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere.* Est autem ille diaboli filius, qui eius in anima similitudinem impressam gerit, eiusque voluntati & desiderijs studet. Dæmonis imago est horribilis fœditas ex turpitudine peccati: vt intelligas, peccatorem, qui animam suam mortali peccato infecit, spurcitiâ parem esse diabolo, à quo hoc vno distat, quòd pœnitentiâ possit sordes abluere, dæmon non possit. Caueas igitur ab hac diabolica cognatione, ne eandem cum diabolo patre impiorum hæreditatem sortiaris.

Considera 4. hominem, vt filius Dei est, non peccare, sed iustitiæ & pietatis sancta opera præstare: vt verò est filius Euæ vel Adami, in venialia peccata, leuesque defectus labi: vt autem est filius diaboli, peccata committere grauia & mortalia, quibus gehennæ supplicia debeantur: vt discas 1. neminem esse simul filium Dei

&

& filium diaboli, hoc est, reum gehennæ, & hæredem vitæ æternę; iustum, & impium; Deo gratum per internam gratiam, & inuisum per peccatum: siquidem odio sunt Deo impius & impietas eius. 2. Eundem esse filium Dei & filium Euæ seu filium hominis. nemo enim iustus aut sanctus caret peccato, non tamen desinit esse iustus aut sanctus, quia habitu retinet sanctitatem. Non igitur animum abijcias, si quandoque vt filius Euæ in imperfectiones & peccata dilabaris, sed mentem erigas in Deum, cuius gratiâ, vt filius Dei, non difficulter ab his exiguis maculis mundaris, quia *charitas operit multitudinem peccatorum*. 3. Simul eundem esse filium hominis & filium diaboli: hominis quidem per naturæ fragilitatem, diaboli verò per voluntatis malitiam. Sap. 14.

Considera 5. Virginem Matrem eandem quidem agnoscere nobiscum primam parentem Euam, sed singulari priuilegio non omnia ab ea quæ nos, mala accepisse; nam 1. Nullum peccatum origine secum traxit, vel in conceptione attulit. 2 Nullam concupiscentiam, vel affectionum dissolutionum in membris suis vnquam habuit. 3. In nullum vnquam vel leuissimum peccatum opere, verbo, cogitatione est lapsa. Incommoda quidem multa tolerauit, non tamen vt peccati pœnas, sed 1. vt conditiones humanæ naturæ. 2. Vt exercitia virtutum, materiamque meritorum. Christus qui toties

se

se filium hominis appellare consueuit, seu filium Adami; vt verus homo Adamique filius ab omnibus haberetur; ijsdem priuilegijs nec peccatum nec vitium cum origine contraxit, pœnas tamen non suorum, sed nostrorum peccatorum sustinuit. Rogabis itaque Dominam tuam MARIAM, vt in Euæ locum tibi Mater succedat, & sicut illa corporis vitam dedit mortalem, multis malis obnoxiam; ita ipsa tibi Filium suum conseruet, vitam tuam immortalem, largiaturque innumera bona.

MEDITATIO X.

De nostro ad Virginem Matrem suspirio.

CONSIDERA I. B. Virginem cum cordis suspirio inuocandam esse. Est autem suspirium indicium, primò quidem, abesse bonum aliquod magnum, deinde hoc bonum impensè desiderari; tertiò sperari bonum illud, & exspectari, quia suspirant amantes & desiderantes.

Considera 2. ad Christum nos omnes suspirare, in quo est beatitudo, felicitas, omneque desiderium nostrum; & à quo solo, tanquam ab vnica spe nostra, pendemus, & bona omnia exspectamus, in cuius desiderio est perfectio vitæ Christianæ: quantum enim Christus à nobis desideratur & amatur, tanto ei sumus acceptiores, & eius gloriæ capaciores.

Menſura namque futuræ gloriæ, à charitate & deſiderio accipienda eſt; ſicut vaſis capacitas à profunditate. Tu hîc expende, quo deſiderio in Chriſtum feraris, anne potiùs ad terrena bona ſuſpires & anheles: rogaque Dominum, vt ſui deſiderio cor tuum accendat, & ſui capacem reddat.

Conſidera 3. nulla Chriſti iniuria Chriſtianos piè ad Virginem Matrem ſuſpirare, tanquam ad eam, cuius beneficio & auxilio ad Chriſtum, vnicam ſpem noſtram, ex malis educi poſſimus. Suſpirant enim ad medicum infirmi, ad opulentos egeni, ad potentes oppreſſi, nullâ Chriſti iniuriâ, à quo ſolo eis per hos, tamquam intermedios, bona conferuntur.

Conſidera 4. B. Virginem non in exiguis modò rebus, ſed in magnis quoque anxietatibus & difficultatibus ſuccurrere. Suſpirant enim oppreſſi, & qui ſuapte vi vel liberari nequeunt graui malo, vel ad eximia bona euehi. Suſpirantis vox eſt: *Rom. 7.* Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Item: Vſquequò Do- *Pſal. 12.* mine obliuiſceris me in finem, vſquequò auertis faciem tuam à me? Sic tu ad Virginem ſuſpirabis: Ah Domina, quouſque differs aduentum tuum? quamdiu his me miſerijs & calamitatibus affligi patieris? quando vultum tuum conſolationemque exhibebis? His ſuſpirijs inuocata Virgo, auxilium ſuum tibi deeſſe non patietur.

MEDITATIO XI.

De gemitu & fletu.

GEmentes *&* flentes. CONSIDERA I. gemitum voce doloris esse testem; fletum lacrymis. Vtrumque maximam habet vim ad misericordiam Christi, Matrisque eius excitandam, qui fidelium & clientum suorum doloribus & angustijs permouentur. Quamobrem si tibi misericordiam Christi, Virginisq; Matris conciliare velis, cum gemitu & lacrymis eos inuocato, omniaque haud difficulter impetrabis.

Considera 2. quatuor esse mala huius exilij, propter quæ meritò & gemimus, & lacrymamur seu flemus. Primum cæterorumque omnium caput est peccatum, Deique offensa, quod omnium est malorum grauissimum, talibus lacrymis deflendum, vt de nulla re æquè dolere debeas. Secundum est, quod passionibus, & quotidianis imperfectionibus pro fragili nostra conditione iactamur, quibus quotidie in peccata labimur. Tertium est tolerantia pœnarum, & afflictionum corporis, quas vel pro peccatis nostris, vel pro conditione huius exilij ferre cogimur. Quartum est, abesse à summo bono, Deique præsentiâ & visione destitui. Et quidem propter illatas pœnas gemunt & lacrymantur etiam peccatores; eorum verò, qui ad Deum ex peccatis redeunt, quos vocant In-

Incipientes, eſt gemere & deflere peccata. De imperfectionibus autem dolent & plorant Proficientes, qui in ſui victoria progreſſus facere ſtudent. At verò Perfecti, ad Chriſti ſponſi ſui præſentiam, & complexum anhelant, & cum Dauide exclamant: *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*: qui nihil æquè deſiderant, atque *diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. Pſal. 119. Philip. 1.

Conſidera 3. ad Virginem beatiſſimam nos meritò ſi ſpiria, gemitibus plena, lacrymaſque fletuum noſtrorum mittere, quæ gemitus & fletus ipſa experta, nouit compati afflictionibus noſtris. Gemuit enim illa, & fleuit, multis in hac vita oppreſſa doloribus; non ex illis tamen omnibus cauſis, quę nobis adferunt materiam lacrymarum & doloris. Siquidem in nobis tria ſunt mala quæ lacrymas, gemituſque merentur, peccatum, pœna peccati noſtri, & concupiſcentia, hoc eſt, virium & partium animæ diſſolutio, ex qua concupiſcentia cætera mala proueniunt, quandoquidem & peccati actualis cauſa ad concupiſcentiam refertur, & originalis peccati materia eſt concupiſcentia: ſicut actualis peccati materia eſt actus aliquis, ſeu internus, ſeu externus; & in horum peccatorum punitionem afflictiones plærumque & pœnę infliguntur. Virgo autem Dei Mater, quæ omni fuit ſemper concupiſcentiâ & virium inordinatione libera, caruit etiam omni peccato; originali quidem, quia eius materiam dixi-

diximus esse concupiscentiam; actuali verò, quia id à concupiscentia proficiscitur, quæ procul ab eo corpore abesse debuit, vnde Deus ad concupiscentiam eneruandam sibi corpus efformaret. Nec igitur pœnam sustinuit peccati, tametsi pro naturæ humanæ conditione, molestias, afflictionesque varias perpessa fuerit. Admirare Dei bonitatem, qui Matrem suam pro te affligi voluerit, vt nosset tui misereri, miserijsque tuis compati. Et tu Christi Matrem roga, vt memor angustiarum suarum, à te omnes depellat lacrymarum gemituumque causas, doloresque tuos & luctus in solidum gaudium conuertat. Ad illam enim gemitu & lacrymis conuertimur, quia est dulcedo & consolatio nostra; sicut ad eam suspiramus, quia est spes nostra.

MEDITATIO XII.

De valle lachrymarum.

IN *hac lachrymarum valle.* CONSIDERA 1. Vallis conditiones, nempe medium esse locum inter montes; sordidum quidem, propter aquarum ex montibus defluxum; fertilem verò, tum propter aquarum copiam, tam propter solis reuerberationem & æstum. Quæ conditiones in hunc nostrum mundum optimè conueniunt, qui & infimus est, & multis malis abundans, & inter omnia totius orbis loca solus fertilis, & fructus atque merita proferens: quia neque in cælis merentur sancti, meritorum suorum præmia iam consecuti; neque in inferno quicquam valent ad vllum meritum, tot damnatorum pœnæ. & cœlum quoque non vallis est, sed mons altissimus, ex quo imbres gratiarum, & bonorum ad nos decurrunt: infernus autem non vallis est, sed puteus profundissimus, qui nobis peccatorum, & malorum fœtorem exhalat.

Considera 2. In hac valle quasi venum exponi merces diuersi generis lachrymas, quæ ad instar aquarum distillatarum, varios ex se diffundunt odores. Sunt enim hîc quædam lachrymæ insuauis odoris, vt quas malitia, vel superbia, aut peccatum exprimere solet, quibus lutum & sordes

pro-

procreantur, & anima conſpurcatur. Aliæ lachrymæ ſuaues ſunt gratiſsimiq; odoris. Primò quidem illæ, quæ ex deuotione, compaſsione dolorum Chriſti, congratulatione gloriæ eius, interno gaudio, conſolatione, dulcedine & gratiarum actione exprimuntur. Secundò verò, quæ ex deſiderio oriuntur abſentis ſponſi Chriſti. Tertiò autem, quibus deflentur peccata, quæ Deo ſummo bono iniuriam irrogauerunt. Denium, quibus propter aduerſitates lachrymamur, & mala noſtra deploramus. His lachrymis commouetur Chriſtus, qui ad lachrymas Magdalenæ & Marthæ, etiam ipſe fleuit; & lachrymis viduæ matris commotus, adoleſcentem ad portas oppidi Naim ad vitam reuocauit. Mitiſsimus enim Dominus duas præcipuè ob cauſſas lachrymis amicorum ſuorum permoueri ſolet, quarum altera eſt ex amore noſtri, quos ægrè fert triſtari & affligi, ad quorum triſtitias, afflictionesque tollendas, ipſe lachrymas, ſanguinē, & animam ſuam dedit. Altera eſt, quòd viſis lachrymis noſtris, memoria repetat lachrymas ſanctiſſimæ Matris ſuæ, quam ponè crucem lachrymantem vidit, & miſeratus eſt. Apud inferos eſt quidem fletus & ſtridor dentium, eiulatus & clamor, lachrymæ tamen non ſunt quæ pietatem & miſericordiam excitare valeant. Nec ſunt lachrymæ in cœlis, vbi abſtergit Deus omnem lachrymā ab oculis Sanctorum.

Ioan. 11.

Lucæ 7.

Matt. 8.

Apoc. 21.

Conſidera 3. quomodo hic mundus ex loco

co voluptatis effectus fit vallis lachrymarũ & officina miseriarũ. Si quidẽ ante hominis peccatum nulla erat lachrymandi occasio, nulla calamitas, nullus dolor, nulla afflictio: quamdiu anima adhærebat Deo, & vires animæ rationi parebant, nullum extrinsecus malum occurrere poterat, nulla aëris intemperies corpus infestabat, nulla ingluuies valetudinem labefactabat, ciborum salubritas sanitatem integram conseruabat; & tametsi per elementorum & qualitatum internarum pugnam, humanum corpus naturaliter interire potuisset, esu tamen fructus ligni vitæ, vitæ iuuentus restituebatur. Et hæc quidem erat illius primi status conditio: commisso verò peccato, abacti sumus ab esu ligni vitæ, & destituti salutaribus paradisi fructibus, pro quibus noxias & insalubres escas accepimus Aër, bestię, & quicquid foris adiacet, nos infestat: quo factum est, vt per peccatum non solùm mors, sed omne malum, & materia lachrymarum, in hunc orbem terrarum sit inuecta. Ex qua consideratione disces, sacratissimam Christi Matrem, & mortuam esse, & multa sustinuisse, non vt peccata vel sua, vel aliorum lueret: sed partim vt gloriam sibi multis meritis cumularet, partim propter humanæ naturæ mundiq; illius conditionem, qui post peccatum primorum parentum, ex loco voluptatis factus est vallis lachrymarum. Tu Dominam tuam precaberis, vt gratiam tibi

tibi impetret lacrymarum, easque suis lacrymis, quas vidente crucifixo Filio suo vberrimas effudit, adiunctas Christo, ad peccatorum tibi remissionem impetrãdam, & gratiam, omniaque bona obtinenda, benignè offerre dignetur. Nihil enim est, quod non impetrent piæ lacrymæ; nihil quò non penetret doloris & deuotionis gemitus.

MEDITATIO XIII.

Quòd MARIA *sit nostra Aduocata.*

CONSIDERA 1. in *Eia ergo* duplicem rationem, cur meritò ad misericordiam Virgo Mater commoueri soleat. Alteram ex parte sui, quia Regina est misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra, nobis constituta mediatrix, & conata in Dominam, solatiumque nostrum. Alteram ex parte nostri, qui & intus pleni sumus malis, & foris circumfusi miserijs, quas & ab origine, traximus, & molestissimè ferimus, & clamando, suspirando, gemendo, lacrymando, in exilij loco deflemus. Tu his argumentis, quasi pijs tropis, & locis Rhetoricis Dei Matris affectum, non tam verbis, quàm interno feruore concitare stude.

Considera 2. Aduocati officium in eo esse, vt clientis causam tueatur & agat,

partesque defendat, non modò in iudicio aduersus calumnias, sed armis quoque aduersus hostes. Sic enim Imperator dicitur aduocatus Ecclesiæ, cuius aduersus hæreticos, infideles & impios tuendæ munus functionemque accepit.

Considera 3. Christum Dominum esse verissimum nostrum in cælis aduocatum, de quo sic scripsit Apostolus Ioannes: *Si quis peccauerit, aduocatum habemus in cælis Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* qui multis nominibus hoc munus pro nobis continenter obit. Nam 1. libellos supplices nostros, quæ sunt orationes, ipse spiritu suo vel nobis dictat, vel per Ecclesiam tradit. 2. Eosdem ipse porrigit æterno Patri: siquidem orationes Christianorum, tanquam incensum constituuntur super altare, qui est Christus, ante thronum Dei. 3. Oblatas à se preces nostras ipse commendat; non quidem anxiè rogans, non solicitè rationes ad persuadendum conquirens, non dubius de sententia, sed magnâ fiduciâ, vt homo sanctissimus; magnâ auctoritate vt Filius Dei; magnâ securitate, vt Redemptor. Siquidem per semetipsum in cælis ascendens ad Patrem, vulnera exhibet lateris, manuum, pedum, & fixuras clauorum, flagellorumque vibices, & toto corpore pro nobis acceptos liuores; vt non nisi per has fenestras, misericordiæque cancellos, Deus Pater huis aduocati clientes, tamquam misericordiâ dignos respiciat, &

1. Ioan. 2.

Apoc. 8.

agnoſcat; ſicut per coloratum vitrum, nihil niſi eodem colore affectum apparet. In terris verò, Sacerdotum ſuorum miniſterio, illud idem, quod in ara crucis immolatum fuerat ſacrificium, offert paternis oculis, ſeſeque medium interponit, vt ſi quid adhuc à nobis ſatisfactionis deſideretur, ipſe illud iam ſuâ paſſione morteque perſolutum exhibeat. Verè admirabilis aduocatus, qui ſic clientum ſuorum cauſam tuetur, vt ipſe damna ferat, debita ſoluat, & ſemetipſum non modò in litrum, ſed etiam in antilytrum, ſicut affirmat Apo-
1. Tim. 2. ſtolus, tradat; quod talem redemptionem ſignificat, qua non alio precio, quàm vita propria amici vita ſeruatur. 4. Si quæ à nobis bona præſtantur, illis ſuis meritis operibusque adiuncta & quaſi condita, efficit grata, atque ad promerendam æternam ſalutem vtilia. Noſtras igitur vigilias, noſtra ieiunia, noſtras afflictiones, variaſque moleſtias & incommoda, ſuis ieiunijs, pœniſque adiungit, Patriſque ſui oculis repræſentat, cui nihil, niſi his Filij ſui meritis veſtitum & ornatum, complacere poteſt. 5. Peccata noſtra extenuat, fragilitati compatitur, ignorantiam excu-
Lucæ 23. ſat. Eius vox eſt: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Et rurſum de fi-
Lucæ 13. culnea infrugifera: *Domine dimitte illam & hoc anno, vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora.* Moyſes quondam à populo Dei iram ſæpiùs oratione auertit. At Chriſti tanto eſt efficacior apud Deum in-

intercessio, quanto filius est gratior seruo. 6. Passionis suæ armis & virtute Ecclesiam suam aduersùs omnes diaboli insultus machinasq́ue tuetur, verus Imperator, defensor, & aduocatus Ecclesiæ, dilectæ sponsæ suæ.

Considera 4. Spiritum sanctum à Christo appellari Paracletum, quo nomine testatur B. Augustinus, & consolatorem & aduocatum significari. Est porrò Spiritus sanctus aduocatus, non quòd apud Patrem ipse pro nobis intercedat, qui cum Patre & Filio vnus Deus simul adoratur & conglorificatur; sed quia in animas nostras illapsus per gratiam suam, 1. nos orare doceat, ad adorandum moueat, orationes nostras Deo reddat acceptas, atque ad cælos euehat, iuxta illud: *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit.* Hoc est enim quod Apostolus ait: *Quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quia secundùm Deum postulat pro sanctis.* 2. Animas nostras suâ gratiâ vestitas, Deo gratas efficiat, & filios Dei constituat, nosq́ue per eam in conspectum Dei Patris introducat. Nemo quippe vel in Dei amicitiam, vel in æternam gloriam admittitur, quem non aduocatus noster Spiritus sanctus suâ gratiâ prouehat; neque quisquam à Dei fauore aut conspectu excluditur; quem adducat gratia Spiritus sancti.

Tract. 74. in Ioan.

Eccl. 35.

Rom. 8.

sancti. 3. Eadem gratia armatis vires administret, vt & in virtutibus progrediantur, & dæmones prosternant, & victoriam de hostibus reportent. Hic tu felicitatem tuam cogitabis; qui est in cælis aduocatum habes Christum Deum, iudicem tuum, & in temetipso Spiritum eius sanctum: quis te beatior, cuius aduocatus est iudex, & cuius patrocinium aduocati Spiritus cordi
Rom. 8. infusus, nunquam deserit? Rectè exclamare poteris, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* si aduocatus est iudex, quis accusabit? Cæterùm cauendum tibi erit, ne Christus ex aduocato tuo accusatoris aduersus te partes suscipiat, quem tot peccatis ad ira-
Sap. 5. cundiam lacessere non desistis. Quia nemo pro nobis erit, si ille contra nos, cum quo pugnat orbis terrarum contra insensatos.

Considera 5. Sanctos Dei in cælis gloriosos, à patribus rectè aduocatos nostros appellari. Nam 1. pro nobis apud Deum intercedunt, non minùs nunc vultui Dei in cælis adsistentes, quàm vel ipsi orauerint pro viuentibus, in carne adhuc pere-
Mat. 15. grinantes; vel Hieremias in limbo Pa-
Zach. 1. trum rogarit pro populo Dei; vel Angelus precatus sit pro ciuitate Hierusalem & vrbibus Iuda. 2. Preces nostras, piaque officia exhibent Deo; quod de se, cùm ante Christi mortem nemini adhuc sanctorum ingressus in cælum pateret,
Tobiæ 12. Raphaël Angelus Tobiæ fatebatur. 3. offerendo, nostra precibus meritisque suis

Deo

Deo commendant, quibus si quid pulueris aut imperfectionis adhæreſcit, orationibus & operibus noſtris, ipſi illud omne diſcutiunt & abſtergunt; quorum oblatio ex perſonarum dignitate, eſt Deo acceptiſſima. 4. Aduersùs dæmonum ferociam nos tuentur: à Chriſto enim acceperunt poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, omnemque virtutem inimici, alligandique eos in compedibus & manicis ferreis. 5. Denique, totos ſe nobis in auxilium noſtrum offerunt, vt tanquam eiuſdem corporis membra, calore ſuo, fauore, ope, meritis adiuuent. *Pſal.* 149.

Conſidera 6. ſanctiſſimam Chriſti Matrem noſtri patrocinium ſuſcipere, vt aduocatam, multo quàm quempiam ſanctorum & ardentiùs & efficaciùs. Tum quia noſtri vehementiori æſtuat charitate; tum quia totius humani generis curam maternam à Filio accepit; tum quia dæmonibus magis eſt terribilis, vt quæ ex officio conterit caput ſerpentis; tum quia maiori apud Filium valet auctoritate. Filius quidem Patri, quibus omnia nobis promeruit, aperit vulnera: Mater verò Filio, quibus eum caſtiſſimâ charitate lactauit, exhibet vbera. Proinde nec Pater merita Filij reijcit, nec Filius affectum Matris. Hanc igitur tu aduocatam deſiderio, precibus, & humilitatis charitatiſque officijs, aduoca, ei teipſum cauſaſque tuas commenda; eiusque fretus patrocinio, nulla aduerſa pertimeſce; ſed in omnibus

casibus sint in manibus eius sortes tuæ.

MEDITATIO XIV.

De benignissimis MARIAE oculis.

Illos *tuos misericordes oculos*. Singula verba suum pondus habent. Considera igitur 1. magnam emphasim in *illos*: non solùm oculos tuos ad nos conuerte, sed illos tuos oculos. Illos inquam singulares, 1. quorum pulchritudo cùm in cęteris Scripturis, tum maximè in Can-
Cant. 1. ticis mirè commendata est: *Oculi* (inquit) *tui columbarum*, simplices, recti, nihil co-
Cant. 4. gitantes malum. *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis*. Hesebon significat cogitationem. Oculi igitur tui sunt clari, nulla permixti fœditate, aquis copiosis abundantes, quas frequentibus lacrymis emiserunt, quoties vel Christi tecum commorantis sacras manus, & pedes, quos clauis perforandos sciebas, contemplabaris; vel patientem in cruce Dominum intuebaris; vel mortem eius & passionem peractam recordabaris. Non enim leuiter adspiciebas, sed multa
Luca 2. tecum cogitans, *conseruabas omnia in corde tuo*. Et quia iuxta portam numerosæ ciuitatis Hierusalem passus est Dominus, cum affectu contemplamur has tuas piscinas, hoc e , oculos tuos iuxta crucem ad portas filiæ multitudinis; precamurque vt per

per portam lateris Filij tui, quam magno animi tui dolore in cruce reserari vidisti, nos intueri digneris. 2. Oculos illos, qui pulchritudine sua Deum ipsum de cælis in vterum tuum adduxerunt. Sic enim de his ait sponsus in Canticis: *Vulnerasti*, seu, vt Hebræa habent, *abstulisti cor meum soror mea sponsa; abstulisti cor meum in vno oculorum tuorum.* hoc est, pulchritudine oculi interni mentis, quo sponsus cælestis potiùs delectatur, quàm altero oculo, qui est corporis. 3. Oculos illos, qui primi Deum incarnatum viderunt, qui soli totius infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ Christi & arcanorum eius conscij fuerunt. 4. Qui in hoc mundo proximorum miserias libenter adspexerunt. 5. Qui nunc in cælis benignè se ad hominum calamitates intuendas demittunt. *Cant. 4.*

Considera 2. *Tuos*, 1. maternos oculos. Sicut enim Christus vt Deus, est Filius Dei Patris; vt homo, est Filius hominis Matris: ita nos vt Spiritu Christi afflati, sumus Filij Dei; qui enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei: vt autem sacro eius corpore per sanctissimam Eucharistiam cum Christo coniuncti, & quodammodo vnum corpus affecti, filij sumus tui. 2. *Tuos*, nimirum tibi naturales; toruis enim oculis, & austero vultu intueri, tibi non est vel proprium vel familiare, quæ tota es dulcis, ipsaque dulcedo & consolatio hominum. *Rom. 8.*

Con-

Conſidera 3. *miſericordes*. ex ſumma, quâ nos Virgo complectitur charitate, ſummam etiam in ea eſſe miſericordiam, quâ & condolet miſerijs noſtris, & miſeris ſtudet ſubuenire. Cæterùm quia plæreque virtutes huius vitæ, imperfectioris aliquid pro iſtius temporis conditione includunt; in Virgine glorioſa, cæteriſque Sanctis, adeſt omnis virtutum perfectio, abeſt omnis imperfectio; adeſt quicquid eſt præclarum, abeſt quicquid eſt moleſtum. Pro fide igitur habent claram Dei notitiam; carent autem illâ obſcuritate, quam fidei nomen ſecum apportat. Spei exſpectationi ſuccedit rei deſideratæ poſſeſſio; manet autem illa animi conſtantia, quæ ſperantes erigit. Humilium contemptus & abiectio tranſit, ſed manet profunda animorum demiſſio. Nullus eſt in obedientia labor, ſed plena reſignatio. A timore illo Domini, qui manet in ſæculum ſæculi, abeſt anxietas & metus ne labaris, manet reuerentia. Pari ratione Domina noſtra miſericors eſt, ſine corde miſero, vel afflicto; compatitur ſine paſſione; condolet ſine dolore.

Pſal. 118.

Conſidera 4. ex miſericordibus his oculis, non niſi miſericordiam & pietatem ſpirare. Sicut enim oculi baſiliſci diffundunt venenum, & os vaſis, odorem liquoris interni: ita quos miſericorditer conſuetur Virgo dulciſſima, perfundi ſolent liquore miſericordiæ, qui ex miſericordibus eius oculis deriuatur. Non enim poteſt miſe-

miſerias videre, & miſeros deſerere Mater miſericordiæ.

Conſidera 5. oculos duplices, externos & internos. Et quidem externi eius oculi iam admirabili iucunditate cælorum pulchritudinem, Filij gloriam, & quicquid in ſuperna illa regione viſui occurrit, feliciſſimè vident. Interni verò mentis oculi in ipſam etiam penetrant diuinitatem, in qua, tanquam in lucidiſſimo rerum omnium ſpeculo, clariſſimè omnia obijciuntur, quorum notitia vel ad eius augendam gloriam quoquo modo pertinere, vel ab ea deſiderari aliquâ ratione poſſit. Nihil igitur dubites, quin Virgo ſanctiſſima miſerias tuas agnoſcat, preces tuas audiat, deſideria tua videat. Tu illi tantummodo ſincero corde aperies miſerias tuas, miſericordiæque ipſius implorabis auxilium.

MEDITATIO XV.

De petitione quâ poſcimus vt oculos ad nos MARIA *conuertat.*

AD *nos conuerte.* Conſidera 1. *Ad nos.* 1. quia homines. Memento enim Domina, quòd niſi propter nos, Mater Dei non eſſes: Nam propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, Filius Dei deſcendit de cælis in vterum tuum. 2. Ad nos fideles, Chriſtianos, ſanguine Filij tui ablutos, Sacramentorum eius participes, ſacro eius corpore cibatos, quod ipſe de tuo corpore ſibi formauit. 3. Ad nos ſeruos tuos, clientes tuos, & ſi dignum ducis, etiam filios tuos. Te etenim Dominam, Aduocatam & Matrem agnoſcimus. In tui honorem hoc corpus noſtrum Deo conſecratum cupimus, actiones, ſermones, & cogitatus noſtros ad Dei laudem per manus tuas offerri optamus; & à Deo Filio miſericordiam per te referre rogamus. Qui igitur tot nominibus tibi coniuncti ſumus, à te quæſo ne vllo vnquam tempore deſeramur.

Conſidera 2. *Conuerte.* Mater ſi Filium in media hominum turba preſſum videat, oculos ſuos ab eo non auertit, ſed nutibus eum dirigit, manu vocat, voce inclamat, & opera ſua, ſi neceſſe fuerit, tuetur. Tu nos, Domina, ſic reſpice, vt adiuues, cures, defendas, iuua ne quis obſit, cura ne quid deſit.

Con-

Considera 3. nos in hoc mundi theatro non aliter atque in comœdia personas nostras exhibere. Sicut igitur parentes, actionis spectatores, præcipuè filiorum suorum, si qui fortassis partes aliquas sustinerent, mores gestusque potiùs quàm aliorum obseruant: ita beata Virgo, Domina & Mater tua, te contemplatur. Tu caue, ne quid eius oculis indecens, ne quid tantæ Dominæ ingratum, ne quid tanta Matre indignum geras. Hoc vnicè labora, vt ei placeant opera tua. Non enim frustrà te spectat exhibentem, sed vt te Filio commendet, æternamque tibi mercedem felicissimę vitę, post hanc vitam mortalem, procuret.

Considera 4. si ad te velis conuerti Dei Matrem, tu te priùs ad ipsam conuerte; si enim occiput obuertas soli, non illustrabitur facies tua. Sæpè igitur de Christi Matre, tanquam tibi præsente, cogita; sæpè ad eam etiam in medijs occupationibus, breues orationes eiacula; sępiusque ei conatus laboresque tuos dirigendos commenda; neque vllis vnquam te patiaris occupationibus ita distrahi, vt non Dominam tuam tibi præsentem proponas & mediteris; & quidem non remotam, sed vicinam: qui enim vicinior est, faciliùs distinctiusque agnoscit & miseretur. Rogamus te, Virginem Dei Matrem, Aduocatam nostram, ne vllo tempore auertas faciem tuam à nobis. Illumina vultum tuum super nos, & miserere

Cant. 2. nostri. Ostende nobis faciem tuam; sonet vox tua in auribus nostris: vox enim tua est dulcis, & facies tua decora.

MEDITATIO XVI.

De IESV *ventris* MARIAE *fructu benedicto.*

CONSIDERA 1. post fauorem & auxilium sanctissimæ Virginis in hac vita, nihil præstantius & vtilius petendum, quàm gloriam Dei post hanc vitam: ad hanc enim conditi sumus, ad eamque nostras omnes actiones referre iubemur.

Considera 2. singula verba aliquam indicare futuræ vitæ gloriam peculiarem, quæ in te excitare possit tædium exilij huius, & desiderium patriæ cælestis. Petis enim tibi exhiberi 1. *Iesum*, Saluatorem illum, qui vt te ex diabolica seruitute, in veram filiorum Dei libertatem assereret, atque à malis omnibus eriperet, sanguinem, vitam, animam, omniaque sua liberalissimè tibi effudit. Iucundum erit, illum videre, qui tam ardenter te dilexit. Tu eius amorem in te, aliosque homines cogita; beneficia ab eo accepta expende, & si potes enumera; magnitudinem varietatemque laborum, dolorum, pœnarum, molestiarum, quas pro te suscepit, contemplare; & ex his exurge in eius desiderium. Si enim ad peccatorem & hostem suum requirendum venit de cælis in has miserias, quo-

quomodo ad se venientem non iam inimicum, sed filium excipiet? Qui Petrum negantem misericordibus oculis aspexit, quibus intuebitur oculis filium in fidei confessione, Christianisque moribus perseuerantem? qui inimicis multa salutaria locutus est, quibus verbis alloquetur amicum? qui Iudæ proditori in illa ipsa immani traditione osculum dedit, quàm dulce præbebit osculum dilecto fideliq; Discipulo? Ad hunc amantissimum Saluatorem adspira, hunc solum cogita, nihil nisi eius sacros castosque amplexus suspira. 2. Petis *benedictum*, non eo solo benedictum modo, quo in vtero Virginis dictus est benedictus fructus ventris eius; sed gloriosum, immente fulgentem claritate, summâque maiestatê donatum. Nec tantum benedictum, quomodo cæteris sanctis dicetur: *Venite benedicti Patris mei*, sed super omnia Deum benedictum in sæcula. Neque solùm benedictum sibi, sed ita copiosè benedictum, vt sanctos omnes benedictionibus impleat. Hanc tu Christi gloriam intueri desidera, vt de plenitudine eius etiam tu in cælis repplearis; quia non sibi soli, sed tibi quoque benedictus est Dominus. Nec erit parcus in danda tibi gloria, qui largissimus fuit in dando hostibus sanguine. 3. *Fructum ventris* desideras intueri, hoc est, hominem Christum, qui nostram in cælos naturam inuexit, cuius naturæ contemplatio magnam tibi eriget fiduciam cum Christo homine familiariter agendi, magnumque

Luca 22.

Luca 1.

Matt. 25

Rom. 9.

excitabit gaudium, quòd terra nostra de-
Psal. 84. derit eiusmodi fructum suum. Diuinita-
tem Christi mentis oculis intueberis; hu-
manitatem oculis corporis; vtriusque dul-
cedinem ore cordis gustabis : si quidem
fructus arboris vitę gustatur & comeditur.
Christus homo tanquam panis proposi-
tionis mundissimus in hac vita, tum in Eu-
charistiæ Sacramento, tum in meditatio-
ne, vitæque imitatione manducatur: in
altera verò vita, diuinitas Christi, quæ est
panis Angelorum, satiat animum. 4. Ex
ventris virginalis fructu duplex oritur
consolatio; altera quòd diuinæ incarnatio-
nis modum clarè intueberis, quam Spiri-
tus sanctus in vtero perfecit, carnem assu-
mente Deo Filio, Virginem obumbrante
Deo Patre. Qua in contemplatione non est
minima pars gloriæ cælestis, sicut affirmat
Dominus. Hæc est vita æterna, vt cogno-
scant te verum Deum, & quem misisti Ie-
Ioan. 17. sum Christum. Altera, quòd Virginis Ma-
tris immensam videbis gloriam ex Filij
gloriosa diuinitate proficiscentem. Sicut
enim Virginis vterus copiosa gratia, tan-
quam hospitij mercede, præ cæteris crea-
turis donatus fuit; ita in eum plus gloriæ
redundat, quàm in alios. Nam quæ gauisa
est ex fructu ventris sui, gestans vterum,
nun maximè gloriosa est, plenaque deli-
cijs, fruens hoc fructu vteri.

Considera 3. quibus verbis tibi hæc
gloria per Matrem Domini petenda sit
efficaciter; illis nimirum, quibus ipsa
quàm

quàm maximé delectatur, quæ dum ex vno ore & vno corpore diuino spiritu afflati Baptista Ioannes & Elizabeth mater primùm efferrent. Virgo MARIA in tantum gaudium erupit, vt nobilissimum carmen in Dei laudem decantaret: Magnificat anima mea Dominum. His ipsis enim huius Cantici verbis ab Elizabetha salutabatur: Benedictus fructus ventris tui. Singula igitur verba expende. *Et Iesum.* 1. Huius nominis commemoratione gaudet sanctissima Mater, cui nihil sapit, nisi Iesus. 2. Agnoscit summam suam hoc nomine dignitatem, quę sit Mater Saluatoris. 3. Hoc vnicè à te quærit, vt Iesum petas, animæque salutem. *Benedictum.* 1. Delectatur Filij sui laude, qui à nobis prædicatur benedictus. 2. Intelligit se eam haberi, quę loco maledictionis Euæ, nobis peperit benedictionem. 3. Congratulatur nobis, quibus Filius benedictus omnem benedictionem largitur. *Fructum ventris tui.* Hoc nomine repetit memoriam primò quidem incarnationis Filij Dei, quæ & ipsi summam dignitatem Matris Dei, & nobis omne bonum attulit; deinde verò copiosæ gratiæ diuinæ, qua sacra Virginis anima, & corpus ad nostram quoque vtilitatem abundauit. Tu igitur Virginem ora, vt per Dei in se amorem & gratiam, non huius tantùm vitæ largiatur bona, sed multo magis futuram impetret æternę vitæ felicitatem.

ME-

MEDITATIO XVII.

Vt IESVS *huius exilij solatium.*

NObis post hoc exilium. Considera 1. huius vitæ exilium, ad quod non pertinet clarè intueri vultum Filij Dei, cùm sit locus miseriæ, terra deserta, inuia, & inaquosa. *Deserta*, vacua habitatoribus, plena feris syluestribus. Rari enim sunt iusti, improbi multi, similes brutis animantibus, lupis, leonibus, &c. pro conditione vitiorum. *Inuia*: si enim mundum ipsum intuearis, nullam inuenies viam planam, nullum iter ad cælum; omnia sunt aspera, difficilia, molesta, quia nihil commoditatis affert mundus. *Inaquosa*: sine spirituali consolatione. Non mireris igitur si in hoc exilio subinde quasi aridus deseraris: mirare potiùs, quòd in hac terra inaquosa non rarò perfundaris imbre consolationis. Deus pro exilij huius conditione subtrahit consolationem, vt istius exilij pertæsus aspires ad patriam. Dat porrò non rarò cordis lætitiam; 1. Vt aliquo solatio molestias exilij leuiùs toleres. 2. Vt diuinâ dulcedine gustatâ, Deum ipsum ardentiùs desideres. Magna est autem Dei bonitas, qui in tam horrido loco de necessarijs animæ & corporis benignè nobis miseris exulibus prospicit.

Considera 2. Consolationis, omnisque gaudij locum & tempus esse post hoc exilium; in quo exilio cupit Christus imponi

finem omnium malorum. Miserum ergo te, si post hoc exilium detur tibi initium malorum, in pœnis gehennæ, quas Deus non tibi, sed diabolo angelisque ipsius parauit, nec te ad eas creauit, qui *omnes homines vult saluos fieri*; sed in eas temetipsum præcipitas peccatis tuis. Cæterùm verè beatus eris, si rectà ex hoc exilio ad patriam admittaris. Angusta est porta, arcta via, multa post hanc vitam impedimenta. Adstant ad fores mortis truculenti hostes, qui egressum animæ præstolantur. Iudex oculatissimus, ne minimum quidem næuum in mundissimam illam beatorum sedem admittit, quia in illam non potest intro-ire aliquid coinquinatum vel immundum. Purgatorius igitur ignis, grauissimis pœnis excoquens omnem maculam, producit exilium, & remoratur ingressum in patriã. Quamobrem obnixè roganda est tibi cæli Regina; primò quidem, vt in hoc exilio sic dirigat vias tuas, ne imparatus hinc euoceris: est enim incertum tempus exilij, in Dei solius positum arbitrio. Deinde verò, vt sub vitæ finem te præsentiâ suâ consolari dignetur, dæmonum tentationes discutere, animamque tuam in hac vita Christi misericordiâ purgatam, rectà in cælos abducere. Et si fortè ex diuina iustitia purgatorias pœnas sustinere debeas; neque grauiores illæ sint, neque productiores; sed fidelium precibus, eleëmosynis, atque suffragijs, quos Virgo ad tibi subueniendum excitet, mitigentur & contrahantur.

Matt. 25. *1. Tim. 2.* *Matt. 7.* *Apoc. 21.*

MEDITATIO XVIII.

Vt MARIA *suum nobis ostendat Filium.*

OStende. Considera 1. Magnæ pietatis officium Virginis Matris, vt Filium suum nobis ostendat. Infantulum exhibuit in hoc mundo, quibus voluit, & quos eo iudicabat dignos, vt Pastoribus, tribus Magis, Simeoni seni, cæterisque qui puerulo delectabantur. Nunc autem in cælis ostendit Filium suum gloriosum ijs, qui ad eius conspectum sese dignè composuerunt. Christi munus est ostendere
Ioan. 14. Patrem; ita enim dicebat Philippus: Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis: Matris munus est ostendere Filium, vt à Filio deducamur ad Patrem.

Considera 2. non hîc peti à Deipara Virgine, quod Dei est proprium, nimirum vt auctoritate sua donet nobis gloriam, quia gratiam & gloriam dabit Dominus:
Psal. 83. vel vt meritis suis peccatori cælos aperiat, quod ad Christi officium pertinet: sed hoc tantùm, vt precibus suis Filium nobis conciliet, cuius ante mortem susceptis piè Sacramentis, remissionem peccatorum consecuti emigremus læti ad Christum, cui nos illa vt seruos, clientes filiosque suos æterna gloria donandos offerat, negligentias excuset, & quod in nostris desideratur, ipsa suis meritis, suaque qua apud

Filium

Filium iudicem valet auctoritate compen-fet.

Considera 3. alium fuisse quondam Israëlitarum sermonem, alium debere esse tuum. Illi dicebant Moysi: *Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus, ne moriamur.* Exod. 20. *Terribile enim erat quod videbatur*, ait Apostolus, vt Moyses diceret: *Exterritus sum, & tremebundus.* Hebr. 12. Tu dicas Virgini Matri: *Iesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende.* Delectamur quidem sermone tuo sacratissima Mater, lætamurque aspectu tuo: sed nisi ostenderis nobis Filium tuum, non sufficit nobis: quia enim te propter Filium diligimus & veneramur, cuius gloria & honor à solo Filio pendet, atque dimanat, Filium ipsum per te cupimus, in quo est perfectio & salus vniuersæ creaturæ.

Considera 4. quinam cum fiducia sibi à Matre exhiberi Filium postulare possint; illi nimirum qui & apud Matrem aliquid valent, & non sunt alieni à Filio. Tu igitur vtrumque conare. Nam 1. esto notus Virgini Matri, cuius te præsidijs & tutelæ committas. 2. Filium in hoc mundo frequens adeas, & contempleris, vt ei consuetudine & familiaritate deuinctus, ab eo post hanc vitam non patiaris repulsam. Qui enim toties in hac vita à Christo vocatus accedere recusat, is post hanc vitam non admittetur. Sæpiùs hic inclamat Filius Dei: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matt. 11

Si

Si audire renuis, & faciem tuam auertis vtique in iudicio non eris in eorum numero, quibus dicetur: *Venite benedicti Patris mei*; sed de infelici numero eorum, qui audient: *Ite maledicti in ignem æternum.* Qui enim ad præsentem Christi vocem, *Venite*, non veniunt, illi ad futuram eius vocem, *Ite*, abibunt. Accede ergo Christum nunc vocatus, orationibus eum alloquere, & audi respondentem; meditationibus eum quasi præsentem contemplare; Sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ cum eo coniungere, & gusta quàm suauis sit Dominus; sicque futurum est, vt in hac vita ei innotescens, post hanc vitam tibi eum beneuolum, & non terribilem vel alienum inuenias.

Matt. 25.

MEDITATIO XIX.

De tribus epithetis quibus Canticum concluditur & Dominæ nostræ clementia.

CONSIDERA 1. Tres titulos, qui tribus MARIAE dignitatibus conueniunt. Nam clemens est, vt Domina; pia, vt Mater; dulcis, vt Virgo. Item clemens in subditos; pia in filios; dulcis in proximos. Clementia ad gloriam eius pertinet quâ nunc in cælo moderatur cum Filio vniuersam creaturam. Pietas ad excellentem illam gratiam gratis ei datam, quâ electa est atque assumpta in Matrem Filij Dei.

Dei. Dulcedo ad gratiam gratam facientem, quâ omni genere virtutum abundans, Deo accepta fuit atque hominibus. Proinde potentia Dominæ donata est à Patre omnipotente: Pietas Matri à Filio: Dulcedo Virgini à Spiritu sancto, qui est dulcis hospes animæ, & charitatis virtutumq; omnium largitor. Non enim vacuæ venerunt in Virginem tres Deitatis personæ, quando Filio Dei corpus in eius vtero aptauerunt. Sic namque dicebat Angelus: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altißimi obumbrabit tibi: ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Lucæ 1. Deus Pater fortitudinem dedit, quâ Dei ferret præsentiam, Filij incarnationem, & ardorem Spiritus sancti. Reddidit eam capacem tantæ dignitatis, vt esset Mater Dei, tantæ gratiæ, quantam nulla creatura meruit; tantæ potentiæ, vt omnem sibi creaturam subiectam haberet, atque ad nutum parentem; tantæ maiestatis, vt omnibus esset admirabilis; tantæ gloriæ, vt nihil sit boni in creaturis, quod non ipsa longè copiosiùs, perfectiusque acceperit. Filius Matri largitus est sapientiam. Spiritus sanctus Virgini perfectam sanctitatem.

Considera 2. O *clemens*, quantum sit hæc Virgo super omnia euecta à Filio; Angelorum Regina, mundi Domina, conterens caput serpentis: Gloriosa Angelis in cælo: Clemens hominibus in terra: Terribilis dæmonibus in inferno. Angeli,

geli cęlestis aulę domestici, Reginam in ornatu suo contemplantur, & admirantur: Nos homines, Dominæ nostræ serui, extra cæleste domicilium eius clementiam inuocamus, & præstolamur: Dæmones in carcere gehennæ, eius potentiæ terrentur, & cohibentur.

Considera 3. Virginis clementiam; 1. quâ adhuc mortalis est vsa in homines, à quibus & ipsa, & Filius innumeras molestias atque incommoda patiebantur; quibus adeò nihil retulit aut imprecata est mali, vt salutem omnium promouere studuerit.. 2. Qua nunc in cælis fert suas à nobis & Filij iniurias. Tolerat enim patienter, inuocantes se clementer exaudit, totamque se impendit ad impetrandam à Filio peccatorum omnium condonationem. Ipsa offensas suas facillimè donat, grauissimeque læsa, etiam ad pœnitentiam inuitat. Nota est eius clementia quâ insolenti Iudæo, in eius sacrum corpus, cùm ad sepulturam deferretur irruenti, auulsas manus restituit. Eandem clementiam expertus est Theophilus, qui post abiuratam Christi fidem, Virginisque cultum, non difficulter sibi priùs Virginem, & per Matrem deinde Filium, conciliauit. Plenæ sunt historię hac Virginis clementiâ, quam tu magna fiducia accedens, rogabis supplex, vt à populo suo flagella Filij auertat, Ecclesiam clementer tueatur; gratiam & peccatorum remissionem omnibus impe-

petret; tibi per merita Filij sui, vires rectè viuendi, hostesque animæ tuæ prosternendi confirmet; denique in mortis hora clementem suum, Filijque vultum exhibeat.

MEDITATIO XX.

De summa Matris Mariæ pietate.

O *Pia*. Considera 1. Pietatem esse & virtutem & Spiritus sancti donum. Virtutem quidem, quâ & parentes, qui naturam dederunt, à nobis coluntur; & patria in qua nati sumus, diligitur; & consanguinei atque conciues, qui ad eandem nobiscum referuntur originem, curantur. Donum verò est Spiritus sancti, quo in Deum, vt Patrem nostrum affectu ferimur, iuxta illud: *Accepisti Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Rom. 8.

Considera 2. Pietatem in Deum, magnam semper viguisse in Virgine, quæ & tenerrimè Deum, vt amantissimum Patrem dilexit; & dilectissimum Filium, non tam vt Filium, quàm vt verum parentem venerata est, & coluit; in eius voluntatem & desideria intenta; eique ad nutum obsequēs. Quamobrem interrogatio illa: *Fili quid fecisti nobis sic?* non tam facta est ab ea, quasi à Matre Filium arguente, quàm ab animo sincerè amante, qui dolorem ex Luca 2.

Domi-

Domini absentia, suauiter, demissâ interrogatione testabatur. Verba quoque Filij in speciem asperiora, nihil generarunt doloris in Virginis animo, quæ humiliter Filij verba, tanquam à Patre dilectissimo suscipiebat, & conseruabat.

Considera 3. Virginis Matris pietatem in homines, dum adhuc in terris ageret. Cognatos suos, Domini fratres, ad Filium instituendos adduxit; tenuibus illis sponsis in Cana Galilææ, vini subsidium impetrauit; Elizabethæ grauidæ, magnâ pietate ministrauit; de misericordia Israëlitico populo exhibita, carneque ex ea natione à Filio Dei suscepta, exultauit spiritu, & Dominum magnificauit. Hoc est enim quod dicebat: *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* Denique inter Christianos, post Domini in cælos reditum conuersata, piè Apostolos, vt patres, fideles vt fratres & sorores venerata est, & coluit.

Mat. 12.

Ioan. 2.

Lucæ 1.

Act. 1.

Considera 4. quòd tantam in omnes pietatem à Christo Filio suo didicerit, quem magnâ vidit in suos pietate, nihil non ad eorum salutem mouere, & agere. Nam 1. pro nobis quærendis fouendisque non aliter in hoc mundo circumcursitauit, atque auicula totos dies peruolitat loca omnia, ad cibum colligendum pullis suis. 2. Vt nos à malis curaret, sanguine, doloribusque, & morte suâ, nobis medicamentum parauit, longè maiori pietate, quàm pelicanus dicitur suo san-

ſanguine mederi infirmitatibus pullorum ſuorum. 3. Corpus& Sanguinem ſuum nobis in eſcam reuerà dedit, magis piè & ardentiori charitate, quàm mater infantulos ſuos lacte ſuorum vberum nutrit. Hac igitur Filij ſui in nos pietate, mota Virgo Mater, pietatem etiam ipſa exercuit in eos, quos tantâ pietate foueri à ſuo Filio nouerat: vt tu memineris virtutem eandem amplecti, proximos tuos, domeſticos fidei, magni apud animum tuum facere; pro eorum ſalute libenter & teipſum, & tua impendere; fratris affectum cum omnibus conſeruare; fratres enim ſumus, eodem parente Deo, eadem Matre Eccleſiâ, eodem fonte & ſanguine Chriſti, fratris noſtri regenerati, eodem ſpiritu imbuti, eodem corpore in Euchariſtia vniti, concorporei & conſanguinei, ſeu potiùs vnum corpus in Chriſto. Cùm igitur pietas ad omnia vtilis ſit, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ, fratres omnes tuos Chriſtianos pio amore complectere. Hoc enim fratris amabile nomen, quod non bene nunc ad ſolos monachos relegatur, & quaſi cum aliqua contemptus ſignificatione vſurpatur, Chriſtianis omnibus ad pietatem colendam impoſitum eſt à Domino: *Vnus eſt* (inquit) *Pater veſter; omnes autem vos fratres eſtis.* 1 Tim. 4. Matt. 23.

Conſidera 5. Pietatem Matris nunc in cælis glorioſæ, quâ noſtris miſerijs non ceſſat ſubuenire, nobiſque demittere do-

na cælestia. Nam assumpta in cælos (vt ait B. Bernardus) etiam ipsa dat dona hominibus. Siquidem agnoscit nos eiusdem naturæ fratres, eiusdem patriæ conciues, eiusdem familiæ Christi Ecclesiæ domesticos, eorumdem bonorum participes, eiusdem regni cohæredes. Quamobrem si in hac vita pietatem cum hominibus exercuit, nunc multo magis pia est, fons ipse pietatis, quando neque facultas iuuandi deest, neque voluntas. Cæterùm maternam pietatem, prudentia sapientiaque moderatur, vt ea solùm donentur filijs, quæ vtilitatem & commoda promoueant. Mater igitur cùm ab æterna sapientia, Filio (inquam) suo, pietatem cum sapientia acceperit, non omnia quæ postulas, largitur, sed quæ prosunt animę, salutiq́ue tuę. Tu ergo piam Matrem rogabis, vt in his tantis Ecclesię angustijs, pijs oculis, fideles respiciat: quę ad animę corporisq́ue subsidium necessaria fuerint, piè conferat, fauorem Filij sui nobis conseruet, denique pietatem nobis in Deum & proximos impetrare dignetur.

MEDITATIO XXI.

De ineffabili Virginis dulcedine.

O *Dulcis Virgo* MARIA. Considera 1. Virgini conuenire dulcedinem, morumque suauitatem, quam Virgo beatissima, Spiritus sancti gratiâ exuberans, habuit copiosam. Nam 1. Anima eius in hac vita suauitate admirabili fruebatur, ex gratię diuinę abundantia, & dulcissima charitate, quę secum trahit pacem & gaudium, iuxta illud: *Charitas, gaudium, & pax in Spiritu sancto.* Neque mirum, fuisse repletam dulcedine quę ipsam dulcedinem nouem mensibus continuerat vtero. Ioannes Euangelista iussu Domini comedens oblatum volumen, sensit amaricari ventrem suum: at non ita Virgo qui tantam dulcedinem attulit pręsentia Christi, vt omnem sustulerit amaritudinem. Est enim Christus uva illa magna & suauis, quam secum de terra promissionis abstulerunt; missi à Moyse exploratores. Hęc liquore suo Virginis mentem tantâ dulcedine affecit, vt nulla acerbitas in ea locum habere posset. Nam sicut res amarę si dulcedine condiantur, dulcescunt: ita prę amoris diuini dulcedine nulla molestia aut afflictio suauem quietem Virginis vnquam potuit interturbare. 2 Ex illa interna suauitate, suauis erat omnis conuersatio Virginis, suaua

Rom. 14.
Apoc. 10.
Num. 13.

verba, suaues mores, suaues gestus. Diffu-
sa erat gratia in labijs eius. Mel quoque
Psal. 44. & lac sub lingua eius, nempe quia sermo-
Cant. 4. nes eius & delectabant auditoris mentem,
& pascebant, eisque qui aliquâ affligeban-
tur amaritudine, solatium afferebant. Tu
hanc Virginis dulcedinem tibi compara-
bis studio virtutum, sinceraque charitate
diuinâ, cuius est ista conditio, vt animam
hominis dulcedine perfundat, & externâ
suauitate mores condiat, gratosque effi-
Psal. 33. ciat. Siquidem suauis est Dominus, suaue
Matt. 11. jugum eius, & suauitatem spirat spiritus
eius. Quæ mundus proponit, acerba sunt,
cruda, & immatura, vt honores, diuitiæ,
delitiæ, quia tempus fructuum necdum
aduenit. Si igitur tibi consultum velis,
differas hæc in illud tempus, quando per-
cocta maturuerint, & dulcedinem acce-
perint. In cęlis enim sunt honores dulcio-
res, diuitiæ gratiores, deliciæ suauiores.
Si autem nonnulla, quibus oblectantur
mundani homines, aliquam præ se ferant
dulcedinem, ea solùm dulcedo afficit gu-
statum oris, sed amaricari facit ventrem,
quia nulla est in mundanis voluptatibus,
quæ animum satiet, pacatumque reddat,
& quæ hausta non magis cruciet. Quæras
potiùs internam spiritus dulcedinem, quæ
condire possit amaritudines huius mundi,
& molestias, quas pateris, leuare.

Considera 2. dulcissimam Virginem,
maximâ iam in cælis dulcedine abundan-
tem, non rarò de abundantia dulcedinis
suæ

suæ rigare suos cultores; vt tu, si amaritudine aliquâ tenearis, ad eam fidenter confugias. Est enim consolatrix afflicto-rum, Mater diuinæ gratiæ, refugium miserorum, auxilium Christianorum, causa omnis nostræ lætitiæ.

Considera 3. MARIA, vltimum huius Cantici verbum, cuius exordium à salutatione fuit; vt nihil sit tibi MARIA charius, nihil MARIA coniunctius. Illa prima tibi manè salutanda occurrat, vesperi non dimittatur. Cùm porrò MARIAM audis, non cogita solam, aut Filio suo orbatam, cui dictum est, & Angelicis verbis promissum: *Dominus tecum*: sed eam intuere gestantem Filium, aut nunc in cælis vestitam Filio. In illa enim habes omne bonum, Christum, Dei Filium, bonorum fontem; & Matrem MARIAM, efficacem mediatricem. Christus bona concedit Matri, cui nihil potest recusare amantissimus Filius: Mater impetrat bona, tibique largitur. Occupet igitur MARIA cor tuum, satiet desiderium tuum, obuersetur ob oculos tuos, illam vigilans meditare, dormiens cogita, interdiu habeas præsentem, actusque tuos & sermones moderantem, noctu assistentem, nocturnasque dæmonis illusiones repellentem.

FINIS.

PRÆFATIO
IN SEQVENTES
MEDITATIONES,
DE CORONA STELLARVM
DVODECIM
Reginæ Cœlorum capiti imposita.



X sacra Scriptura manifestè iuxta Patrum expositionem constat, beatissimam Virginem Dei Matrem amictam Sole, & Lunam sub pedibus habentem, capite gestare diadema nobilissimum, seu coronam stellis duodecim exornatam, quæ Virginis admirabilem variamq́; gloriam videtur designasse ex omnibus præmijs constantem, quæ omnium Sanctorum ordinibus à Deo donantur. Nihil enim gloriæ, honoris aut præmij datum est alicui Sanctorum, quod Christus Deus non concesserit charissimæ Matri suæ.

Duo-

Duodenarius numerus vniuersos signifi- cat electos, & sanctos vtriusque Testamenti, quòd veterum capita censeantur duodecim Patriarchæ; Sanctorum verò noui Testamẽti, duodecim Apostoli, Ecclesiæ Principes & fundamenta. Sunt quoque duodecim hominum iustorum ordines, quibus constat Ecclesia, in quibus tametsi virtutes omnes viguerint, in singulis tamen statibus, & gradibus peculiares aliquæ eminuerunt. Igitur cùm singulis virtutibus sua promittantur in cælis præmia; vtique beatissima Dei genitrix, quæ excellentissimè his omnibus fuit in hac vita mortali ornata virtutibus, iam in cælis singulorum etiam coronas & glorias obtinuit. De vtrisque proinde virtutibus scilicet præmijs, in quibus singulos Sanctorum ordines gloriosissima Regina superauit sequentes instituemus meditationes. Erunt illæ nobis stimulo, vt in odorem vnguentorum & virtutum B. Mariæ alacriter currentes, eandem duodecim hisce syderibus coruscantem in cœlo contemplari aliquando mereamur.

MEDITATIO XXII.

De prima stella coronæ Virginis, ex gloria Patriarcharum.

De B. Mariæ & Patriarcharum fide.

CONSIDERA primum iustorum ordinem, qui fuit Patriarcharum, quo nomine significantur propriè quidem tres illi tribuum Israëlitarum parentes, Abraham, Isaac, & Iacob, ex quibus Christus Dominus tanquam ex patribus humanam sumpsit carnem. Deinde verò etiam alij ante Mosaicam legem, veteres horum trium tam progenitores quàm posteri, à quibus Dominus cum sãctissima Matre sua iuxta naturam humanam duxit originem. Tertiò eodem nomine apellantur duodecim filij Iacob duodecim familiarum Israëliticarum parentes. Considera 2. in Patriarchis commendari præcipuè fidem ab
Heb. 11. Apostolo Paulo; non istam quidem nouam & informem, nudamque hæreticorum credulitatem, sed efficacem, & operatricem, ad quam illi vitam suam composuerunt,
Heb. 10. iuxta illud: Iustus ex fide viuit. Considera 3. hanc fidem in Virgine sanctissima fuisse illustrissimam, vt quæ post conceptum in vtero Dei Filium, primam laudem à fide meruerit: sic enim dicebat Elizabeth: Beata quæ credidisti. Declarauit porrò

Virgo fidem suam, 1. Quando Angelo rem nouam, inauditam, & humanis Angelicisque viribus impossibilem narranti fidem præstitit. Quis enim credat Virginem non violiatâ integritate parituram, Deum humanâ carne vestiendum, conditorem orbis futurum hominis filium? 2. Insigne fidei suæ specimen dedit, quando natum iam infantulum, & flentem & esurientem, & frigentem, cæteraque illius ætatis vidit sustinentem incommoda; nihil tamen de diuinitate eius, aut maiestate dubitauit, tametsi nihil ab eo gereretur diuinâ naturâ dignum. 3. Quando passionis tempore discipulis fugâ dilapsis, scandalum patientibus, & latitantibus ipsa immobilis in viua fide, & erecta iuxta crucem stabat, quâ fide ipsa Ecclesiam sustentabat & repręsentabat. Iam enim Apostoli omnes scandalo lapsi erant; & mulieres cæteris constantiores, exiguâ fide lamentabantur Christum baiulantem crucem tanquam ad extremam redactum miseriam. Proinde quę in Canticis Salomonis de Ecclesia scribũtur, rectè attribuuntur Virgini MARIAE, non solùm vt præcipuo Ecclesię & nobilissimo membro, lectissimæque sponsæ Christi, sed etiam quia patiente & moriente Domino in ipsa consistebat viua fides Ecclesiæ Dei. Hanc ob causam in Ecclesiasticis ceremonijs, diuinisque officijs hebdomadis sanctæ vnicus cereus asseruatur accensus, extinctis cæteris. Tu Virginem ora, vt tibi fidei constantiam impetret, te in religione auita con-

conſeruet, & nunquam vel in minima mutare patiatur.

MEDITATIO XXIII.

De B. Virginis & Patriarcharum Fiducia.

CONſidera 1. fidei inniti fiduciam, cuius fundamentum quidem eſt promiſſio Dei; conditio verò, opera noſtra à cha-
Rom. 1. ritate facta, iuxta illud: Spes non confundit: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Conſidera 2. hanc virtutem in Patriarchis viguiſſe, qui ſoli diuinę promiſſioni innixi, habitarunt in tentorijs, peregrinationes prolixas ſuſceperunt; pa-
Rom. 4. triam deſeruerunt; &, ſicut de Abraham ſcripſit Apoſtolus, contra ſpem in ſpem crediderunt. Conſidera 3. in Virgine excelluiſſe fiduciam, cuius fides erat viuacior & conſtantior. Hac fiduciâ, iuſſit
Ioan. 2. miniſtris nuptiarum in Cana Galilææ obtemperare Chriſto. Per eandem adſtitit cruci intrepida, nihil dubitans de imperio Filij, quo in horrulo iuſſerat: Sinite hos abire. Eadem expectauit reſurrecturum domi præſtolans, & ad ſepulchrum cum cæteris mulieribus non profecta. Conſidera 4. vt ad fiduciam confirmandam Virgo ſanctiſſima vitam ſuam iuxta fidei normam compoſuerit, atque ex diuinæ charitatis, iuſtitiæ, maieſtatis, ſanctæque

voluntatis consideratione mores suos formauerit, vitamque egerit tantâ Dei Matre dignam. Ora hanc Dominam tuam, vt eius patrocinio, orationibusque, tu iuxta fidei præscriptum viuas, mores tuos ad Dei legem conformes; & qui tot beneficijs es auctus, qui fide illustratus nouisti quæ & quanta peccatoribus supplicia debeantur; qui expectas promissa iustis præmia, scias, perficiasque, quæcunque à te requirit Dominus.

MEDITATIO XXIV.

De præmijs Patriarcharum, B. Virgini excellentiùs communicatis.

CONsidera 1. omnibus quidem iustis idem promitti post hanc vitam æternæ salutis præmium, peculiaria tamen bona etiam nonnullis virtutibus & personis addici. Patriarchis itaque multa olim Deus promisit. Abrahæ; In te benedicentur omnes gentes: Tibi dabo terram hanc: Gen. 12. Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli. Gen. 22. Iacobo verò dixit Deus per Isaac parentem: Eris dominus fratrum tuorum. Gen 27. Euæ porrò matri omnium promissum est in maledictione serpentis: Ipsa conteret Gen. 3. caput tuum. Nunc verò in cælis Christus proauis suis peculiare aliquod gaudiũ concedit ex tanta Nepotis maiestate & gloria. Cõsidera 2. hæc lõgè præstãtiùs & promissa

Deo & perfecta dulcissimæ Matri. Nam 1. Beatam eam dicunt omnes generationes; & in ipsa benedicuntur quotquot in semine eius, qui est Christus, censentur, quibus ipsa salutem & sanctitatem procurat à Filio. 2. Eius tanquam Reginæ orbis est terra & cælum. 3. Ipsa est Domina hominum & Angelorum, vniuersæque creaturæ. 4. Christiani maximo numero ad Virginis pertinent semen, eamque inuocant Matrem. 5. Nemo veriùs post Christũ Filium calcat conteritque caput serpentis, quàm Mater MARIA. Vt enim diabolus semper aduersetur Virgini, eius insidietur calcaneo, eius nomini, honori, gloriæ, per se suosque ministros hæreticos & impios detrahat, conuitietur, blasphemet; conteritur tamen à Virgine, quæ & suos clientes à dæmonis insidijs eripit, & hæreses per vniuersum orbem interimit, & gloriam suam illustribus miraculis vindicat. 6. In æterna vita, de Filij sui gloria impensissimè gaudet Virgo Mater, quam Christus etiam veneratur, vt optimus filius dilectissimam parentem. Roga eam vt te in suo semine agnoscat, atque vt clientem ac filium protegat & conseruet.

MEDITATIO XXV.

De secunda stella, ex gloria Prophetarum.

DE B. VIRGINIS ET PROphetarum sublimi contemplatione.

COnsidera 1. Prophetas cum omnibus virtutibus conspicuos fuisse, quibus magnam sibi apud eos conciliabant authoritatem, quos verbo & exemplo ad morum emendationem admonebant, tum maximè deditos fuisse meditationi, & rerum diuinarum contemplationi, de qua Dauid: In meditatione mea exardescit ignis, in qua meditatione, incerta & occulta sapientiæ diuinæ manifestabantur ei. Huic contemplationi vt commodiùs toti vacarent, alij deserta petebant loca, vt Helias, Helizæus, filij prophetarum. Alij rerum omnium necessariarum curam deponebant. Quamobrem hoc videntur assecuti, vt non pauca mysteria vitæ, passionis, mortisque Dominicæ & agnouerint ipsi, & nobis scripto reliquerint, atque eorum quædam etiam clariùs nobis quàm ipsimet Euangelistæ tradiderint. Considera 2. quantum in hac virtute beatissima Mater valuerit, cuius vniuersa vita, tota conuersatio, omnis cogitatio, continua quædam fuit meditatio, & cælestium rerum contemplatio. Adhuc in puellaribus annis sacras literas didicit, & quæ de venturo Messia vel legerat

Psal. 38
Psal. 50

gerat vel audiuerat, sæpè secum repetijt, concepto autem iam Domino, non potuit, nisi de eo quo complenum erat & corpus, perpetuò meditari; & nato Deo continuam ex visis auditisque habuit contemplationis materiam. Nam etiam sermones omnes Virginis cum Filio; erant colloquia hominis cum Deo, qui vnus est fructus, & finis contemplationis. Itaque non temerè repetitur aliquóties à B. Euangelista,
Lucæ 2. MARIA autem cōseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Nihil enim prætermittebat dictorum vel factorum Domini totis triginta tribus annis, quod non mente retineret, & frequens animo volueret. Tu ipsam precare, vt discussis omnibus euagationibus, externisque cogitationibus, attentè, deuotè ardenterque mediteris.

MEDITATIO XXVII.

De Prophetiæ dono quo B. Maria excelluit.

CONSIDERA 1. sanctos Prophetas hoc meditationibus, vitæ sanctitate, & peculiari gratiâ diuinâ obtinuisse, vt multa tum de Christo, tum aliis de rebus vaticinarentur, verbisque & scriptis prædicerent; in quo officio, non tam locuti sunt ipsi, quàm per ipsos Spiritus sanctus, cuius se præbuerunt membra & instrumenta;
Ps. 44. Lingua mea (inquit Dauid) calamus

scribæ velociter scribentis. & Spiritu san-
cto inspirati, locuti sunt sancti Dei homi- 2. Pet. 1.
nes. Magna vtique fuit eorum cum Deo
coniunctio, quibus Deus vsus est instru-
mentis, & res procul absentes tanquam
præsentes eorum oculis obiecit, vt sicut de Ioan. 8.
Abrahamo dixit Christus; Abraham exul-
tauit vt videret diem meum, vidit & ga-
uisus est: ita illi Christi vitam, passio-
nem, & mortem, quasi coràm intuerentur,
dicereturque Isaias: Vidimus eum, & Isa. 53.
non erat aspectus. Cæterùm Ioanni Bap-
tistæ multo amplius datum fuit, qui filius
prophetæ, sed plusquam propheta, non in
spiritu, sed in seipso Christum Dominum
digito suo videndum demonstrauit. Con-
sidera 2. longè sublimiùs in sacra Virgine
prophetiæ donum, arctioremq; cum Deo
coniunctionem, quàm instrumenti cum
eo qui vtitur. Nam primò quidem tanta
fuit hæc prophetissa, vt multis retro sæcu-
lis alij prophetæ venturam prænunciaue-
rint: Accessi (inquit Isaias) ad prophetis- Isaia 8.
sam, & concepit & peperit filium. nimi-
rum prophetissa erat, quia non solùm Spi-
ritu sancto inspirata, sed verè plena Deo,
qui in ea inhabitabat corporaliter. Deinde
verò canticum illud virgineum, Magnifi-
cat, plenum est prædictionibus, quibus cer-
tò denunciat diabolum cum sectatoribus
suis de sede potestateque deturbandum,
pauperes in Ecclesia euehendos, Christum
humilitate, infirmitate, passione supera-
turum, & de diabolo triumphaturum.
Præ-

Prætereà Virgo hæc prophetissa verbis suis ignitis Elizabethæ & Ioanni infantulo necdum nato prophetiæ spiritum communicauit. Nam & infans sine voce Matri nunciauit præsentiam Dei, & mater Elizabetha Virginem inter omnes mulieres benedictam prædicauit. Denique si Ioannes fuit plusquam propheta, qui digito monstrauit Messiam; quantam fuisse tandem prophetissam putemus, quæ Messiam infantem multò antè vlnis gestauit, Simeoni seni salutandum porrexit, Magis adorandum obtulit. Roga Dominam, vt eius auxilio Spiritus sanctus cor tuum repleat, verbisque & vitâ tuâ aliorum corda ad meliorem vitæ rationem permoueat, diuinoque & te & alios amore succendat.

MEDITATIO XXVII.

De præmio Prophetarum B. Mariæ concesso.

Considera 1. quam gloriam obtineant iam Prophetæ apud Deum in cælis, ex peculiaribus eorum priuilegijs aliquo modo coniectari posse. Nam Dauid ab ouibus ad regnum assumptus, electus est in parentem Messiæ. Helias igneo curru translatus, mortem non vidit; Helizæus & viuus & mortuus, insignibus miraculis claruit, Moyses admissus est ad visionem & colloquium Dei; Hieremias etiam defunctus,

functus, tanquam mediator Iudæorum, 2.Math.15
multùm orat pro populo suo. Denique Prophetarum memoria toti orbi est venerabilis & perpetua. Considera 2. Virgini Matri eadem esse concessa, multo tamen cumulatiùs, nobiliusque: nam electa in Dei genitricem, ad summum totius orbis conscendit imperium; in cælos non igneo curru, sed innixa super dilectum suum est translata, qui loco igniti fuit vehiculi, ardentissimâ charitate succensus; miraculis innumeris per vniuersum orbem coruscat; Dei hominis vultum & prima vidit, & sæpiùs lachrymis madentem tersit, & castè suauiterque est osculata. Nunc porrò in cælis diuinam essentiam pleniùs quàm quisquam Sanctorum, perfectiusque intuetur: Mediatricem agit inter solem & lunam, Christum atque Ecclesiam, vt non solùm nos precibus iuuet, sed authoritate quoque suâ & potestate opituletur. Denique memoria eius per orbem vniuersum ita celebratur, vt nemo norit Christum, qui MARIAM ignoret; nemo colat Christum, qui non veneretur MARIAM. Tu Virginem precare, vt pro magnitudine gloriæ misericordiç suç, tibi in omnibus anxietatibus tuis & necessitatibus adesse dignetur.

ME-

MEDITATIO XXVIII.

De tertia stella & gloria Apostolorum.

DE B. VIRGINIS ET APOstolorum charitate.

CONsidera 1. Apostolos, qui tribus annis præceptori Christo operam dederant; quos Spiritus sanctus in die Pentecostes omni gratiâ repleuerat; quos Christus Dominus Principes super omnẽ terram præfecerat; & tanquam solida fundamenta Ecclesię sustinendæ fixerat; nobisque vt Patres, primosque fidei & religionis authores ad imitandum dederat, in omni quidem virtutum genere fuisse absolutos, in suprema tamen virtute, quæ est charitas, excelluisse, ad eum ferè modum quo supremus Angelorum chorus Seraphim ab hac virtute nomen accepit & ordinem. Considera 2. quantam dum in terris viuerent Apostoli, charitatis in Deum dederint significationem. Petrus se paratum affirma-

Matt. 14. bat pro Christo ire in mortem: idem secun-
Ioan. 21. dò in mare se dedit, vt Domino suo frue-
Ioan. 11. retur: Thomas verò, Eamus (inquit) & moriamur cum ipso. Post effusum Spiritum sanctum, non solùm ibant Apostoli
Act. 5. gaudentes à conspectu concilij, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, honoris loco reponentes in-

iurias

iurias pro Christo illatas, sed post multos labores, Christi susceptos nomine, sanguinem quoque suum, vitamque hilariter profuderunt. Siquidem arbitrabantur omnia tanquam stercora, vt Christum lucrifacerent, & animam suam odio habebant, præ Domini sui Saluatoris amore. Christus hanc eorum charitatem omnibus notam volens, in eos extendens manus, aiebat: Ecce mater mea, & fratres mei. Nulla est vtique dilectio maior, quàm matris in filium. Considera 3. ardentissimam in Virgine Matre dilectionem, quæ sicut nunc in gloria præcedit Seraphinos, vehementissime à charitate flagrantes, sic in mortali hac vita nulli fuit secũda in amore diuino: quam quidem magnitudinem amoris ex hisce perspicies: 1. Quia plus habuit diuinæ gratiæ, cuius indiuiduus comes, adeoque primarius effectus est charitas, vt tanto amet impensiùs, cui plus gratiæ est donatum. 2. Quia maiorem habuit notitiam Dei, qui tanto ampliùs diligitur, quãto ampliùs cognoscitur. 3. Quia matri naturalis affectus imperat amorem filij non vulgarem, sed summum. Tametsi enim filijs sit peculiari lege mandatus amor parentum; parentibus tamen aliud nullum est præceptum de amore filiorum impositum à Deo, quàm legis naturæ. Gratia autem quâ Mater Christi abundabat, non destruxit hunc naturalem amorem, sed auxit atque perfecit. 4. Quia Virgo affectum hunc in Filium sola habuit, non

Philip. 3.

Matt. 12.

non diuisum, aut communem cum patre, quòd sola esset eius sine patre genitrix. In alijs namque parentibus sicut cura filiorum, ita & amor in duos parentes diuidi videtur. vnde Poëta: Serua nati communis amorem. Hæc igitur sola dilexit quantum simul duo aliorum parentes, eoque impensiùs & castiùs, quò admirabiliùs & Matrem simul & Virginem se esse cognouit. 5. Quia ex se genuit Dei Filium, qui sicut à Matre corporis qualitates accepit, ita ei vicissim animæ suæ proprietates communicauit, inter quas præcipuum locum tenet charitas, quam ei largitus est flagrantissimam. 6. Ex diuinæ charitatis conditione, quæ laboribus atque officijs pro amato susceptis, non intepescit, ad-instar amoris humani atque mundani, sed contrà inardescit, sicut lapides confricati incalescunt. Labores porrò, molestias, anxietates, & dolores nullus graviores pro Christo, quàm dilectissima hæc Mater pro Filio sustinuit, cuius omnes dolores crucis, & passionis per Filij corpus in ipsam Matris animam penetrarunt. Alij sancti in proprijs doloribus, Christi sensere dolores. Mater autem Domini ipsissimos dolores Filij, sine proprijs doloribus purissimè excepit. Considera 4. quibus rebus testata sit Virgo charitatem: Quòd prima mortalium vouerit Deo virgineam castitatem; quòd in voluntatem Dei perfectè se totam resignauerit: quòd multis laboribus, exilijs, molestijs, incommodis Filium educauerit

cauerit, fouerit, ministrauerit; quòd à Filio nunquam auelli potuerit; quòd in acerbissimis crucis doloribus Filio ad mortem vsque astiterit; quòd alios nullos, quàm Filij senserit dolores; nullum aliud gaudium, quàm de Filij honore, commodis & gloria admiserit. Tu Virginem roga, vt scintillam diuini huius amoris tibi impetrare dignetur.

MEDITATIO XXIX.

De B. Maria Virginis & Apostolorum dilectione erga proximos.

CONsidera 1. Charitatem quâ sancti Apostoli salutem ardebant proximorum. B Paulus optat esse anathema pro fratribus suis. B. Ioannes nihil præter charitatem in scriptis spirat, cuius perpetua vox erat & velut symbolum; Filioli diligite alterutrum, de cuius sententiæ causa interrogatus, respondit: Præceptum Domini est, & si solum fiat sufficit. Iacobus de templo præcipitatus, ad Domini sui exemplum pro interfectoribus suis orauit. Denique Apostoli omnes magnis laboribus, pœnis, tormentis, sanguine, vitaque Ecclesiam plantauerunt, hominum animos fide imbuerunt, & salutem procurauerunt. Considera 2. Virginis Matris in genus humanum

Rom. 9.

B Hier lib. 3. in Epistol. ad Galatas.

Isidor. de sanctis n. Testam.

num

num ardentissimam charitatem, quæ amicta sole, hoc est, diuinâ charitate succensa nihil aliud quàm hominum calorem salutemque desiderauit, & curauit. Neque id mirum, 1. Quia diuinum amorem nouem mensibus vtero gestauerat. 2. Quia totis triginta annis à charitate ipsa de charitate, in schola charitatis edocta fuerat. 3. Quia studium Filij sui in proximos continuum semper viderat. 4 Quia mandatum de diligendis hominibus à Filio sibi vnicè commendatum, sæpiusque inculcatum acceperat. Considera 3 huius charitatis à Virgine datam esse significationem, quando festina abijt in montana, ministratura Elizabethæ iam grandæuæ vterum gestanti, quando in nuptijs pro sponsi honore sollicita, impetrauit ante præstitutum tempus miraculum; quando fratres Domini, cognatos suos incredulos ad Christi concionem adduxit; quando omnibus vitæ sanctimoniâ exemploque præluxit. Quæ enim charitas in Matre charitatis desiderari possit? Tu eius amorem si qua conuenit diligentia implores, charitatemque tibi proximorum impetraueris.

Ioan. 2.

Matt. 12.

MEDITATIO XXXI.

De præmio Apostolorum B. Virgini concesso.

CONsidera 1. quanta promissa sint Apostolis in Scriptura vtriusque Testamenti. Dauid de illis sic vaticinatus est: Constitues eos Principes super omnem terram. In Apocalypsi vocantur Ecclesiæ fundamenta, & portæ cælestis Hierusalem. Christus porrò sic illis dixit: Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Ad Apostolorum igitur gloriam pertinet moderari orbem, Ecclesiam sustentare, pijs regni cælestis aditum aperire, de præmijs iustorum & impiorum iudicium cum Christo iudice decernere. *Psal. 4* *Apoc. 21* *Matt. 19*

Considera 2. eadem hæc beatissimæ Matri Christi à Filio non immeritò concedi, quam constituit mundi Dominam, præfecit Reginam Angelis, vniuersęq; creaturę dedit moderatricem; cuius precibus, meritis, & beneficentiâ veniunt nobis de cęlis dona omnia, quę sub Filio suo Ecclesiam sustinet, curat, gubernat, quę bonos conseruat, punit impios; per quam ceu per felicem portam paradisi in cęlos admittamur. Hoc enim titulo in Ecclesiasticis canticis & orationibus honora-

tur,

tur; Felix cæli porta, Regina cæli, Porta paradisi, Domina mundi. Denique si iudicium mundi credit Christus discipulis, illud ipsum haud dubiè credet & Matri, quæ non minùs quàm Apostoli relictis omnibus fideliter secuta est Dominum. Iudicabit igitur orbem in æquitate, assidens Filio, vt summi Regis Mater. Roga eam, vt te fulciat, moderetur, & æternæ gloriæ adiudicet.

MEDITATIO XXXI.

De quarta stella, ex gloria Martyrum.

DE B. VIRGINIS ET MARtyrum fortitudine.

Considera 1. in Martyribus commendari virtutem fortitudinis, cuius primarius actus est martyrium: Martyres vtique fortissimo & inuicto animo aggressi sunt magna, pœnas sustinuerunt, & magnanimiter mala superarunt. Considera 2. hanc esse Martyrum multorum laudem, quòd non solùm mortem, sed grauissimos etiam cruciatus alacriter pertulerint. B. Laurentius de craticula irrisit tyrannum; Assatum est (inquit) iam, versa, & manduca: alios etiam ex eo commendari, quòd in tenella ætate subierint martyrium. B. Agnes & S. Prisca non multo duodecimum ætatis annum excesserant.

Magna

Magna est vis diuinæ gratiæ, quæ tum in sexu fragili, tum in ętate puerili tam fortiter operatur. Considera 3. insignem in Virginis MARIAE animo fortitudinem inuictamque constantiam. 1. Rem arduam est aggressa, vt nihil verita odium Iudæorum, cruci assisteret intrepida. Non ignorabat Apostolorum metum; sciebatque adolescentem, qui excitatus strepitu, de strato surrexerat, relictâ sindone effugisse. 2. Grauissimas sustinuit non sui, sed Filij corporis in animo suo pœnas, quæ tanto sunt grauiores in animo, quantum animus corpore præstat. 3. Sexus femineus, status virgineus, conditio matris, animus tenerrimus, & augebant dolores, & fortitudinem Virginis admirabiliorem reddebant. 4. Stabat iuxta crucem erecta, nihil muliebre, nihil insolens, nihil pusillanimiter vel dixit, vel fecit; non est questa, nec euulsit capillos, non iacuit exanimis, sed constanter pertulit omnia. Considera 4. vniuersam ferè vitam Virginis Matris speciem quandam habuisse martyrij ex tot Filij sui persecutionibus, minis, irrisionibus, in quibus ipsa semper æquabilis, sui similis, amabilis, nunquam ab animi æquitate discessit, semper Deum ob oculos habuit. Apocalypticus ille draco persequens mulierem, atque ad eam absorbendam fluuium persecutionum & malorum ex ore eijciens, argumento esse poterit multarum afflictionum eius. Tu obnixè precare, vt fortiter ea quæ Dei pro- *Apoc. 12.*

mouent gloriam, aggrediaris, magnoque animo perrumpas difficultates, & in malis perferendis sis inuictus.

MEDITATIO XXXII.

De B. Virginis & Martyrum patiendi desiderio.

CONsidera 1. in nonnullis Sanctis ardens patiendi desiderium, in illis etiam quos Deus violentâ morte vitam finire noluit. B. Ignatius multis egit, vt sibi bestiæ ad deuorandum seruarentur. Quas (inquit) vrgebo, & vim faciam, si ego venire noluerint. B. Apollonia in ignem spontè insilijt. Ianitor detractis sibi vestibus in locum quadragesimi militis, qui in gelida palude defecerat, ad reliquos triginta nouem alacer accessit. B. Dominicus optauit sibi pro Christi amore singula membra in partes minutissimas dissecari. S. Franciscus ardenti patiendi desiderio, ad Solymannum Turcarum tyrannum est profectus. B. Bonauentura noluit sine vulnere viuere, quia videbat Dominum vulneratum. Quàm hæc procul absunt à te, qui cùm pro mundi amore multa subinde sustines, omnem tamen pro Christo dolorem atque molestiam recusas & refugis? Considera 2. sanctissimam Matrem, cùm cruci adstaret Filij sui, nihil desiderasse ardentiùs, quàm simul configi corporisque dolores sustinere Filij & Domini sui. Nihil

Epist. ad Roman.

enim

enim illi graue accidere potuit quolibet tormento. Tu Virginem roga, vt diuinâ gratiâ adiutus, & ad peccatorum tuorum satisfactionem lubens aliquid sustineas, & pro Dei gloria pati nunquam recuses.

MEDITATIO XXXIII.

De præmio Martyrum B. Virgini specialius tributo.

CONsidera 1. varia in Scripturis præmia Martyribus esse promissa. Nam 1. inter beatitudines sic dicitur: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. 2. In Apocalypsi leguntur Martyres amicti stolis albis, cum palmis in manibus suis, stare ante thronum Dei, eique die & nocte in templo deseruire. 3. Affirmat eodem loco B. Ioannes, Martyres esse sub altari Dei, nimirum in peculiari protectione Christi. 4. Ait Christus: Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo. Quibus omnibus alijsque permultis, quæ de Martyrum gloria passim in Scripturis sparsa sunt, significatur insigne præmium, quod præter sanctos omnes, Martyribus repromittitur. Docent enim Theologi aureolam quandam Martyribus

Matt. 5.
Apoc. 7.
Apoc. 6.
Apoc. 3.

deberi, propter illustrem aduersus mundum victoriam. Habebunt vtique corpora omni sole splendidiora, in quibus ea membra summo decore fulgebunt prę cęteris, quæ plus incommodi susceperunt. Illis Christus singularem exhibebit fauorem, propter vehementiorem charitatem tot pœnis declaratam; ipsi dominabuntur terræ atque tyrannis à quibus fuerunt inflicta tormenta. Considera 2. has coronas Martyrum, Reginę Martyrum non negatas, cuius sacrum corpus & ante alios & supra alios nunc fulget in gloria; sacerque vterus qui Deum gestauit, vbera quę lactauerunt, manus quæ tractauerunt, sinus in quo Christus quieuit, collum à quo pependit, brachia & vlnæ quę sustinuerunt, os quod suaue osculum præbuit; oculi denique, aures, vultus, cęteraque membra quæ ministrauerunt Deo, omnem excedunt claritatem. Residet porrò Regina in sublimi solio proxima Christo, solaque suum ipsa chorum constituit, & illustrat. Denique ipsa, cuius est conterere caput serpentis, alligat impios Reges in compedibus, sumitque vindictam de hostibus Ecclesiæ. Tu eam precare, vt auxilio Filij ab hostibus omnibus eripiaris.

MEDITATIO XXXIV.

De quinta stella, ex gloria Doctorum.

DE B. VIRGINIS ET DOctorum Sapientia.

COnsidera 1. Doctorum Ecclesiæ insignem diuinarum rerum notitiam, veramque sapientiam, qui & sacræ Scripturæ reconditos sensus penetrauerunt, & fidei nostræ mysteria intellexerunt. Considera 2. quibus modis & rationibus tantam sibi parauerint scientiam; nimirum non solùm indefesso studio & labore, sed potissimùm oratione continuâ, quâ sibi mentem diuinitus illustrari continuò precabantur. Ita B. Hieronymus, Bernardus, Thomas Aquinas, ad tantam tamque eximiam, & diuinam sapientiam peruenerunt. Et B. Basilius cum D. Gregorio Nazianzeno post tredecim in solitudine exactos magnâ sanctitate, ieiunijs, orationibus, annos, omni sapientiâ clari prodierunt. Considera 3. quantâ humilitate illustria illa omnium Doctorum ingenia, Ecclesiæ Catholicę sese submiserint iudicio. Omnia namque dicta scriptaque sua summâ demissione Ecclesię iudicio tradiderũt. Certabat sanè in sanctis illis cum summa eruditione, summa humilitas atque modestia. Considera 4. in singulis ferè Eccle-

siæ Doctoribus peculiarem emicuisse virtutem. Nam B. Ambrosius iustitiæ laude emicuit: Hieronymus austeritate vitæ excelluit: Augustinus humilitate conspicuum sese præbuit: Gregorius deuotione, Bernardus contemplatione, Thomas Aquinas Angelicâ virginitate, alijque alijs virtutibus claruerunt. Considera 5. Virginis Matris diuinam sapientiam, & sanctas cum illa coniunctas virtutes. Hæc enim, cùm insigni polleret ingenio, tenacique memoriâ, totis illis triginta annis, quibus sola Filium suum docentem audiuit, multo amplius profecit quàm quisquam Apostolorum vel Doctorum. Cùm porrò descenderet Spiritus sanctus in Apostolos, vt eos omnem doceret veritatem, hanc vtique Dei Matrem priùs eruditam, etiam multo amplius sapientia repleuit. B. Catharina martyr quinquaginta Philosophos suâ sapientiâ vicit. Paula vidua, Eustochij mater, B. Hieronymum auidissimè audiuit. Catharina Senensis multæque aliæ tum virgines, tum sanctæ matronæ à Deo doctæ multa de cælestibus rebus agnouerunt. Sed Virgo Christi mater & viros omnes & feminas sapientiâ diuinâ superauit, ad quam eius sapientiam cùm cæteræ virtutes, maximeque humilitas, quâ se omnium ministram & postremam exhibebat, accederet, valde admirabilis fuit, omnibusque veneranda. Tu illam precare, vt veram tibi sapientiam, quâ Deum agnoscas & diligas, impetrare dignetur.

ME-

MEDITATIO XXXV.

De B. Virginis & Doctorum doctrina.

Considera 1. quomodo sancti isti Ecclesię Doctores sapientiâ sibi communicatâ sint vsi. Non enim sciuerunt tantùm vt scirent, quod curiosum est, teste B. Bernardo; neque vt scirentur, quod est vanum; neque vt aliquid commodi ad se referrent; sed primò quidem, vt Dei gloriam propagarent; deinde verò, vt proximis auxilium adferrent. Igitur multos ad Christi fidem & religionem perduxerunt; Ecclesiam Dei illustrauerunt; scripturæ arcanos sensus aperuerunt; mysteria fidei Christianæ declarauerunt; peccatores multos ad saniorem vitam conuerterunt; hæreticos expugnarunt; idque vnum sacri Doctores semper studuerunt, vt Ecclesiam ædificarent, erroresque conuellerent. Tu expende, quonam studia tua referas. Considera 2. Beatissimam Christi Matrem nullo quidem modo officium sibi, munusque palàm docendi arrogasse, quod sciebat creditum Apostolis & eorum successoribus; multa tamen docuisse Apostolos ipsos & Euangelistas, tum illa quorum ipsa sola de infantia, vita & moribus Christi conscia erat, tum alia de quibus ab Apostolis alijsque sanctis consulebatur. Non enim existimandum est, Matthæum & Lucam, quæcunque de Christi natiui-

tate & pueritia literis mandarunt, ab alio quàm à Christi Matre didicisse. Ioannes quoque qui diuinam sapientiam, ex pectore Christi suxerat, ab hac Virgine sibi à Domino commendata non pauca accepit. Denique Apostoli & Apostolici viri in dubijs & quæstionibus religionis Christianæ ad hanc Dei Matrem, à qua omnium dissolutionem intelligerent, confugiebant. Erat enim omnibus venerationi & admirationi, tanquam diuinorum conscia secretorum. Hæreses porrò, quas non ignorabat Christiani populi esse pestem, multorumque malorum seminarium, vsqueadeò est detestata, vt de ipsa iure canat Ecclesia: Gaude MERIA Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo. Precare eam, vt te veritate imbuat, & ab hæresibus, erroribusque conseruet.

MEDITATIO XXXVI.

De præmio Doctorum. B. Virgini dato.

Dan. 12. CONsidera 1. quæ & quanta Doctoribus sacræ literę pręmia laborum promiserunt. Daniel inquit: Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Et B. Iacobus Apostolus: Qui
Iacob. 5. conuerti fecerit impium ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Itaque Doctores sancti, qui ad aliorum salutem

tem vsi sunt suâ eruditione, dæmonemque, Christiani nominis hostem, ex hominum mentibus eiecerunt; primò quidem ipsi clariùs fulgebunt, Deumque ac diuina pluribus rationibus cognoscent, non solùm intuitu, sed eadem ipsa quoque sapientia quam sibi in hoc mundo pepererunt, mercedemque accipient, quæ omnem creaturarum superet æstimationem. Siquidem anima hominis, cùm sit nobilissima, suoque precio vincat creaturas omnes ac dignitate, qui animam Christo lucratus fuerit, dæmonique eripuerit, ille precium obtinebit à Domino, maius cælo ipso & corporali creatura. Vnde docent Theologi, Aureolam Doctoribus in cælis seruari, & de hoste diabolo insignẽ triumphum. Tu diligenter in salutem & perfectionem proximorum tuorum incumbes, vt tantam coronam gloriæ assequaris. Considera 2. Virginem Matrem, Apostolorum Magistram, hoc etiam à Domino ad omnem suam gloriam obtinuisse, vt patrona esset, doctrixque Doctorum, & directrix studiosorum. B. Hieronymus ad Christi præsepe hac magistra sacras literas exposuit: Bernardus ex Virginis lacte summam sapientiam hausit: Gregorius Magnus de cælis Virginis laudes angelicis vocibus didicit, quando iuxta Adriani molem audiuit in aëre Paschalem hanc Antiphonam; Regina cæli lætare, Alleluia; quia quem meruisti portare, Alleluia, resurrexit sicut dixit, Alleluia, quam de-

inde ipse hac precatione conclusit: Ora pro nobis Deum, Alleluia. Ambrosius, laudum huius Virginis præco singularis, eius auxilio laudes eius conscripsit: Augustinus non sine eiusdem Virginis ope, ab omni suspicione peccati eam liberauit dum scriberet; quando de peccatis agitur, semper excludendam esse Virginem Matrem. Magnus Athanasius, Epiphanius, & alij, qui in laudibus B. MARIAE Virginis versati fuerunt, ab ea laudem & copiam, & modum didicerunt. Damascenus, Hildephonsus, Anselmus, Bonauentura, singulares Virginis clientes & discipuli, eius hortatu, instinctu, & doctrinâ multa eiusdem encomia docuerunt, & conscripserunt. Denique quisquis peculiari affectu Dei Matrem coluit, eius expertus est in studijs humanis atque diuinis singularem fauorem. Tu eam precaberis, vt studijs tuis faueat, affectumque succendat zelo animarum.

MEDITATIO XXXVII.

De sexta stella, ex gloria Confessorum:

DE B. VIRGINIS ET CONfessorum patientia.

CONsidera 1. nomen Confessoris duobus modis vsurpari. Propriè, quando illi intelliguntur qui in persecutionibus Chisti fidem palàm quidem in iudicio confessi sunt, morte verò violenta non finierunt hanc vitam: generaliùs significat idem nomen illos omnes, qui vitæ sancti-

tate Christum confitentur coram hominibus, & strenuè cum tribus hostibus decertant, mundo, carne, & diabolo. Considera 2. in his omnibus maximè commẽdari patientiã, quę virtus moderatur tristitiã, quę ex doloribus atq; molestijs hominis animũ contendit obruere. Ita B. Apostolus his Cõfessoribus scribens: Nam & vinctis (ait) *Heb. 10.* compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est. Sancti igitur proprij nominis Confessores multa patientissimè pro Christo tolerauêre; alij carceres & vincula, alij exilia, alij verbera, alij direptionem bonorum, alij infamiam, alij alia mala atque incommoda, non à gentilibus modò, propter fidem Christi; sed ab hæreticis quoque propter Catholicam Religionem, & ab improbis Christianis propter vitæ integritatem, aut increpationes peccatorum, vel exhortationes ad virtutes. sicut enim non illi solùm sunt Martyres, qui propter fidem moriuntur, sed illi quoque qui propter veritatem, aut quamlibet virtutis actionem; ita quoque Confessores sunt qui pro Christi nomine, fide, veritate, aut virtute patiuntur. Alij autem qui generaliori nomine Confessores appellantur, non sine molestijs, irrisionibus, multisque incommodis virtutes coluerunt. Tu expende an Christum aliquando palàm Christianis moribus sis confessus, ánne potiùs inter

malos erubeſcens, eorum te moribus accommodaueris. Conſidera 5. quibus medijs inſignem hanc patientiæ virtutem ſibi comparatint: nempe 1. Seriâ meditatione vitæ paſſioniſque Chriſti, qui fuit illuſtre ſpeculum patientiæ. Eâ enim inardeſcebant in Domini ſui amorem, vt nulla incommoda moleſtè ferrent. 2. Quia nihil lucri per impatientiam aduenit homini, ſed detrimentum potiùs, graueque incommodum. Neque enim per impatientiam vel tolluntur, vel mitigantur, ſed augentur mala, dum ad ea quæ ab alijs inferuntur foris, noſipſi interna mala accerſimus, animæ inquietudinem, perturbationem, indignationem. 3. Quia multa ſecum bona adferre ſolet patientia; conſcientiæ pacem, amicitiam Dei, illuſtre præmium vitæ æternæ. Conſidera 4. in hac virtute excelluiſſe Dominam tuam, Virginem beatam, cuius iniuria fuit indignior & pœna grauior, quo nobilior erat perſona quæ ſuſtinebat; & viliores illi qui inferebant, & grauiora mala quæ irrogabantur. Patiebatur Regina cælorum, & Domina mundi, Dei creatoris Mater; & quidem à viliſſimis Iudæis & improbiſſimis hominibus. Pertulit porrò exilium, paupertatem, contemptum, irriſionem, & hæc omnia patienti animo, qui ſui ſemper ſimilis, nec malis deijciebatur, nec proſperis efferebatur. Tu à Virgine ſimilem animum impetrabis, & patientiæ virtutem tibi orationibus malorumque frequenti tolerantiâ comparabis.

MEDITATIO XXXVIII.

De B. Virginis & Confessorum mansuetudine.

Considera 1. mansuetudinem patientiæ comitem, irę impetus moderari, ne quid immoderatius gestu fiat, vel voce erumpat. Huic virtuti dederunt operam sancti Confessores omnes, qui à magistro suo audiuerant: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. *Matt. 11.* Omne enim studium Sanctorum in eo quidem fuit, vt inordinatos animi motus sub rationis dictamine cohiberent, sed maximè vt ne quid lingua intemperantius effunderet. Tu porrò quàm facilè ad iracundiam commoueris? quàm citò erumpis in conuitia, perturbatique animi præbes significationem? quasi inglorium sit ad iniurias tacere, & non potiùs turpe sit & fœdum, intus latens vitium exterius indecenter prodere. Considera 2. Virginem Christi Matrem hanc mansuetudinis virtutem in Filij sui schola tot annis perfectissimè didicisse. Nunquam igitur iram ostendit; nunquam asperiùs locuta est; nunquam animo commota fuit; semper placida, amabilis, suauis. Patiebatur illa quod alij, imò plusquam alij Christiani (si enim alij pro Christo af-

fligebantur, quomodo non magis Christi Mater?) sed orabat pro persequentibus & calumniantibus. Quia enim sine originali peccato cōcepta erat, caruit etiā vitijs originis, membraque omnia prorsus rationi obtemperarunt. Quam eius animi ἀπαθείαν alij Christiani imitari studuerunt, vitiaque sua & concupiscentias mortificare & crucifigere, sibique ipsis vim inferre, talique luctâ, continuum quasi totius vitæ martyrium sustinere, à quo veri essent Christi testes & confessores sub magistra Confessorum Virgine MARIA, quæ omnibus in virtutum studio præiuxit. Tu ipsam precaberis, virtutibus vt omnibus ornet animam tuam, verumque efficiat Confessorem Christi.

MEDITATIO XXXIX

De præmio Confessorum dato B. Virgini.

CONsidera 1. quænam sint Christi Confessoribus in cælo reposita præmia: Qui (inquit) confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, & coram Angelis Dei. hoc est, agnoscam eum, & honorificis titulis æterno Patri commendabo, Angelisque honorandum exhibebo: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælo-

Matt. 10, Lucæ 12.

cęlorum: In patientia vestra possidebitis animas vestras: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Hi igitur sunt Reges cælorum, sui ipsorum magnâ libertate Domini, apud Deum magno loco, tanquam à Christo singulariter commendati. Tu his pręmijs ad studium virtutum exciteris. Sicut enim nullum est peccatum, quod non in hac vita suum habet malum, suosque post hanc vitam cruciatus; ita nulla est virtus, quę pręter communia omnium virtutum bona, non etiam habeat in hac vita commoda sua, & post hanc vitam peculiarem gloriam. Hoc enim te docet Christus, qui in octo beatitudinibus sua virtutibus pręmia coniungit. Considera 2. Reginam Confessorum, quę omnibus virtutibus fuit adornata, nunc omnium gloriâ insigniter coronari. Illam Christus Filius confitetur coram Deo Patre, Matrem sibi esse purissimam, fidelissimam, charissimam, talemque eam exhibet vniuerso orbi non verbis modò, sed singulari honore, & gloriâ. Illa iam non suam tantùm animam possidet, sed Christianorum omnium, & illorum maximè, qui se ei commiserunt gubernandos. Rectè etenim etiam ipsa dicere potest; Quod dedit mihi Filius, maius omnibus est, & nemo potest rapere de manu mea. Denique Regina cæli, & Domina mundi vniuersam possidet terram, in qua fidelibus omnibus est venerabile nomen Mariae, quam omnes colunt vt Dominam, amant vt Matrem,

Matt.

Ioan. 1(

Matrem, venerantur vt Reginam; cui statuas erigunt, peregrinationes decernunt, supplicationes instituunt, preces fundunt, lumina accendunt. Denique vt Dei Matri, Patronæque & Aduocatæ nostrę se suaque omnia committunt. Tu rogabis eam, vt te possidere dignetur, de tuis rebus omnibus pro suo arbitratu statuere, te tanquam rem suam ornare, polire, dignumque tantâ Dominâ efficere.

MEDITATIO XL.

De septima stella, ex gloria Sacerdotum: Qua in re officio Sacerdotum similem se exhibuerit Virgo Maria.

Considera I. quale sit munus Sacerdotum totiusque cleri; nempe vt in hoc mundo & Angelicum, & plusquam Angelicum officium colant. Angelicum quidem, dum in continua Dei laude occupantur; plusquam Angelicum verò, dum Christi corpus ore conficiunt, sacrificium Deo offerunt, sacramenta ministrant. Est igitur Sacerdotum, ea apud
Hebr. 5. populum curare quæ Dei sunt; mediatores esse inter Deum atque homines; horum preces, supplicationesque Deo offerre; Dei gratiam, iustificationem, cælestiaque dona per sacramenta hominibus referre; Christi corpus diuinis verbis consecrare, ma-

nibus

nibus contrectare, populo distribuere, denique animas regere, atque ad æternam salutem sanctis legibus, monitis, præceptis dirigere. Verè excellens dignitas sacerdotis! tum propter Dei infinitam Maiestatem, cum quo eis est continenter agendum, quam Maiestatem ipsi etiam supremi Angelorum Seraphim velantes faciem, & pedes, reuerentur; tum propter animarum nobilitatem, quas ex officio attrectant, & regunt. Tu qui in clero es ascriptus, expende quàm exiguâ sollicitudine in his munijs verseris, anne maiore curâ pecunias, honores, delicias, voluptates, vanitates & nugas cogites, desideres, loquaris, consecteris. Attende tuę magnitudinem dignitatis. Non enim in mortis hora à te pecuniæ repetentur, sed animæ & diuini honoris, sacramentorumque ritè per te administratorum ratio. Considera 2. beatissimam Dei Matrem nullum quidem sacerdotij munus obiuisse; quia non in Dei Sacerdotem, sed in Dei Matrem electa fuerat: multa tamen Sacerdotibus similia ex officio Matris fecisse. Non consecrauit illa Christi corpus, sed beatis illis verbis, Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum; Dei Filium humanâ carne in vtero vestiuit. Hoc sacrum corpus, suo sancto copore nouem mensibus, velut in nobilissima theca aut ciborio circumgestauit; natum posteà manibus tractauit, omnibus videndum, tenendum, osculandum, venerandum exhibuit.

Isaiæ 6.

Lucæ 1.

Tu-

Tu contemplare, quâ reuerentiâ, grauitate, & deuotione cum hoc Filio suo semper egerit: & quia Mater erat Dei, agnoscebat se mediatricem inter Deum Filium & homines. Nemo enim commodior mediator, quàm Mater: Igitur sæpè pro hominibus Filium in hac vita rogauit, multos ad Filium curandos, adiuuandosque adduxit. Si enim alij hoc præstiterunt infirmis, quos ad Christum attulerunt; si
Mat. 15. Apostoli pro muliere Chananæa intercessere-
Luca 7. runt; si primores Iudæorum pro Centurionis famulo rogarunt; si ipsa Virgo Mater temporale beneficium vini impetrauit sponsis in cana Galilææ: quidni etiam pu-
Ioan. 2. tauerit sui esse officij, pro peccatorum conuersione, & omnium spirituali auxilio apud Deum intercedere? Non dubium, quin totis illis triginta annis, quibus familiariter Filio quasi sola vtebatur, sæpius illi humani generis necessitates proposuerit, pro nobis rogauerit, & Deo Patri præsentem communem Filium religiosè obtulerit: quæ oblatio tanto erat cælesti Patri gratior, quò dignior erat & purior Mater, quæ offerebat. Rogabis itaque Dominam tuam, vt pro mediatricis officio te reconciliet Filio, pro te Filium offerat Patri, te ad Filium adducat.

ME-

MEDITATIO XLI.

De B. Mariæ & Sacerdotum sanctitate.

CONsidera 1. Sacerdotum ordini, qui à sacris nomen inuenerunt, potissimùm conuenire sanctitatem, sicut de illis dixit Dominus: Eritis mihi sancti, quoniam sanctus sum, ego Dominus, & separaui vos à cæteris populis, vt essetis mei. *Leuit. 26.* Sanctum porrò significat separatum, Deoque consecratum, vt sicut functione distinguitur sacerdos à populo, ita differat præstantiâ vitæ. Vniuersus quidem Christianus populus, baptismate, alijsque Sacramentis sanctificatus, ab infidelibus religione, diuinisque præceptis segregatur, puriorem que vitam degere præcipitur, vt fornicatio & omnis immunditia aut auaritia, nec nominetur in eis, sicut decet sanctos. *Ephes. 4.* Sacerdotes verò ex hoc etiã à populo separati maiori sanctitate præditi esse debent, vtsicut in veteri lege sacerdotes primò quidem possessionem cum cæteris tribubus non partiebantur, sed de oblationibus & sorte Domini viuebant, ne externis occupationibus distraherentur & curis. Deinde verò ab omni potu qui inebriare potest, & à congressu vxoris prohibebantur tẽpore ministerij sui; & denique tanta ab eis vitæ integritas exigebatur, vt ex eorum sanctitate Dei ipsius sanctitas atque ma-

iestas agnosceretur: ita Sacerdotes Euangelicę legis maiori etiam sanctimoniâ alijs prælucere debent, & sublimiori conuersatione alios pręire. vnde à Sacerdotibus exigit Apostolus Paulus, vt sint irreprehensibiles, sobrij, prudentes, benigni, iusti, sancti, continentes, omnibus virtutibus ornati, hospitales, doctores, amplectentes eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, vt potentes sint exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere. Considera 2. multorum Sacerdotum, & sanctorum Episcoporum vitam inculpatam: Ambrosij grauitatem, Hieronymi austeritatem, Gregorij abstinentiam, Augustini labores indefessos: tuosque mores confer cum illis, & tantæ tuæ socordiæ non parum metue. Si enim sancti esse iubentur, qui ferunt vasa Domini: si sacrificiorum calices, vestes, lintea, aliaque sacra instrumenta, consecratione opus habent; quantam puritatem & sanctitatem requiret Deus à lingua, & ab ore tuo, quod Christi corpus consecrat & sumit; à manibus tuis, quæ tangunt & offerunt; à corde, quod sumit & retinet? Curabis igitur totus sanctitatem induere, & episcopalem consecrationem vitâ exprimere. Considera 3. sanctitatem Dominæ tuæ Matris Dei nostri, quæ vt tanto Filio digna haberetur, ab omni etiam originali peccato est præseruata. Contemplare igitur puritatem cordis, munditiem oris, grauitatē morum, humilitatem, modestiam, prudentiam, cę-

1. Tim. 3.
Tit. 1.

teras-

terasque virtutes, eamque roga vt dignè imposterum ambules vocatione tuâ.

MEDITATIO XLII.

De præmio Sacerdotum in B. Virgine considerando.

CONsidera 1. bonis Sacerdotibus in cælis præmia esse promissa: Intra in gaudium Domini tui. &, Super omnia bona sua constituet eum. Qui enim fideliter Christi Domini corpus in hac vita tractarunt, arctiùs etiam cum eo post hanc vitam coniungentur. Qui bene ministrauerint (inquit) gradum bonum acquirent: altiusque euehentur in cælis, sicut sublimiori sunt loco in terris. Et qui populi animas pro data sibi potestate diligentiùs curauerint, maioribus diuitijs præponentur, eruntque potestatem habentes super multas ciuitates. Considera 2. gloriam Virginis Matris, quam constituit Dominus super familiam suam, vniuersam (inquam) Ecclesiam, adeoque mundum vniuersum. Quæ namque in hac vita ad tantam euecta fuit dignitatem, vt Mater esset Dei Deumq; ipsum foueret infantem, regeret puerum, moneret adultum; multo vtique magis nunc Regina cælorum imperat vniuersæ creaturæ, amicta sole, repleta Deo. Tu huic te Matri ex animo submitte, eamque precare, vt te tueri & regere dignetur.

Mat. 25.
Mat. 24.
1. Tim. 3
Luca 19

ME-

MEDITATIO XLIII.

Le octaua stella, ex gloria Anachoretarum.

DE B. MARIÆ ET ANACHOretarum solitudine.

COnsidera 1. eorum vitam qui solitudinem amplexati sunt. Sancti Heremitæ & Anachoretæ ab omni humana conuersatione alieni fuerunt. S. Paulus ex Thebaide ab anno ætatis decimo quinto, vsque ad centesimum decimum tertium hominibus incognitus vixit. Simeon Stilites in altissima quadraginta cubitorum columna solus sub dio multis annis perseuerauit; & infiniti alij in solitudine Angelicam duxerunt vitam. Considera 2. causas, quibus ad eiusmodi vitæ rationem adducti fuerint: nempe 1. vt peccata deuitarent, sine quibus inter homines vix viuitur: vel enim sermone offendimus, vel leui iudicio, vel inani gloriâ, &c. 2. Vt mens liberiùs cum solo Deo versaretur, aliena ab omni externa distractione. 3. Vt Christi exempla imitarentur, veterumque sanctorum, Ioannis Baptistæ, Magdalenę, Heliæ, qui in hoc viuendi genere Deo placuerũt. 4. Vt sibi studerẽt, perfectioniq; suæ. Nam qui cum hominibus agit, minùs ad seipsum conuertitur. 5. Vt varias sibi virtutes compararent, silentium, orationis & con-

contemplationis studium, mundi contem-
ptum, cognitionem sui, aliasque id genus
plures, quæ solitudine magis, quàm inter
homines discuntur. Considera 3. Virgi-
nem Christi Matrem ab hominum qui-
dem consuetudine, in solitudinem non
abijsse, vt Christum Filium imitata, nobis
vitæ exempla relinqueret; fuisse tamen so-
litudinis perquàm amantem, sicut fuit &
Filius, qui post quadraginta dierum in so-
litudine ieiunium, frequens noctes inte-
gras duxit insomnes in oratione, & qui-
dem in monte, tum quia solitaria quieta-
que meditatio mentem à terrenis ad cæle-
stia attollit, tum quòd eiusmodi oratio res
omnes terrenas extenuat & obscurat, sic-
ut ex alto monte res inferiores videntur
exiguæ; & in nocte, tenebris opertæ ne
quidem videntur. Virgo igitur Domina
nostra solitudinem sectabatur, in concla-
ui cum Deo versabatur, raro & breuiter lo-
quebatur, multum silebat, quæ etiam vna
est ex causis, quare de Virgine Matre pau-
cissima nobis Euangelistæ scripto tradide-
runt, nimirum quod raro in conspectum
prodiret, domique suæ conclusa maneret,
respondens nomini suo הָעַלְמָה quod *Isaiæ 7.*
sonat absconditam Virginem, quam Isaias
scripsit concepturam, & parituram Ema-
nuelem. Considera 4. quæ, quamque
sublimia habuerit in hac sua quiete B.
Virgo cum Deo colloquia. Per Oseam
dixerat Deus: Ducam illam in solitudi- *Osee.*
nem, & loquar ad cor eius. Introducta
fuit

fuit vtique in cellam vinariam, repleta consolatione, quam ipsa sola nouerat, seruans
Cant. 2. Isai. 24. secretum suum sibi. Tu Virginem imitaberis, & ab omni strepitu hominum separatus, subinde in cor tuum intrabis, ibique cum Christo Domino solus colloquêris: quem orabis, vt ad cor etiam tibi loqui dignetur, doceat te cum ratione silere, & non nisi vtiliter ad Dei gloriam præmeditatè loqui.

MEDITATIO XLIV.

De B. Mariæ, & Anachoretarum paupertate.

CONsidera 1. in sanctis Anachoretis, amorem studiumque paupertatis, eorumque, quæ paupertatem sequuntur, vt sunt vitæ incommoda, labores, ieiunia, victus tenuitas, vestis asperitas, lecti duri-
Mat. 3. ties, &c. Ioannes Baptista locustas comedebat, & mel siluestre, vestitus cilicinâ tunicâ ex pilis camelorum. Paulus primus Heremita ex palmæ folijs sibi vestem contexuerat. Hilarion paucas caricas post so-
Theodoret. in Philotheo. lis occasum sumere solitus erat. Simeon Stilites ad dies quadraginta quotannis continuabat ieiunium, alij post diem tertium, alij post septimum panis nonnihil & modicum aquæ sumebant, dura humus fessos artus recipiebat. Considera 2. cur tanto paupertatis amore sancti isti viri tenerentur: 1. quia Christus & exemplo suo pauper-

paupertatem consecrauerat, & verbo suo beatitudinem in ea constituerat. *Beati* (inquiens) *pauperes*. 2. Propter diuitiarum & proprietatis grauia pericula: *Qui*, (ait Apostolus) *volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt hominem in interitum*. 3. Quia omnis proprietas, tametsi peccato careat, prægrauat tamen animam hominis, deprimitque, ne expedita in Deum feratur, sordes venialium peccatorum adfert, vitia nutrit, inquietudinem curarum auget, ad eum ferè modum, quo simia vestita grauatur veste, nutritque vermes & sordes. Magna est vtiq; agilitas & consolatio animæ præter Deum nihil possidentis, vel desiderantis. 4. Quia diuitias cœlestes his nostris diuitijs multò præstantiores, solidioresque magno animi conatu quærebant, quas vt assequerētur, in Dei gratiam sordidas istas, quæ præter terram albam & fuluam nihil sunt, pauperibus erogabant; sciebant enim Deum Regem ditissimum atque largissimum multo copiosiùs omnia refundere, quàm fuerunt effusa. 5. Propter metum districti iudicij Christi, in quo si reddenda est ratio de omni verbo otioso, erit vtique etiam reddenda de omni illa re, quæ verbo otioso maior est; qualis est non solùm coronatus, sed exiguus etiam quadrans. Considera 3. studium paupertatis in Virgine Maria, quæ didicerat à Filio non habere vbi caput suum reclinaret. Si enim eius-

Luc. 6.

1. *Tim.* 5.

Mat. 12.

modi quid habuisset Mater, non potuisset deesse Filio; quia matris bona etiam pertinent ad Filium. Considera 4. multa huius paupertatis in Virgine incommoda, in Filij natiuitate honestissimus conclauis locus erat præsepe bestiarum, Virgo humi cubabat. in fuga atque exilio sæpiùs vitæ commoditates defuerunt. Et si de Christo dicit Scriptura: *Ego autem mendicus sum & pauper.* mirum videri non debet, si etiam Virgo Mater eleemosynam ostiatim subinde collegisse dicatur. Iam cùm paupertatis & mendicitatis comes sit contemptus atque neglectus, non videtur alienum à ratione, Virginem hanc etiam opprobria, & irrisiones ab improbis sustinuisse. Tu Christi Virginisque imitator cœlestes diuitias præferto terrenis.

Psalm. 39.

MEDITATIO XLV.

De Anachoretarum & B. Virginis præmio.

COnsidera 1. quæ præmia maneant eos, qui, vt Deo quietiùs toti vacarent, terrenas omnes deseruerunt consolationes. Christus de his frequenter locutus, sic aliquando dixit: *Beati pauperes spiritu,* hoc est, voluntate à diuino spiritu excitatâ, & nullo terrenarũ rerum desiderio inquinata: *quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* In quo non iam contempti, miseri, solitarij, neglecti: sed diuites erunt multis stipati ministris, omnibus rebus circumfluen-

Matt. 5.

fluentes. Item : *Qui reliquerit domum, vel patrem, aut matrem, &c. centuplum accipiet.* in hac quidem vita consolationem, quæ omnium creaturarum æstimationem excedit: in altera verò vita, omnia multo quàm fuerant relicta, tum præstantiora, tum copiosiora. Petro denique quærenti: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te : quid ergo erit nobis?* Respondit Dominus: *In regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Magna gloria 1. alijs stantibus sedere. 2. tunc sedere, quando Christus sedet gloriosus. 3. alijs quasi anxijs, securitatem habere. 4. ceteros homines in re tanti momenti, qualis est perpetua salus aut miseria, iudicare. Beatum te, si his Christi promissis certissimis motus exemplo sanctorum, nudum Iesum, nudus sequaris. Considera 2. quo loco sessura sit Iudicis Mater in extremo illo iudicio, vtique proxima Filio. Quæ enim nunc etiam Angelos iudicat, & conterit caput serpentis, quæ ante Apostolos reliquerat omnia, quæ Christum multo quàm alij diutiùs secuta fuerat, maiori etiam gloriâ & nunc fulget, vt Regina cœlorum, & cum Iudice ad iudicandũ veniet, Christi Iudicis Mater, & Domina mundi. Rogabis eam, vt benignum tibi exhibeat vultum Iudicis, gratamque sententiam impetret, & liberet te à verbo maledictionis aspero.

Matt. 19

Psalm. 91

MEDITATIO XLVI.

De nona stella, ex gloria Cœnobitarum.

DE B. VIRGINIS ET COE-
nobitarum obedientia.

CONsidera 1. in sanctis Cœnobitis, qui sub vno prælato communem vitam ducunt, præcipuè commendari obedientiæ virtutem, quæ in eo est posita, vt superiori obtemperemus, tanquam Christi Domini vicario. Consistit autem huius virtutis perfectio in quatuor istis. 1. Vt non solùm Deo morem geramus per Scripturas præcipienti aut consulenti, vel per internas inspirationes monenti atque trahenti; sed homini etiam nobis in superiorem dato cuicunque, propter Deum. 2. Vt illi homini obtemperemus, non ob nobilitatem, diuitias, prudentiam, eruditionem, sanctitatem, aliasue naturæ dotes; sed hoc solùm nomine, quia vices gerit Christi, & quia est superior. Quamobrem imperfecta est obedientia, si vni superiori faciliùs quàm alteri pareamus; vel ægriùs immediato, qui ab alio potestatem accepit, quàm mediato & sublimiori, quia Christus considerandus est, qui nos per eos omnes dirigit, non homo qui videtur. 3. Vt obediamus toti, nimirum opere, seu externâ mandati executione, voluntate, vt libenter præstemus quæ iubentur; intellectu, vt superioris mandatum iudicio nostro approbemus. Itaque minùs perfectè obedit, qui vel inuitus facit, vel iudicio à superiore dis-

dissentit. 4. Vt toti in Dei voluntatem resignati omnibus in rebus à superiori nostro pendeamus, neque imperium expectemus; sed ad omnem eius nutum, & qualemcunque voluntatis significationem alacriter, promptè, fortiter, constanter moueamur. Considera 2. insignem multorum religiosorum obedientiam: non enim defuerunt qui se ad imitationem insignis illius obedientiæ Patriarchę Abrahæ filios suos vel in aquam præcipitare, vel in accensam fornacem inijcere, si id Dei voluntas tulisset, paratos exhibebant; alius lignũ aridum rigauit; alius arborem inuersam plantauit; alius socium in aqua demersum adducere iussus, cæcæ istius obedientiæ suæ merito, adinstar Petri Apostoli, super aquas ambulauit. *Mat. 14.* Considera 3. multa eaq; præclara istius virtutis commoda. 1. Significatur subdito Dei ipsius per superiorem voluntas, iuxta illud: Qui vos audit, me audit. *Luca 10.* vnde efficitur hominem verè obedientem nihil ambigere an Deo probetur quod agit. Sicut enim olim Patriarchis & Prophetis per oracula & responsa Deus voluntatem suam manifestam faciebat, ita modò idem præstat per mandata superiorum. 2. Magna ex eo nascitur in hominis animo pax, serenitas atque securitas, qui intelligit officia sua & opera placere Deo, & se errare non posse vt-vt accidat, quod maiorum suorum iussu facit. 3. Obediens vtiliter cum proximis laborat, quia non à se motus, sed vt Dei instrumentum, à Deo,

cuius voluntas est efficax, impulsus operatur. 4. Multis à Deo ornatur virtutibus, tanquam nobile Dei instrumentum, & res ad Deum pertinens. Sicut enim equi Regij, eaque omnia quibus Reges vtuntur, externo aliquo nitore cultuq́; splẽdescunt; ita Deus spiritualibus donis auget, quos tanquam instrumenta attingit, suisq́; operibus adhibet cõficiendis. 5. Humilis promptusque obediens, acceptus est omnibus, tum superioribus qui eius operâ sine molestia vtuntur, tum alijs quibuscum pacem tuetur. Considera 4. hanc obedientiæ virtutem, sicut maximo studio eam Christus Dominus excoluit, ita etiam à Virgine Matre diligenter obseruatam, quæ ne Cæsaris quidem Augusti mandatum in orbis descriptione etiam pręgnans negligendum putauit; in purificatione legi non obnoxia, legem tamen perfecit; Iosephi mariti admonitione in Ægyptum abijt: inde redijt, & in Nazareth transijt. Denique illud semper in corde gestauit: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. & quod ex cordis abundantia studioque obedientiæ dicebat ministris nuptiarum: Quodcunque dixerit vobis, facite. Tu Virginem ora, vt hac virtute actiones tuas, voluntatem & intellectum perficiat.

Lucæ 2. Mat. 2. Lucæ 1. Ioan. 2.

ME-

MEDITATIO XLVII.

De B. Virginis & Religiosorum vita cõmuni.

COnsidera 1. in Cœnobitarum vita non parum laudabilem semper fuisse communem viuendi rationem, quâ nihil sibi quisquam seruat, vel præstat, sed in communem omnia confert vtilitatem. quam vitam ante peccatum, in paradiso parentes coluerunt; eandem Ecclesia primitiua quasi vetustate collapsam repetiuit. Multis deinde annis, vt ait Vrbanus Pontifex, eam clerus coluit, & apud pios verosq́ue religiosos hactenus permansit. Considera 2. huius vitę perfectionem in eo consistere, vt sicut in humano corpore singula membra non suo quodq́ue iudicio, sed capitis arbitrio, ad commune corporis commodum officia sua peragunt; ita in religione singuli tam seipsos quàm sua omnia, superioris penitus relinquant dispositioni, nihilq́ue vel apud se retineant, vel ex semetipsis agant, nisi superioris voluntate, cuius sit cuique necessaria distribuere, superflua rescindere, officia, ministeria, occupationesq́ue decernere, atque imponere. Felix admodum vita eiusmodi, & sanctum religiosorum collegiũ quod ab vno Christi vicario, ex Christi voluntate, ad salutem perfectionemq́; dirigitur. Considera 3. beatissimam Virginem Christi Matrem cum cæteris Christianis hanc vitam obseruasse, atque ex eleemosynis, quas Apostoli diui-

Epistola ad omnes fideles.

Act. 4.

 debant,

debant, prout cuique opus erat, vixisse. Erat enim inter illos pauperes Christianos, quibus B. Paulus Apostolus à diuersis Ecclesijs curabat eleemosynas. Contemplare ergo Matris Dei humilitatem, insignemque obedientiam in mulierum sanctarũ cœtu. Non enim se vt superiorem præferebat a-
Mat. 20. lijs, sed vt ministram exemplo Filij sui, qui non venerat ministrari, sed ministrare. Ideoque fortassis inter postremos nominatur in Actis Apostolicis, vbi dicitur: Cum
Act. 1. mulieribus, & MARIA Matre Iesu. Tu Virginem precare, vt eius demissam obedientiam, & perfectam resignationem imiteris, animumque semper retineas placidum, & in omnibus æquabilem.

MEDITATIO XLVIII.

De B. Virginis & Cænobitarum præmio.

Considera 1. præmia quibus veri religiosi in cælis donantur. Nam 1. sicut mercenarius mercede conductus, omnium illarum rerum exspectat mercedem, quas iussus præstitit; ita qui ex obedientia actiones suas instituit, singularum à Deo præmium obtinebit. 2. Opus adiaphorum ex obedientia susceptum propter obedientiæ virtutem mercedem accipiet. Illud igitur opus quod ex se bonum est, vt ieiunare, orare, &c. si per obedientiam fiat, duplicem mercedem meretur, ex sua bonitate, & ex obedientia. 3. Christus peculiaria obe-

obedientibus præmia repromisit: Vbi (inquiens) ego sum, illic & minister meus erit. Et in Apocalypsi: Qui custodierit vsq; in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à Patre meo, & dabo illi stellam matutinam, hoc est, clarissimam lucem, nunquam extinguendam, quâ admirabiliter splendeat magnamq; habeat diuinarum rerum notitiam. Æquum quippe est, vt qui alijs humiliter paruerunt in hoc mundo, post hanc vitam præsint cum potestate alijs. Considera 2. Virginis Matris excellentem gloriam, quæ nihil nisi ex obedientia facere didicerat. Sicut igitur Christus per obedientiam, quam in omnibus totius vitæ suæ actionibus religiosè semper coluit, accepit nomen quod est super omne nomen: ita post Christum Virgo Mater obedientissima proximum nomen & locum obtinet à Filio, regitque gentes, & præest regnis, in vniuerso mundo celebris & venerabilis. Tu illam orabis, vt à te propriam auferat voluntatem, quæ sola in inferno cruciatur.

Ioan. 12. *Apoc. 2.* *Philip. 2.* *B. Bern. serm. 3. de resurrect. Domini.*

MEDITATIO XLIX.

De decima stella, ex gloria Virginum.

DE MARIAE ET VIRGINVM integerrima Virginitate.

Considera 1. Virgines Christo virginitate desponsari, cuius perfectio in eo consistit, quando nulla vnquam vel menti

vel affectui occurrit turpitudo; ne in somnis quidem, votoque est Deo consecrata corporis animique pudicitia; quam sanctæ virgines iam in cælis cum Christo sponso regnantes, sollicitè coluerunt, perpetuamque obseruarunt, & omnem fœditatem à
2. Cor. 11. se repulerunt, vt se vni viro virgines castas exhiberent Christo. Considera 2. ab hac puritate virginea procul abesse, non illos solùm qui impuris actibus animum, corpusque violant; sed illos etiam omnes, qui seruatâ corporis integritate, sensuali aut carnali amore tanguntur; quem amorem quia non rarò diabolus aliquâ boni specie velare consueuit, tu eius disces proprietates. 1. Est inquieto animo ferre absentiam eius quem diligis. 2. Mutuas manus, vel alias corporis partes contrectare, aut cum affectu intueri. 3. Verba proferre amoris indicia. 4. Munuscula transmittere. Nihil enim horum tolerat castus amor. Considera 3. varias vtilitates virginitatis. 1. Vita quietè sine cura ducitur, vt testatur Apo-
1. Cor. 7. stolus. 2. Animus ad orandum Deum, & diuinas res contemplandas efficitur
Matt. 5. idoneus, iuxta illud: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Proinde Ioannes & Paulus Apostoli virgines sublimiora nobis quàm cæteri Apostoli, diuinioraq; tradiderunt. 3. Singularis quædam mentis oblectatio virginibus communicatur à Deo, quia carnis omnem delectationem pro Christi nomine repudiarunt. 4. Angeli castissimi virginum casta-
rum

rum consuetudine gaudent, vt mirum non sit, Helisæum Prophetam castum, Angelorum agmine septum fuisse. Considera 4. sanctissimę Matris Dei angelicam puritatem, quę prima virginitatem Deo per votum consecrauit, & oculis, ore, vultu, totoq; corporis habitu castitatem spirauit. Speciosissima fuit illa quidem, sed cuius forma venerationem & castitatis amorem excitaret. Eius virginitatem singulari præconio prædixerunt Prophetæ, veteresque figuræ adumbrarunt. Nam ex terra virgine sumptus est primus Adam & porta orientalis Deo clausa seruata est, & Virgo peperit Emanuelem. Ecclesia quoq; multis laudibus & epithetis hanc admirabilem virginitatem extollit. Ait enim diuersis hymnis & canticis ecclesiasticis, Virgo singularis, Virgo admirabilis, Virgo virginum, atq; semper Virgo, Inuiolata, intacta, & casta. Tu singularis pura es Virgo. Summa enim in hac Virgine puritas fuit, quę purissimum Deum attraxit in vterum. Tu castissimis precibus à Virgine donum castitatis impetrare conaberis.

Meditatio L.

De comitibus Virginitatis B. Mariæ.

Considera 1. Virginitatis comites quę in castis sanctisque virginibus commendantur: vt sunt verecundia, modestia, sobrietas. Verecundia non illa intelligen-

da eſt, quæ ex aliqua fœditate naſcitur, ſed reuerentia quæ oritur ex humilitate, & metus quem producit amor caſtitatis. Ex hac verecundia procedit omnis interna externaque modeſtia verborum & geſtuum. Cauet ergo virgo ne in ſermone excedat, ne clamores edat, ne aliorum verba interrumpat, ne præcipitet, ne impręmeditatè
Eccleſ. 21. quid effutiat: In ore quippe fatuorum cor illorum, & in corde ſapientum os illorum. Præmeditatur an vtiliter ſit locutura, an ſe deceat ſermo, an Dei promoueat gloriam. Sobrietas eſt cuſtos pudicitiæ, quia venter vino æſtuans, citò ſpumat in libidinem. His virtutibus ſanctæ Chriſti virgines inprimis claruerunt, quarum modeſtam grauitatem, puramque verecundiam Chriſtus cumprimis dilexit. Conſidera 2. eaſdem in Virgine Maria virtutum omnium ſpeculo. Ad Angeli ſe laudantis vocem verecunda expauit, domi ſe continuit, rarò in plateis viſa, rarò cum viris, rara in ſermone. Quinquies locuta legitur, Angelo, Elizabethæ, Chriſto, miniſtris nuptiarum, ſed verecundè, modeſtè, & breuiter. Tu pone cuſtodiam linguæ tuæ, omnem leuitatem deuita, modeſtiam præfer in geſtu; Virginemque precare, vt eius imiteris virtutes.

MEDITATIO LI.

De B. Mariæ & Virginum præmio.

CONsidera 1. quæ præmia sint virginibus promissa in sacris literis. Apud Isaiam dicit Dominus: Dabo Eunuchis locum in domo mea, & in muris meis, & nomen melius à filijs, & filiabus. Sicut namque in Ecclesia altiori sacedotum gradui est coniuncta castitas, ita in cælis virgines, tanquam Christi peculiares sponsæ sublimi loco residebunt. In Apocalypsi virgines sequuntur agnum quocunque ierit: & canunt canticum quod nulli præterquam illis canere datum est. Vtique singularis cum Christo Virginum familiaritas designatur, & nobilis aureola, quam ex superato tertio vicinissimo hoste carne nostra mortali reportant. Tu amore huius præmij in amorem castitatis accendaris, breuemque voluptatem tantæ glorię posthabeas. Nam & hostis ille internus nullo negotio, solâ (inquam) fugâ occasionum, & feruenti oratione superatur, & Christus sponsam suam delicijs spiritualibus sustentare & erigere solet. Considera 2. Virginis Matris excellentissimam gloriam, quæ cùm & ante partum, & in partu, & post partum conseruauerit purissimam corporis animique integritatem, iure in hoc virginum choro primas tenet, vt Regina virginum, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur, & iubilant omnes filij Dei. Canticum quale nam illa nunc can-

Isaiæ 56.

Apoc. 14.

tat? si nobile hoc canticum: Magnificat, quod grauida cecinit, cęteris canticis dignitate præstat: quales laudes nunc canit Deo in tanta gloria, perfectioneque charitatis? Aliæ virgines sequuntur agnum quocunque ierit: sed Virgo Mater proxima semper est, Filioq; coniuncta. Illam itaque precaberis, vt Filium tibi exhibeat, in hac vita quidem gratiæ largitorem, in futura verò vita datorem gloriæ.

MEDITATIO LII.

De vndecima stella, ex gloria Viduarum.

DE B. VIRGINIS ET VIDVArum humilitate.

Considera 1. omnium quidem Christianorum esse, sectari humilitatem, virtutum omnium fundamentum; in viduis tamen præcipuè relucere, quæ & insigni illâ virginitatis gloriâ destitutæ sunt, & à mundo viris suis orbatæ negliguntur. Considera 2. perfectam humilitatem in eo solo reperire, qui est vilis abiectusque semper in oculis suis, talisque ab omnibus desiderat & gaudet haberi. Non velle videri humilem, sed vilem, humilitatis indicium est. Tu quàm procul ab hac virtutis perfectione adhuc absis ex tui ipsius, quo abundas, amore diligenter expendes. Neque enim humilis seipsum diligit, sed Deum; neque sua quę-

rit, ſed Dei; neque ſuis gaudet, ſed Dei. Caſſianus iſta refert veræ humilitatis indicia: 1. Si in te mortificatas habeas omnes proprias voluntates. 2. Si intimas quoque animi cogitationes propẽſionesq́ue Patri ſpirituali manifeſtes. 3. Si ſuperiorum monita patienter audias. 4. Si tuum iudicium ſuſpectum habeas. 5. Si illatam iniuriam, tanquam eâ dignus, cum gaudio ſuſcipias. 6. Si noui nihil quod maiorum exemplo aut inſtituto probatum non ſit, inducere velis. 7. Si vilibus gaudeas. 8. Si ad omnia te quaſi inutilẽ reputes. 9. Si cunctis te arbitreris inferiorem. Ab his proprietatibus quia longè es remotus, inflaris ſuperbiâ, neque retines Dei gratiam, quæ ad demiſſa decurrit. Conſidera 3. ſanctiſſimæ Dominæ tuæ humilitatẽ, non ex amiſſa virginitate, aut ex alicuius mali occaſione: ſed ex interna virtute, ſynceraq́ue animi demiſſione. Hæc igitur electa in Matrem Dei non niſi pro famula ſe geſſit, tum Dei, tum hominum. Elizabethæ vetulæ miniſtrauit, Ioſepho marito ſeruiuit, in vili ſtabulo peperit, cubauit & manſit, in ordine pauperum munera templo obtulit, Chriſti crucem non erubuit, nunquam ad ſua merita, quod Mater eſſet Dei, ſed ad Dei miſericordiam ſemper retulit. Denique poſtremum vbique locum inter Chriſtianos dilexit, maluitq́ue latere quàm agnoſci. Tu Virginem precare, vt profundiſſimam tibi impetret humilitatem.

Luc. 2.

MEDI-

MEDITATIO LIII.

De B. Maria & Viduarum orbitate.

Tim. 5. CONsidera 1. proprium esse viduarum, destitui solatio: *Viduas honora* (inquit Apostolus) *quæ verè viduæ sunt*, hoc est, desolatæ. Mortuo enim marito, instar turturis lugent orbitatem suam. Cumque sine tutela passim vel deserantur, vel opprimantur, certissimum consilium ineunt, quæcunque cum sanctis viduis Iudith, & Anna prophetissa in Deo spem omnem suam constituunt. Considera 2. beatissimam Dominam tuam non tam de morte Iosephi mariti, sponsique sui, à cuius non pendebat solatio, indoluisse, atque de crudelissima nece Filij sui, quem vnicum habebat, spem suam atque refugium. Gaudebat illa quidem de resuscitato post triduum Filio: sed eodem in cœlos ascendente ad Patrem, ad eius præsentiam perpetuò anhelabat. Ioannes Euangelista in locum Filij testamento donatus non tam minuit, quàm auxit dolorem, quòd eo conspecto sanctissima Mater & dolorum Filij crucisque meminisset, cui Dominus affixus hoc testamentum condiderat, & dignitatem Filij memoriâ repeteret, & iniquam deflexet commutationem. Nam à Christo Filio Mater vitæ exempla, documenta, sólatia, & omne bonum accipiebat: at verò hunc adoptiuum Filium Ioannem ipsa po-

ſa potiùs preire, inſtituere, formare debebat. Conſidera 3. magnas viduæ Matri perſecutiones excitatas à dæmonibus, dæmonumque membris. Cùm enim huius Matris officium eſſet, caput ſerpẽtis conterere, ic nullam creaturam tantum concepit odium diabolus, quàm in Matrem Dei creatoris, in quam effudiſſet omnem indignationem ſuam, & fluuium omnium malorum, niſi Chriſtus Matrem ſuam tutatus eſſet, dæmonisque vires confregiſſet, & terra aperiens os ſuum, aquas illas omnes abſorbuiſſet. Tu cum Eccleſia ſic Matrem precare: *In omni tribulatione, & angustia nostra, ſuccurre nobis piiſsima Virgo Maria.* Apoc. 11.

MEDITATIO LIV.

De Viduali præmio B. Mariæ.

CONſidera 1. viduarum humilium & deſolatarum prçmia. CertiſſimumScripturæ axioma eſt: *Omnis qui ſe humiliat. exaltabitur.* Nam si in hac vita honor ſequitur fugientem, & diuina gratia replet animos humilitate profundos; vtique tantò quisque erit in cœlis ſublimior, quantò ſe ampliùs in hac vita demiſerit; quia iuxta magnitudinem gratiæ datur & gloriæ copia, ſicut illud ædificium altius erigitur, cui altiora fundamenta ſunt collocata. Rurſus quod dicit Scriptura: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* non incommo- Luc. 14. Mat. 5.

dè ad lugentes viduas accommodari potest, quæ consolationem de cælo præstolantur. Considera 2. gloriam sanctissimę Matris, quę sicut animo se infra omnes homines deiecit, ita nunc exaltata est super omnes Angelorum choros ad cælestia regna.
Ephes. 4. De Christo dixit B. Apostolus: Quod autem adscendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ: qui descendit, ipse est & qui adscendit supra omnes cælos. Hoc est, qui profundissimè se humiliauit, ad summã euasit dignitatem. Hoc idem post Christum Dominum in Virginem Matrem conuenit, quę supra nouem Angelorũ choros, ipsa sola decimũ chorum suâ maiestate replet, tanto vtique illustriorē cęteris, quãto ipsa Deo vicinior, perfectiùs in se recipit diuinam gloriam. Iam verò si pro magnitudine luctus datur in cęlis consolatio, ipsa plus cæteris gaudet ex Filij præsentia, ex contemplatione Dei, ex abundantia, satietateq; bonorũ omniũ, quę plus luctus habuit; & quę multis contẽptui fuit, nunc omnibus est admirationi. Quare eius auxilium sedulò implorabis.

MEDITATIO LV.

De duodecima stella, ex gloria coniugum.

DE VIRGINIS MARIAE statu coniugali.

COnsidera 1. virtutes eas quæ in matrimonio præcipuè commendantur, ad tria matrimonij bona reuocari, quæ sunt:

sunt Fides, Proles, & Sacramẽtum. Fides seu fidelitas seruatur coniugi, Proles ad Ecclesiæ augmentum suscipitur; Sacramentum à Deo indissolubili nexu sanctificatur. Considera 2. inter Virginem MARIAM & castissimum Iosephum, non sola interuenisse sponsalia, sed verum matrimonij Sacramentum; nunquam tamen corporum coniunctione consummatum; vnde veri fuerunt coniuges, & veri etiam sponsi, quo nomine vocantur, qui post contractum matrimonium coniugij opus non perfecerunt. Considera 3. tria matrimonij bona in hoc coniugio. Nam vterque fidem seruauit, soliq́ue Deo virginitatem consecrauit. Indissolubile mansit vinculum, solâ Iosephi morte solutum, significauitq́; Christi coniugium cum Ecclesia, non quidem per carnalem copulam, sed per spiritualem sanctioremq́ue rationem; quia sicut Maria Virgo virgini Iosepho coniuncta fuit, ita Christus Virgo sibi Ecclesiam virginem castissimis nuptijs coniunxit. Proles non defuit, qui est finis fructusq́ue matrimonij, quæ proles in matrimonio quidem nata est, non tamen ex matrimonio suscepta, verùm ex fœcunditate virginis, ne maledictione legis virgo coniunx teneretur. Cæterum admirabilis fuit fœcunditas, sicut admirabilis fuit proles. Virgo concepit hominem Deum, non per interualla temporum, sed vno momento hominem omnibus membris perfectum, vsu rationis pollentem, plenum gratiâ & veritate. Mi-

tabilis Mater, quę parentem suum genuit, Deum suum lactauit, quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Tu has Virginis fæcundas nuptias imitari poteris, si Christo coniunctus, multos ei verbo atque exemplo spirituales generes filios, quos suauitate lactis foueas, atque in viros perfectos iuxta ætatem plenitudinis Christi nutrias. Rogabis Virginis Matris auxilium, vt in eiusmodi animarum lucro tibi opem ferat.

MEDITATIO LVI.

De B. Mariæ & coniugatorum sedula piet ·te.

CONsidera 1. hanc virtutem sedulæ pietatis vitio acediæ aduersari, & 1. Tim. 5. optimè conuenire coniugibus. B. Apostolus iubet vxores esse matres-familiàs, domusque curam gerere, viros suos amare, Tit. 2. filios diligere, prudentes esse, sobrias, benignas, subditas viris suis. Ad eas enim pertinet obseruare viros, & reuereri; sicut *Sara* Abrahamum maritum, quem dominum suum vocabat; filios educare, & eis cum 1. Pet. 3. lacte, fidei religionisque rudimenta & pietatem instillare. Considera 2. quàm sedulo hæc omnia præstiterit Virgo Mater, quę vt Christianis coniugibus formam viuendi exemplo suo præscriberet, sanctitate vitæ matrimonium suum sanctificauit; Iosephum venerata est & obseruauit; filium lactando, fouendo, ministrando educauit. Cæte-

Cæterùm cùm alij mariti vxores suas doceant, & matres instituant filios; hîc longè aliter vsu venit, vt maritus veneraretur, audiretq; vxorem, & mater filium. Puer enim Matrem erudiebat, eiusq; maritum, & vtriq; præcepta dabat viuendi. Tu audi docentem Filium, & simul obserua seduli-tatem Virginis sine distractione, occupationes sine perturbatione, negotia domestica sine impedimento orationis; & eam precare vt tibi Deoque semper sis præsens in occupationibus omnibus tuis.

MEDITATIO LVII.

De B. Maria & coniugum præmio.

CONsidera 1. coniugibus matribusque promitti salutem per filiorum generationem. Sicut enim in hac vita frequenter parentum felicitas pendet à filijs, qui ad dignitates euecti familiam promouent, & parentes ditant; quemadmodum Iosephus Patriarcha patris familiæque curam suscepit: sic qui sanctâ educatione filijs authores fuerunt insignis pietatis, & vitæ sanctioris, in illos vtique post hanc vitam filiorum gloria redundabit. S. Monica ex B. Augustino erit gloriosior, & Anna mater Samuelis ex filio. Disce igitur non ad mundi vanitatem educare filios, nec à pietatis studio eos auertere, sed Dei timorem, mundi contemptum, peccati horrorem, gehennæ metum ab infantia 1. Tim. 2.

animis

animis filiorum commendare. Considera 2. excellentem Matris gloriam ex gloria Filij. Filius Deus, monarcha orbis, ad cuius nomen flectitur omne genu, magnam addit gloriam Virgini, quę tanti Filij Mater est. Cumque tantus sit Filius, vt in manu eius sit omnibus honor & gloria, matrem vtiq; suam summæ glorię participem esse velit, præsertim cùm non ignoret naturalem, diuinamque legem, quæ filios iubet honorare parentes. Quamobrem Christus Deus Matri suę nobilissimum diadema imposuit, nimirum gloriam virginum, viduarum, & coniugum, coronamque sanctorum omnium, & honorem, decus, maiestatem omnis creaturæ. Ad illam itaque sic loquitur Filius in Canticis Salomonis: Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Libanus mons ab arboribus thuriferis hoc nomen habet. Amana est fluuius Damasci, significans fidem & veritatem. Hermon & Sanir montes sunt ad orientem terræ sanctæ. Hermon idem valet, quòd Deo consecratum, Sanir mutationem. Indicat igitur Christus Dominus Matrem de Libano venientem, nimirum ex hoc mundo, in quo suauissimis virtutum & orationis odoribus fragrauit, ad cælos adscendentem, recepturam omnium gentium gloriam, etiam earum, quæ instar leonum fortes, & pardorum sæui, pro amplificanda gloria sua, cum poten-
tissimis

cissimis regibus bella suscipiebant, quales fuerunt Romani & priores Monarchæ. Omnes siquidem gentes illæ Christi Matrem, nunc proni adorant; ab eius pendent auxilio, ei munera deferunt; eius preces opemque implorant. Has tu imitaberis, & Virginis laudes sanctumque nomen in sæcula benedictum coles, & propagare studebis.

FINIS.



SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei gratia Hispaniarum, Indiarum, &c. Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimus Belgarũ Princeps, diplomate suo sanxit, ne quis præter *Hieronymi Verdußij* Typographi Antuerpiensis voluntatem, PANEM QVOTIDIANVM, *siue Sacrarum Meditationum libros sex, ex diuersis Auctoribus desumptos per* BENEDICTVM HAEFTENVM *Præpositum Monasterij Affligeniensis Ordinis S. Benedicti*, ad sexennium in Belgio imprimat, aut alibi impressum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui secus fatet, confiscatione Librorum & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ die 6. Martij, 1629.

Signat.

WOVWERE.

PANIS QVOTIDIANI

PARS TERTIA,

EXHIBENS

MEDITATIONES

IN

Præcipua Sanctorum Festa.

PANIS QVOTIDIANI
SIVE
SACRARVM MEDITATIONVM
LIBER SEXTVS.

Meditationes in Festa Sanctorum.

Ill.mi & R.mi Andreæ Capellæ Episcopi Vrgelensis.

DE FESTORVM CELEBRATIONE

Ac fructu, qui ex illis Christiani referre debent.

SANCTORVM festiuitates iam inde ab Apostolorũ temporibus agi cœptę sunt, eundemq́ue morem tanquam Apostolis illorumq́ue successoribus acceptum, Catholica Ecclesia semper retinuit. Testatur id S. Clemens Papa in 8. lib. *constitutionum Apostolicarum.* vbi inter cæteras constitutiones à S. Paulo Apostolo sancitas, has duas ponit. Prima sic habet:

In diebus Apostolorum serui quiescant, Magistri enim nostri in Christo fuerunt & spiritus vos participes fecerunt. Quæ constitutio de illis Apostolis intelligenda est, qui ex hac vita migrauerant, & cum Domino requiescebant: quorum festa iam tum celebrabantur. Secunda sic ait: In die Stephani protomartyris quiescant, & reliquorum sanctorum martyrum, qui Christũ propriæ vitę antepofuerunt. Atque hinc est, quòd Ecclesia Catholica, doctrinam&

traditionem hanc Apostolicam sequendo, diuersis temporibus alia atque alia Sanctorum, qui postea in Ecclesia floruerunt, festa instituerit.

S. Augustinus. Fructum verò quem Christi fideles ex Sanctorum festiuitatibus haurire debent, declarat S. Augustinus Episcopus in homilia quadam vbi dicit: Populum Christianū ideo celebrare religiosa cum solemnitate, memorias Martyrum, vt ad eorum imitationem excitetur, ac meritis & precibus eorum adiuuetur. *S. Bern.* S. Bernardus eadem de re loquens, dicit: Tria potissimum ingenti cum vigilantia in festiuitatibus Sanctorum consideranda esse: Auxilium sancti, exemplum ipsius, & nostram confusionem.

Quæ S. Bernardi verba quandoquidem valde necessaria, & ad propositum nostrum accommodatissima sunt, non abs re fuerit illa fusiùs explicare.

Primus fructus. PRIMVS igitur fructus, quem fideles ex festorum celebratione elicere debent, est; vt erigant mentem ad considerandam Dei bonitatem & liberalitatem, qui creaturis suis ita se communicat, illasque ad tam sublimem statum, vt sancti nominentur & sint, extollit: indeque ad laudandum & glorificandum Deum, & gratias diuinæ Maiestati pro tanta liberalitate ac munificentia referendas excitentur. Faciebat hoc Regius propheta Dauid, quando Deum laudans, & omnes ad laudes illius celebrandas inuitans,

tans dicebat: *Quis sicut Dominus Deus noster: qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo, & in terra Suscitans à terra inopem: & de stercore erigens pauperem. Vt collocet eum cum principibus: cum principibus populi sui.* Vidit Esaias Propheta gloriã Dei, & Seraphin alterum ad alterũ clamantia, seseq; inuicem ad Dei magnitudinem celebrandam & exaltandam prouocantia & dicentia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum.* Et quatuor animalia, quæ S. Ioannes in Apocalypsi in circuitu sedis Dei stantia conspexit, incessanter clamabant: *Sanctus Sanctus Sanctus, Deus omnipotens.* Non inueniunt aliud nomen Seraphin nec quatuor animalia, quo Deum laudent & celebrent, quàm vt Sanctum appellent. Deus verè adeo munificus est in diuitijs suis in creaturas erogandis, vt illis etiam nomen hoc communicet, simulque tantam gratiarum suarum abundantiam illis largiatur, vt nomen hoc verè illis conueniat.

Psal 112.
Isa. 6.
Apoc. 4.

Sancti etenim sunt magni & præcipui eorum, qui in cœlis sunt: Christo attestante, cùm ait: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

Matt. 5.

Sunt domestici & aulici Dei. Vnde Dauid: *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* quasi diceret; tam stabilis est, vt nunquam amissuri sint dignitatem illam, quam semel acce-

Psal. 38.

ceperint. Sunt viciniſſimi & coniunctiſſimi Deo; vt enim Chriſtus ipſe teſtatur, *Vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit.* Sunt conuiuæ Dei, ad menſam ipſius ſemper co-
Ian. 12. medentes: *Ego*, inquit Chriſtus, *diſpono vobis regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Eodem etenim
Luc. 22. pane quo Deus veſcitur, Sancti reficiuntur, videlicet ipſomet Deo, cuius viſio ac fruitio ipſos beatos efficit. Sunt denique filij Dei & regni cœleſtis hæredes, cohæredes autem Chriſti. Gloria, laus & honor ſit Deo, qui tam liberalis & munificus eſt in
Rom. 8. creaturas ſuas.

SECVNDVS fructus eſt; Vt fiduciam ſuam roborent, & deſiderium concipiant, ad tam altum & nobile ſtatum, ad quem Sancti peruenerunt, pertingendi: quia illi fuerunt homines ſicut & nos, eademq; quâ nos carne amicti: nonnulli etiam ex eis fœminæ ac puellæ delicatę; magnis ſceleribus, antequam à Deo vocarentur inuoluti:
1. Theſ. 4. ex quibus ſunt S. Paulus, & S. Maria
Eſpheſ. 1. Magdalena. *Hæc eſt*, ait S. Paulus, *voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* & alio in loco: *Qui elegit nos, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius.* Si opes & dignitates præſentis vitæ tātopere ab hominibus expetantur, quanto magis expeti debent opes illę ſempiternę, quę omnes alias opes antecellunt: & dignitas omnium maxima & fæliciſſima, cui alia nulla comparari poteſt?

potest? cùm præsertim Deus potestatem nobis dederit illam si volumus adipiscendi, gratiæ ipsius, quam omnibus liberaliter offert, quamque nemini ad eius susceptionem se, vti æquum est, disponēti, denegat, beneficio. Quia verò nemo ad Sanctorum gloriam pertingere potest, nisi eandem viam quam Sancti calcarunt, tenuerit. Ideo.

TERTIVS fructus quem Christi fideles ex festiuitatibus Sanctorum elicere debent, est; Vt excitent semetipsos ad vitam illorum & virtutes imitandas. Quotiescunque, inquit S. Augustinus, sanctorum Martyrum solemnia celebramus, ita ipsis intercedentibus expectemus à Domino consequi temporalia beneficia, vt ipsos Martyres imitādo accipere mereamur æterna. Ab ipsis enim sanctorum Martyrum in veritate festiuitatum gaudia celebrantur, qui ipsorum Martyrum exempla sequuntur. Solemnitates enim Martyrum, exhortationes sunt martyriorum, vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Sed nos volumus gaudere cum Sanctis, & tribulationem mundi nolumus sustinere cum ipsis. Nullam habemus excusationem si virtutum studijs nō incombimus, quandoquidem præcesserunt nos alij, qui eâdem carnis infirmitate circumdati fuerunt, qua & nos. *Estote imitatores mei*, clamat S. Paulus Apostolus. Si monuisset vt Christum imitare-

Tertius fructus.

S. Augustinus.

taremur, impossibile forsitan illud existimassemus: & dixissemus Christum, Deum esse, simul & hominem; nos verò homines tantummodo fragiles, & imbecilles: iam verò cùm monet, vt se imitemur, nullam excusationem prætexere possumus.

Quartus fructus. QVARTVS fructus ex festorum celebratione hauriendus est, nostra nimirum confusio, vt nimirum conferamus pro maiori nostri humiliatione vitam nostram cũ vitis Sanctorum. Zelus enim honoris diuini, & salutis animarum, quoquo flagrarunt Apostoli, & labores quos in Euangelii prędicatione pertulerunt, nostram confundit tepiditatẽ, negligentiam, & dormitantiam in diuino seruitio. Similiter constantia & fortitudo Martyrum, qui acerbissima tormenta, & ipsam denique mortem pro fidei confessione passi sunt, nostram confundit infirmitatem & pusillanimitatem, quos minima mundi contradictio, aut leuis tentatio à virtutibus abducit. Sanctitas Cõfessorum, quorum vita longum & perpetuum fuit martyrium, eorumque in bonis operibus perseuerantia nostram confundit inconstantiam: illorum ieiunia vigiliæ, aliaque pœnitentiæ opera & continuum in virtutum exercitij studium, vitæ nostræ mollitiem, & virtutum neglectum arguit. Honestas & puritas Virginum nostram confundit inhonestatem ac turpitudinem. Et denique si attentè considerauerimus virtu-

tes

tes Sanctorum, & opera heroica ab illis e-dita, tantam inueniemus materiam confusionis, vt ne oculos quidem ad cœlum præ verecundia nostri ipsorum attollere ausuri simus.

QVINTVS fructus ex Sanctorum festiuitatibus eruendus est: Vt assumamus illos pro aduocatis & intercessoribus nostris apud Deum: vt illorum interuenientibus meritis & precibus, largiatur nobis Deus peccatorum veniam, & omnium petitionum nostrarum impletionem nobis concedat. Quemadmodum enim, quando à Regibus aut Principibus beneficium aliquod impetrare cupimus, eos adhibemus intercessores, qui apud illos multum gratiâ & authoritate valent: ita ad obtinenda quæ petimus, Sanctorum intercessione, quorum preces apud Deum plurimum possunt, vti debemus. *Multum* enim, vti S. Iacobus Apostolus testatur, *valet deprecatio iusti assidua*. Moyses precibus suis Dei manus ligauit, & veniam sceleris maximi populo Israelitico impetrauit. S. Iob pro amicis intercedit, & Deus orationem illius exaudit. Si enim, vti S. Hieronymus ait, Sancti Apostoli & Martyres cùm adhuc in corpore hoc corruptibili degerent atque pro semetipsis adhuc soliciti & anxij essent, pro aliis intercedere potuerunt; cur non magis hoc modò facturi sunt, post victorias, triumphos & coronas adeptas? Sancti ergo à no-

Quintus fructus.

Iacob 5.

Exo. 32.

Iob 42.

bis ita honorandi ſunt, vt eos rogemus & auxilium eorum imploremus in noſtris neceſſitatibus: Deus verò honorat illos, quando ipſis ea, quæ nos per Sanctorum merita & interceſſiones, maximè in feſtiuitatibus eorum petimus, concedit.

Teſtantur id Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, quæ plenę ſunt miraculis per Sanctorum à fidelibus inuocatorum interceſſionem perpetratis.

Hic tamen aduertendum eſt, orationem atque adorationem ſeu venerationem quā Sanctis exhibemus, valdè differentem eſſe ab illa quæ Deo debetur. Illa enim quâ Deum colimus, à Theologis *Latria* vocatur, & eſt ſubmiſſio quædam coniunctam habens confeſſionem ſiue agnitionem, quod ipſe ſit Deus & Dominus noſter, à quo totum eſſe noſtrum & vita dependet, cuius creaturæ & ſerui ſumus.

Quâ etiam adoratione Ieſum Chriſtum, quia verus Deus eſt, adoramus: ſimiliter & imagines quæ ipſum repræſentant, & crucem, quæ Chriſtum Crucifixum ſignat.

Similiter quando ad Deum orationem fundimus, precamur illum tanquam donatorem gratiæ, & neceſſitatum noſtrarum prouiſorem, ac proinde rogamus eum, vt nobis peccatorum remiſſionem, gratiam, gloriam, & omnia quibus egemus, tribuat.

Sed adoratio quâ Sanctos veneramur, à Theo-

Theologis *Dulia* appellatur, quâ colimus illos tanquam Dei amicos, & seruos, ad magnam dignitatem & honorem ab ipso sublatos. eodem cultu reliquias eorum & imagines prosequimur. quamuis B. Virgini Mariæ debeatur alia quædam adoratio, quæ à Theologis nominatur *Hyperdulia*, & *Dulia* præstantior est, quia dignitas & excellentia D. Virginis cæterorum Sanctorum gloriam excedit, quoniam vnigeniti Dei filij mater est.

Notandum prætereà, in adoratione seu veneratione duo esse: Primum est, externa quædã reuerentia siue honoris exhibitio. Alterum est interna confessio, & humiliatio. In externa honoris exhibitione nulla est diuersitas inter adorationẽ quæ Deo & quæ Sanctis fit, quia eodem modo caput discooperimus, inclinamus, in genua procumbimus, & prosternimur quando Deum Iesum Christum, eiusque imagines, aut Sacram crucem, & quando Sanctos eorumq; imagines vel reliquias honoramus, veneramur. Sed in interiori confessione & humiliatione magna, vti diximus, est discrepantia. Similiter oratio quam fundimus ad Sanctos, valde differt ab ea, quam ad Deum fundimus. quia illos precamur non tanquam auctores aut datores gratiæ, & virtutum cæterarumque rerum quibus indigemus, & quas petimus, nec in illis fiduciam nostram constitutam habemus, sed

rogamus illos tanquam aduocatos & intercessores nostros qui magna apud Deum gratiâ & auctoritate valent, ac nobis ea quæ postulamus, facili negotio impetrare possint. Ac proinde non petimus ab eis, vt nobis peccata dimittant, vel vt gratiam, gloriam & salutem nobis largiantur: sed tantùm, vt pro nobis apud Deum interueniant, atq; ab illo nobis peccatorum remissionem, gratiam, gloriam, sanitatem, cęteraque, qualiacunque illa sint, quibus opus habemus, impetrent. Deus autem sæpè tum propter Sanctorum suorum intercessionem, tum propter illorum merita quæ semper habet præsentia, petitionum nostrarum impletionem nobis concedit. Et quamuis semel illos pro meritis suis essentiali præmio gratiæ & gloriæ remunerauerit, non cessat tamen quotidie alijs atque alijs accidentalibus præmijs pro sua liberalitate illos munerare, quorum istud non minimum est, quod per eorum intercessionem hominibus plurima beneficia largiatur. *Leuaui*, ait Propheta, *oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.* Vbi S. Augustinus dicit non existimandum esse, quasi montes, hoc est, Sancti, nobis auxilium ferre debeant, quia ipsi accipiunt illud prius à Deo, vt illud præbere possint; non autem à semetipsis habent.

Psal. 20.

Hi

Hi sunt fructus, quos fideles ex Sanctorum festiuitatibus haurire debent: hæc exercitia, in quibus se in solemnitatibus eorum exercere debent. Atque hanc ob causam S. Mater Ecclesia vult nos iis diebus ab omni corporali exercitio, siue opere manuali abstinere, vt tantò diligentiùs spiritualibus mentis exercitiis intenderemus. Inter quæ non minimum est Euangelium considerare, quod in eiusmodi festis S. Ecclesia populo proponit: quæ cùm filiis suis spirituali cibo reficere studeat, Euangelia ita distribuit, vt singulis festis essent quàm accommodatissima; in illis autem anima tanquam in Dei verbis, pastum inuenit suauissimum. Illis qui hoc exercitium amplecti volent, considerationes quas libellus hic continet, non inutiles erunt, si priùs documenta illa siue præambula, quę in prima parte harum meditationum posuimus, attentè perlegerit, in quibus recta methodus traditur, quomodo meditans ex his considerationibus fructum percipere possit.

IN FESTO S. ANDREAE APOSTOLI.

MEDITATIO I.

Matt. 4.  *Mbulans Iesus iuxta mare Galilææ vidit duos fratres, Simonem Petrum & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare; erant enim piscatores. Et ait illis: Venite post me & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuò relictis retibus sequuti sunt eum.*

Considera quales fuerint gressus Christi, videlicet, quàm pleni sanctitate, & tendentes vniuersi ad supremam Patris gloriam & hominum vtilitatem. Et è contrariò tecum expende, quàm peruersi fuerint gressus pedum tuorum, quibus viam perditionis ambulasti. & time illum qui illos omnes dinumerauit. *Nónne Deus*, inquit
Iob. 31. S. Iob, *considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?*

2. Discurrit hinc Christus, quærens discipulos, qui sibi adiumẽto sint in maximo omnium opere; in salute nimirum hominum curanda & constituenda. S. Paulus de seipso & aliis Apostolis, Euangeliique ministris

nistris loquens, ait: *Adiutores Dei sumus.* Desidera & tu, omnibus quibuscunque potes modis, in opere hoc præclarissimo & diuinæ maiestati acceptissimo Deum adiuuare, quod fiet si à temetipso exorsus primò & principaliter tua, deinde proximorum tuorum, speciatim eorum qui curæ tuæ commissi sunt, salutem procuraueris.

3. Expende quàm fuerit pectus Christi diuini amoris igne succensum, hic enim amor illum excitabat,&stimulabat, vt ouem perditam per multa itinera & profectiones inquireret. CONSIDERA præterea, quàm variis modis & mediis Christus vt animas lucrifaceret vsus fuerit, gradiebatur aliquando ad vrbes, nonnunquam ad solitudines, & deserta loca se conferebat; obambulabat quandoque iuxta mare Galilææ, ad montes nonnunquam migrabat, ibique integris noctibus in oratione pro salute hominum excubabat, & denique instar cerui sitibundi, fontes aquarum inquirentis, discurrebat. Laus, benedictio, & gloria sit huic Saluatori. Dilige illum anima mea, & quam tibi gratis offert salutem, amplectere.

4. CONSIDERA quàm procellosum, & plenum periculis mare sit mundus, in quo pisces minores à maioribus deuorantur, quod assiduis turbinibus ac tempestatibus quatitur, & inquietatur, cuius nauigatio tam est difficilis & ardua, vt etiam naucle-

ris expertissimis, frequenter in eo gubernaculum è manibus excutiatur: & tamen sunt homines adeò mentis inopes, vt malint tempestatibus in hoc mari iactari, quàm tranquillitate in terra frui, dum se indies magis & magis terrenis negotijs ac commercijs valde nociuis inuoluunt. Qui quãuis statum suum deplorent, & hunc mundum contemnendum esse censeant; paucissimi tamen à vinculis eius sese expediunt, & graue mundi iugum à ceruicibus suis excutiunt.

5. *Qui nauigant mare, enarrant pericu-*
Eccl. 43. *la eius, & audientes auribus nostris admirabimur.*

CONSIDERA pericula & discrimina salutis tuæ in quibus sæpè fuisti, & in quibus quotidie versaris. In quibus etiam versantur omnes, qui procellosum & infidum mare huius mundi nauigant: & tecum expende, quâ ratione valeas euitare illos scopulos, in quos alios vides incurrisse, & naufragium fecisse.

6. CONSIDERA Christum Redemptorem nostrum tanquam mercatorem, qui naufragio in mari facto, merciumque suarum iacturam passus, iuxta litus maris obambulabat, cõsiderans num quippiam mercium suarum à mari in litus eijciatur. Amiserat diuinus hic mercator hominem, opus manuum suarum; deambulat igitur iuxta litus maris, sollicitè inspiciens, an quis-

quiſpiam reperiatur, qui mundum fugiens ſe ſequi velit, vt illum à fluctibus eius eripiat: non vt ipſe ditior fiat ex eo, ſed vt illum donis & gratiâ ſuâ locupletiorem reddat, & tandem æternâ fælicitate muneret. O amabiliſſimum mercatorem, cuius amor omnem cupiditatem terrenorum negotiatorum ſuperat! Etenim ipſi quando in periculis conſtituti ſunt, merces ſuas in mare demergunt, vt vitam ſaluent: At tu Domine vt me ſaluares, vitam & ſanguinem tuum profudiſti. *Dilexit me* Chriſtus *& tradidit ſemetipſum pro me.* Gal. 2.

7. CONSIDERA eundem Dominum qui nunc graditur iuxta litus maris Galilææ, paulò pòſt in paſſione ſua profundo mari acerbiſſimorum cruciatuum & tormentorũ adeò ſe immerſiſſe, vt *intrauerint aquæ anguſtiarum vſque ad animam* eius: idque vt hominem ſubmerſum de profundo aquarum erueret. Pſal 68.

8. CONSIDERA, quàm ſecurus ſit ille portus cœleſtis beatitudinis, vbi Chriſtus ad Dexteram Patris æterni reſidet, omnes hoſtes ſuos pedibus ſuis ſubſtratos habens, vbi Sancti ineffabili iucunditate ac lætitiâ pleni cantant cantica laudis Domino, qui illos à periculis & tempeſtatibus maris huius mundi liberauit, & ad tam ſecurum & glorioſum æternæ fælicitatis portum incolumes prouexit.

9. PISCABANTVR duo fratres, quos vidit Chri-

Christus. Valdè gratum est Deo quòd videat vnumquemque circa illa, quæ officij ac muneris illius propria sunt, quæ nimirũ status quem quisque amplexus est, ab eo
Luc. 2. exigit, diligentem ac sollicitum. Sic enim de pastoribus, quibus fælicissimus de nató Saluatore nuncius ab Angelo allatus fuit, dicitur, quod custodieban vigilias noctis super gregem suum. Sic etiam Moysi, cum
Exod. 3. gregum Ietro soceri sui diligentem curam ageret, apparuit Deus, illumque populi sui Israelitici ducem constituit, qui eum à durissima AEgyptiorum seruitute liberatum, in terram patribus eorum ante multa sæcula promissam, induceret. Considera igitur in quo te statu Deus collocauerit, & in negotijs huic statui proprijs assiduus esto. Etenim hoc agendo ad maiora & meliora te dispones: Et Deus si opera tua quapiam in re indiguerit, te facilè cùm tempus adfuerit inueniet, & ad lucem proferet.

10. DISCE ab his piscatoribus, in mari cordis tui passiones & inordinatos affectus, qui cor suffocant, nec ei vllam requiem concedunt, piscari: quia si permiseris eos crescere & liberè secundùm suam voluntatem vagari, subuertent aliquando nauiculam animæ tuæ, teque tandem in profundum demergent.

2. CONSIDERA, quot sint genera piscatorum in mari Galilææ, quod est mundus: Alij piscantur diuitias, alij honores, alij volup-

voluptates, alij officia, alij beneficia, alij fauorem & gratiam Principum. Expende prætetea, quam diuersa genera retium singuli pro se reperiant. Alij retia mendacij, alij adulationis, alij munerum, alij hypocrisis, & alij alia his similia. Tu verò si ditari cupis, esto piscator margaritarum, & quęre pretiosam & incomparabilem margaritam diuinæ gratiæ, quæ sola potest locupletare animam.

12. *Vidit Christus duos fratres mittentes retia in mare, & vocauit eos.* Non quærebant ipsi Christum, sed Christus ipse quærebat illos. Vt hinc intelligas, Dominum auspicari, atque initium dare nostræ iustificationi & sanctificationi *Non vos me elegistis*, inquit Christus Dominus, *sed ego elegi vos* Ille vocat quoscunque misericordiâ eorum motus, oculis misericordię respexerit: Roga eum, vt te ijsdem oculis respicere dignetur, & adeò potenter vocare, vt necessariò ei respondere, atque illum è vestigio sequi cogaris. *Ioan. 15.*

13 *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.*

Expende tecum, quàm nobile sit hoc officium, per quod nimirum is, qui antea erat seruus & mancipium Diaboli, filius Dei & hæres regni cælorum constituitur. Quia verò ad hoc efficiendum sola industria humana, si diuinâ ope destituatur, nón sufficit, idcirco monet vt sequantur, nimirum vt

non ignorarent, in quo totam spem & fiduciam suam collocare debeant, si opus hoc cum fructu exercere velint, quia nec is *qui plantat est aliquid*, vti S. Paulus Apo-
1. Cor. 3. stolus ait, *neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* neque is qui piscatus est aliquid, sed qui pisces attrahit in rete, videlicet Deus.

14. Piscatores hominum sunt Prælati, & Ministri Euangelij; non diuitiarum, nec honorum, nec aliarum commoditatum. Quare omnes curas & cogitationes suas eò conuertere debent, vt animas lucrentur Christo. harum piscationi si non intendunt, ab officij sui debito quàm longissimè recedunt, nec obligationi suæ satisfaciunt. Plangebat S. Paulus, cùm cerneret omnes
Phil. 2. *quærere quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi.* Plange similiter & tu, quòd videas tam languidè & remissè negotium hoc lucrifaciendi animas exerceri; etiam ab illis qui deberent exponere vitam suam pro simili genere mercium. Roga Dominum messis & piscationis, vt mittat operarios & piscatores secundùm cor suum.

15. CONSIDERA diligentiam quâ vtitur infernalis piscator, in piscandis animabus pro inferno, quarum quasdam illaqueat reti sensualiũ voluptatum; alias verò auaritiæ; alias superbiæ vitæ; nonnullas denique impiorum hominum qui ministri eius sunt, persuasionibus. Ingemisce quod

innu-

innumerabilem multitudinem retibus illius implicatam teneri conspicias: tibijpsi verò prospice, ne vnquam retibus eius inuoluaris.

16. *RELICTIS retibus secuti sunt Christum.* Totum hoc opus misericordiæ Domini fuit. Misericordiæ namque illius adscribendum est, quòd illos vocauerit. Similiter quòd eis cor & voluntatem vocationi suæ obtemperandi tribuerit. Omnia igitur reliquerunt, & licet non essent magnarum opum, tamen tam promptâ spontaneaque voluntate illa quæ habebant reliquerunt, vt si plura habuissent, illa omnia pro illius amore libenter relicturi fuissent. Voluntatem enim Deus potissimum intuetur ac respicit, illamq; potissimum ab hominibus exigit, & valdè gratam habet.

17. NOLI vltra conuersionem tuā differre, omnia relinque, nec quicquam tibi tanti sit, vt te præpediat quo minus Christo vocanti confestim obtemperes. Sequere illum per semitam humilitatis, patientię, paupertatis, obedientiæ, castitatis & charitatis, & efficieris bono tuo exemplo piscator hominum.

18. *Procedens inde vidit Christus alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui, cum Zebedæo patre eorum reficientes retia sua: & vocauit eos. Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum.*

Con-

Conuenientes & arctissimo amoris vinculo inter se deuincti erant hi fratres quos vocauit Christus, quia tales cupit esse suos, nempe charitatis mutuæ fœdere copulatos, & mente ac ratione ad Dei gloriam conspirantes, & se inuicem adiuuantes, vti fa-
Col. 3. ciebant hi duo fratres: *Induite vos*, inquit Apostolus, *sicut electi Dei, sancti, & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam, sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.*

19. Propheta succensus amore huius sanctæ fraternitatis, cunctosq; ad tam insi-
Psa. 131. gne & pulchrum spectaculum inuitare cupiens, ait: *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum!* per amorem, charitatem, & conformitatem. Iucundissimum & dulcissimum, id est; non aliter ac *vnguentum* pretiosum, quod effusum super caput summi Secerdotis Aaron, *descendit in barbam, & in oram vestimentorum eius*, eaque mirâ suauitate redolentia reddit, & sicut riuuli absque strepitu de montibus Hermon & de Syon egredientes, illos valdè amœnos & aspectui iucundos efficiunt, quia illis qui fraternitatis sunt amatores, mandabit *Dominus benedictionem & vitam vsque in sæculum.* Effusum est vnguen-

guentium gratiæ Spiritus sancti super caput nostrum, hoc est, super Christum, qui *vnctus fuit præ consortibus suis*, & descendit in barbam illius, in Sanctos nimirum Apostolos, qui amiciores & proximiores fuerũt Christo, in quibus demonstrauit potentiam & virtutem suam, dum per eos mundum deuicit, & infinitam multitudinem spiritualium filiorum procreauit. Descendit etiam in vestimenta eius, hoc est, in omnes alios fideles, qui capiti suo coniuncti, & inter se per mutuum amorem & charitatem arctissimè deuincti sunt. O beatam fraternitatẽ, quæ adeò accepta est diuinæ Maiestati, & maximas vtilitates confert humano generi.

20. Rete lacerum, est prædicatio quæ cum vita non concordat; ex tali etenim reti elabuntur pisces. *Tu qui doces alium*, inquit Apostolus, *te ipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? Qui dicis non mœchandum, mœcharis? Qui abominaris idola, sacrilegium facis? Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras?*

21. RETIA lacera sunt, prædicationes ad nullum alium finem relatæ, quàm ad quærendos inanes fauores & applausus auditorum, & excitandam potius in animis eorum admirationem, quàm compunctionem. Talibus enim retibus paucissimi, aut certè vix vlli capiuntur, cùm sint magis expansa ad intuentium oblectationem, quàm ad piscatio-

2. Cor.2. cationem. Hoc dicit S. Paulus *adulterare verbum Dei*, & non prædicare illud cum ea ſynceritate qua par erat. Iidem miſcent vinum aquâ, ad inſtar improbi hoſpitis. *Vinum tuum*, ait Deus populo ſuo, *eſt miſtum aqua*. quod facilè aceſſit & corrumpitur. Ita quando doctrina ſacræ Scripturæ, quæ vim & efficaciam habet curandi vulnera vitiorum noſtrorum, ſi rectè applicetur, ad eum tantummodo finem refertur, vt auditores oblectet; amittit vim ſuam, non ſecus ac vinum cùm ei aqua permiſcetur, fortitudinem ſuam deperdit. Roga Dominum vt reſarcire dignetur hæc retia, vt officium hoc Eccleſiæ perneceſſarium, rectè exerceatur, fiat, fructuque debito non careat.

22. PATREM ſuum ſimul cum retibus reliquerunt filij Zebedæi. Animaduerte hinc, quod Deus non modò à nobis exigat, vt propter ſe deſerantur temporalia, verùm etiam vt abiiciatur omnis affectus carnis & ſanguinis. Pium erat & religioſum quod ante Chriſti vocationem patri ſuo adhærerent, illiuſque ſollicitam curam gererent. At non minoris, imò longè maioris pietatis & religionis erat, quod, Chriſto illos ad ſui ſequelam vocante, patrem confeſtim reliquerint, & Chriſtum ſecuti fuerint, neque in hoc inhumanitatis argui poſſunt, quaſi patrem ſenem neglexerint; ſed potius inſignis conſtantiæ, quòd pluris fecerint

Pſal. 44. cæleſtem Patrem, quàm terrenum. *Audi filia*

filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.

23. ANIMADVERTE vnde Dominus seligat Apostolos, Euangelij sui futuros prædicatores. Non ex Regum palatijs, nec ex Synagoga, in qua plurimi erant legis Doctores; neq; ex scholis Philosophorum, sed ex mari Galilææ, vbi piscabantur & resarciebant retia sua. Horum opera confudit Philosophorum & Mundi sapientum superbos & scientiæ opinione subnixos animos, vt manifestum esset omnibus non hoc hominum, sed Dei summi opus extitisse. *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus*, dicit S. Paulus, *vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* 1. Cor. 1.
Obstupesce de hac diuina sapientia, & disce hinc non magnificare illos qui diuites & honorati sunt, neque pauperes & humiles spernere, cùm Deus sub abiectione magnam sæpè sublimitatem, & sub paupertate cælestes non rarò diuitias abscondere soleat.

IN FESTO S. NICOLAI EPISCOPI.



Omo quidam peregrè proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et vni dedit quinque talenta, alij autẽ duo, alij verò vnum; vnicuique secundum propriam virtutem, & profectus est statim.

CONSIDERA Christum Redemptorem nostrum, verumDeum& verum hominem, cùm discessurus esset à nobis, & ascensurus in cælum, distribuisse dona & gratias suas inter Apostolos, & eas quotidie inter fideles suos dispartiri. Omnia enim quæ siue in cælo, siue in terra, à quoquam bonorum tam naturalium quàm supernaturalium possidentur, huius solius Domini bona & prouentus sunt.

2. CONSIDERA, Dominum permittere vnumquemque modò agere secundum libertatem sui liberi arbitrij. Qui licet omnia quæ in mundo fiunt intueatur, dissimulat nihilominus, atque ita se gerit quasi longè abesset, nec illa præsens contemplaretur, tolerans multa cum patientia *vasa iræ apta in interitum, vt ostendat diuitias* Rom. 9. *gloriæ suæ in vasa misericordiæ.*

3. CONSIDERA Omnes homines seruos esse

esse Domini, quia illos de nihilo condidit, & pretioso sanguine suo redemit. Si autem seruus quilibet Domino suo fideliter famulari tenetur, quanto nos arctiori obligatione Deo, qui tam carè nos coëmit, seruire tenebimur? *Seruus tuus sum ego* Domine, inquit Dauid, *da mihi intellectum vt sciam testimonia tua, & custodiam ea.* Psal. 118.

4. CONSIDERA, Omnia quæ possides fructus esse huius Domini, nec te vel minimum quid habere à teipso. Conijce hinc quam stultum sit, inaniter efferri & gloriari de donis quæ habes. *Quid enim habes quod non accepisti*, ait Apostolus? *Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 1. Cor. 4.

5. CONSIDERA Quanta cum humilitate atque animi submissione te coram Deo oporteat ambulare, ante quem totum esse tuum & vniuersa *substantia* tua est, *tanquã nihilum*, nisi ille te conseruaret. Quâ itaq; fronte audes insurgere contra Dominum, sine quo nec vnico quidem temporis momento pedurare potes?

6. Si omnia quæ habes sunt fructus Domini ad cuius honorem, gloriam & seruitium ea conuertere ac referre magis debes, quam illius, cuius sunt fructus? Quanta ergo inciuilitas est ijsdem bonis eundem Dominum oppugnare atque ad offensionem concitare?

7. NOLI contemnere illum quem egestate premi, atque ab omnibus sperni conspicis, quia frater tuus e & seruus eiusdem

Domini Dei tui, cuius iudicia cùm occultissima sint, ignoras, cur ei non eam rerum omnium abundantiam dederit, quam tibi elargitus est. Fieri potest vt quamuis ei extrinseca fortunæ bona denegauerit, alia tamen bona interiora ei contulerit, quæ illum nobiliorem & excellentiorem quam te coram ipso cōstituant. Adde, quòd illum forsitan ad maiorem gloriam, quam te prædestinauerit, ad quam per semitam paupertatis & laborum, quæ est certissima ad cælum via, ipsum præparat & disponit.

8. *Nunquid non pater vnus omnium nostrū* ait Propheta Malachias. *Nūquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo despicit vnusquisque vestrûm fratrem suum, violans pactum nostrorum?*

9. Non dicit Euangelium, seruos hosce cōtristatos fuisse, aut contra Dominum suum murmurasse, quamuis inæqualiter eis talēta dispertiretur, atque vni quinque, alteri duo, alij verò vnum tantummodo talentum assignaret. Disce Deo non contradicere, nec ex his quæ Deus agit contristari, sed in omni euentu diuinæ ordinationi & prouidentiæ te committere; quandoquidem ipse cuncta disponit cum infinita sapientia. O *homo*, dicit S. Palus, *tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid figmentum* Rom. 9. *dicit ei qui se finxit; quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.*

10. Di-

10. Distribuit Dominus talenta inter seruos suos secundùm vniuscuiusque aptitudinem & possibilitatem. Ita facit Deus qui vniuersa cum summa prudentia moderatur, à cuius manu prouenit omne donum, & sufficientia benè vtendi dono, ac lucrum de talento collato referendi. Sed à temeritate, præsumptione, & ambitione cordis nostri sæpè instigamur, vt viribus nostris maiora suscipiamus, atque nobismetipsis onus intolerabile, cui tandem succumbere nos oporteat, imponamus: quia oculos tantũmodo intentos habemus ad ascendẽdum, vt nimirum magni & honorati efficiamur in hoc mundo, nec perpendimus nobiscum obligationem quam illa secum ferunt, perfectionemque quam à nobis requirũt. Hinc existunt miserabiles isti casus, quos quotidie dolenter cernimus, quodque reperiantur adeò pauci, qui officio suo satisfaciant. *Ipsi regnauerunt*, dicit Deus per Oseam Prophetam, *& non ex me: Principes extiterunt, & non cognoui.* Cæterum noli existimare te ideò securum & ab omni metu liberum esse, quia talentum de manu DEI accepisti: Quia Saul quamuis constitutus fuisset à DEO Rex populi Israelitici, perijt tamen & reprobatus est. Et vnus horum seruorum, de quibus præsens agit Euangelium, qui talentum de manu DOMINI acceperat, illo malè ad suam damnationem vsus est. Ose. 8.

11. *Abijt qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est in alia*

 quin-

quinque. Similiter qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autẽ vnum acceperat, abiens fodit in terram & abscondit pecuniã Domini sui. Deus non vult dona sua esse otiosa, nec patitur in domo sua seruos inutiles. *Exhortamur vos,* ait Apostolus, *ne*
2. Cor. 6. *in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Itaque si diuitijs abundas, ciba egenos, vesti nudos, succurre necessitatem patientibus. Si doctus es, instrue ignorantes. Si vir consiliorum, adiuua illos qui opus habẽt consilijs fidelibus & sapientibus. Si Principum & Iudicum familiaritate flores, intercede pro tribulatis & oppressis, consolare afflictos, visita infirmos, & in carceribus constitutos, & si aliud non potes, cunctos adiuua desiderio & oratione, quia Deus non vult, vt viuamus nobis solis.

12. NOLI quiescere aut otio te dare, quantumuis multum tibi videaris effecisse, sed semper magis ac magis operare cum talentis quæ accepisti, quasi nunc primùm inciperes. Quia proprium iusti est, nunquã dicere; sufficit, sed fame ac siti iustitię assiduò premi. Sic Apostolus Paulus obliuiscebatur eorum quæ operatus fuerat, & desiderio cunctisque viribus suis ad ante-
Phil. 3. riora se extendens, dicebat se *ad destinatum persequi, ad brauiũ supernæ vocationis.*

3. CONSIDERA, Quantum tibi adhuc supersit viæ conficiendum in semita perfectionis, & non modò non contentus eris de toto itinere quod confecisti, sed etiam videberis tibi tam parum itineris absoluis-

uisse, vt dicturus sis cum Propheta; *Nunc cœpi.*

14. Obsecra Dominum, vt te illuminet & cognoscere faciat, quantum ipse mereatur, quantisque à nobis obsequijs coli dignus sit. Ex qua cognitione hoc consequeris, vt quantumuis multum in Dei seruitio progressus fueris, nihil tamen tibi fecisse videaris. Propheta Isaias quando vidit gloriam Dei, voce magna clamauit, se virum pollutum labijs esse. Propheta Ezechiel eandem contemplatus, cecidit in terram. Et viginti quatuor seniores, ad vocem quatuor animalium laudantium diuinam maiestatem procidebant ante Deum & mittebant coronas suas ad pedes eius.

Isai. 6. *Ezech 2.* *Apoc. 4.*

15. Si merita nostra sint dona Domini, quantò plura pro Deo facimus, tantò plura recipimus, & tantò magis illi efficimur debitores. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite; sic nec vos*, ait Christus, *nisi in me manseritis.* Quemadmodum itaque palmes si ratione vteretur quanto uvis esset refertior, tanto magis se vti debitorem agnosceret: Ita qui lumine cœlesti illustratus, agnoscit quod à Deo omnia merita sua existant, & proueniant, quanto amplius fructibus bonorum operum abundat, tanto magis se Deo debitorem confitetur.

Ioan. 15.

16. *Post multum verò temporis venit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis*: de facultatibus nimirum, quas eis commiserat. Hanc rationem timebat Iob,

Iob. 31. licet innocentia vitæ vix parem haberet.
Psal. 143. & Dauid vir secundùm cor Dei. Hanc exhorruerunt & horrent sanctissimi quique, qui iustitia & vitæ integritate maximè conspicui sunt. Hanc igitur assiduo cogita, hanc in tota viuendi ratione semper præ oculis habe.

17. *Cum accepero tempus*, dicit Deus, *ego*
Psal. 74. *iustitias iudicabo.*

TVVM est hoc tempus quod modò voluitur. Nunc potes agere pœnitentiam, & vitam anteactam corrigere. Nunc potes spiritualium opum thesauros tibi cumulare. Expleto autem negotiationis huius vitæ tempore, Deus accipiet tempus & iudicabit nostras. Valdè iustam videbatur sibi seruus hic, qui talentum occultauerat, caussam habere: at postquam iudicio diuino oblatus fuit, Deus sententiam ab ea quam ipse expectabat diuersissimam tulit, quia illum vt seruum improbum & negligentem perpetuis tenebris adiudicauit. O iudicium terribile, si sic iudicat Deus iustitias nostras, quomodo iudicaturus erit manifesta scelera & iniustitias?

18. *Post multum temporis, venit Dominus.*

ATTENDE quanto tempore sustineat & expectet nos Deus ad pœnitentiã: quoties eodem tempore nos vocet, & ad fores animæ nostræ pulset, nonnunquam blanditijs & promissionibus, aliquando minis & terroribus, vt cùm venerit nihil in nobis inue-

inueniat castigandum: & arcu suo nobis demonstrat, vt fugiamus à facie sagittarum suarum. Psal. 59

19. Multum temporis est inter Ascensionem Christi, & aduentum eius ad extremum iudicium: sed particulare illud iudicium, quod de vnoquoque homine post ipsius è vita decessum exercetur, nihil habet certi temporis: sed plerumque hominem inopinatò adoritur, vti nos quotidiana docet experientia. *Si non vigilaueris*, dicit Dominus, *veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te.* Alij graues annis in senectute bona, alij in ipso primæ iuuentutis flore, alij post longã infirmitatem, alij morte repentinâ ex hac vita tolluntur. *Dum adhuc ordirer*, telam videlicet vitæ meæ, *succidit me*, dicebat Rex Ezechias. Apoca. 3 Isai. 38.

20. *Accedens qui quinque talenta acceperat obtulit alia quinque quæ lucratus fuerat. Similiter & is qui duo acceperat, obtulit alia duo.* Quorum vtrique Dominus dixit: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. intra in gaudium Domini tui.*

CONSIDERA quam gloriosum erit in præsentia Angelorum & totius cælestis curiæ, tam bonam & diligentem supremo iudici rationem reddere vt Deus sibi seruo satisfactum esse fateatur, & manibus proprijs perennis gloriæ corona illum remuneret.

21. Attende bonitatem Domini; totum

attribuit seruis suis, quasi à semetipsis omnia perfecissent, cùm tamen certissimum sit non ipsos, sed gratiam Dei cum ipsis, vt S. Paulus ait, ista operatam esse. Sed Deus, qui occasionem creaturas suas honorandi quærit, quantumuis exiguum de nostro ad illa contulerimus, tamen ea nobis attribuit, nulla suæ gratiæ atque opis, quæ potissimum hæc operata fuit, mentione habita, quia non nouit improperare, quæ largitur. Quod si tu Deus tanto opere nos honoras; quo nos honore afficiemur te, cùm tibi soli omnis honor & gloria debeatur? *Benedictio & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen.*

22. Boni & fideles serui vocantur, qui non modò fideliter facultatibus sibi commissis operantur, verùm etiam Dominum suum diligentes, & domus eius commoda quærentes, diuitias illius amplificare conantur. Quod quia non fecit is qui talentum sub terra occultauerat, vocatus à Domino seruus improbus, piger & inutilis. Hic est verus honor, hæc vera laus, honorari & laudari à Deo. Hæc vera iustitia

2. Cor. 10. quæ approbari meretur à Deo: *non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*: vti Apostolus ait.

23. Pauca vocantur à Deo bona opera præsentis vitæ, quia cognitio Dei, quæ in hoc mundo haberi potest, vmbratica est, & veluti per speculum: Spes miscetur ti-

more;

more: Charitas multis ſcatet imperfectionibus: opera iuſtitiæ quę agimus, ſunt veluti pannus menſtruatæ: ac demum omnia quæ pro amore Dei agere aut pati poſſumus, modica ſunt, quia finem habent cum vita, quæ non aliter ac ventus euaneſcit. Et nihilominus modicum hoc munificentiſſimus Deus liberaliter remunerat. Illud enim quod eſt: *momentaneum & leue tribulationis in præſenti ſæculo, ſupra modum magnum pondus gloriæ in nobis operatur in cælis*, ait S. Paulus. Momentaneo reſpondet æternum, & leui ponderi magnum pondus; & pro his quæ fiunt in terris, pręmium redditur in cœlis. Fœlices illi qui tali Domino famulantur, & in ſeruitio illius vſque in finem perſeuerant. 1. Cor. 4.

24. *Intra in gaudium Domini tui.*

CONSIDERA, ſi quiueris illud intellectu aſſequi, qualis illa futura ſit iucunditas & voluptas, eſſe ſocium Angelorum, ciuem regni cœlorum, contemplari Deum facie ad faciem, & illo infinito bono quod omnia in ſe bona complectitur, in omnem æternitatem perfrui, ac denique voluptatum torrenti, qui ab illo perenni atque inexhauſto fonte ſcaturit, immergi. viuere vitam beatam, vitam ſanctam, vitam ſecuram, vitam omnis turbationis expertem, vitam mortis neſciam, vitam ab omni triſtitia, ab omni culpa ab omni dolore alienam; vitam denique nulli amplius mutabilitati ſubiectam. Vbi nulli ſunt inimici qui bellum ſuſcitent: vbi perfecta &

consummata est charitas, vbi vnum ac perpetuum est ver, atque vnus dies splendidissimus: vbi sol iustitiæ semper lucet, vbi incessanter resonant lætitiæ cantica, & sempiternum *Alleluia*. Demum *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Intra*, ait, *in gaudium Domini tui*, non dicit ibi esse gaudium, sed esse ipsum gaudium, quia est adeo immensum, vt comprehendi à nullo creato intellectu possit. Quapropter dicit, vt intret in ipsum gaudium, velut is qui immergitur pelago immensæ profunditatis. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei: sicut lætantium omnium habitatio est in te.*

IN

IN FESTO S. AMBROSII EPISCOPI ET Doctoris Ecclesiæ.



VOS estis, dicit Dominus, sal terræ.

CONSIDERA, Quod per prædicationem Euangelij, SS. Apostoli sale terram condierint, facientes homines Deo sapidos, dum videlicet eos à nefarijs erroribus, impio idolorum cultu, atque ab horrendis prioris vitæ flagitijs abstraxerunt, atque ad fidem Christi traduxerunt. Idem officium præstant Prælati & Doctores Ecclesiæ, qui alios partim doctrinâ & salubribus monitis, partim sanctę suæ conuersationis exemplo ad Christum pertrahunt. Hinc S. Paulus dicit, quòd Deus illos in Ecclesia sua posuerit *in opus ministerij* (vt ante diximus) *ad consummationem sanctorum:* quia per hoc ministerium completur numerus prædestinatorum. Refer gratias Domino pro singulari hoc beneficio, quandoquidem tibi dedit quosdam, qui te sale condirent, vt possis effici cibus Domini.

2. CONSIDERA Christum fuisse sal terræ, qui semetipsum dissoluens, & pro hominibus mortem oppetens, lucrifecit nobis gra-

gratiam, quę nos gratos & sapidos Deo efficit. Misit Helisæus sal in vas nouum, quod sal, cùm aquis Iericho amaris iniecisset, omnem earum amaritudinem abstulit. Sal in vase nouo est diuinitas humanitati ex visceribus B. Virginis Mariæ, quæ Spiritus sancti operatione conceperat, assumptæ, inseparabiliter coniuncta. Adora augustissimum hoc mysterium, & redde gratias Deo pro tam insigni beneficio.

3. Considera quam insipidis & amaris cibis Deum refeceris, qui ei fel peccatorum tuorum, quibus iram eius aduersum te concitaueras, bibendum obtulisti. Si magnæ crudelitatis fuit Christum in Cruce pendentem ac vehementer afflictum felle & aceto potare, quomodo non maximæ & barbaræ cuiusdam immanitatis erit, quod illi, qui semel amarissimam illam potionē in Cruce tui causâ gustauit, eandem toties quoties potes, gustandam porrigas? Time igitur quod per Oseam Prophetam scri-
Ose. 14. ptum est. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum.*

4. Considera te non modò non fuisse sal proximis tuis, verumetiam cibum amarissimum, quia malo exemplo & peruersis consilijs ac sermonibus tuis eos ad malum prouocasti. *Væ ei,* dicit Propheta
Abac. 2. Abacuc, *qui potum dat amico suo, mittens fel suum.*

5. Vetuit Dominus in veteri lege, sibi sacrificium aliquod sine sale offerri: vt significaret omnes actiones nostras sale discretio-

nis ac prudentiæ condiri debere. Appellat autem Christus omnes Prælatos, & illos quibus aliorum regendorũ cura incumbit, sal: eo quòd in eis specialiùs hæc prudentiæ atque discretionis virtus relucere debeat. quos etiam alibi monet, vt sint *prudentes sicut serpentes*. Diligenter ergo considera omnia quæ agis, & noli contentus esse, vt ea bona sint & recta, synceraq; intentione fiant; sed etiam vt prudentia saliantur, quæ tempus, locum, personam & alias circumstantias necessarias solerter attendit.

6. Conuersa fuit vxor Loth in statuam salis, quia retro respexit, vt conflagrantem Pentapolim cerneret, quod Deus vetuerat. *Gen.* 19.

Condi hoc sale vitam tuam, vt eam ab omni præserues corruptione: caue ne cum vxore Loth retro respicias, ne videlicet ad peccata quæ semel reliquisti, redeas. Ex hoc exemplo prætere a disce, quod si non fueris sal boni exempli, Deus in te grauiter animaduersurus, & sicuti fecit vxori Loth, ex te sal eiusmodi, quod omnibus intuentibus terrorem incutiat, effecturus sit.

7. *Quod si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltra nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.*

Improbo sacerdote nihil inutilius, & ad se corrigendum difficilius. Et quia Sacerdotes non sunt eâ vitæ sanctitate, quali eos esse oporteret. idcirco permittit Dominus vt à laicis contemnantur, & nulla existima-

tione habeantur: *Vos*, dicit Deus per Malachiam Prophetam loquens sacerdotibus,
Mal. 2. *recessistis de via & scandalizastis plurimos in lege: propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis, sicut non seruastis vias meas.*

8. CONSIDERA eorum, qui cognitione Dei aliquando illustrati, & alijs bona conuersatione, & exemplo sal fuerunt; si postea rectis Domini semitis relictis, ad vitiorum calles deuient, præter graue scandalum, quod ex eo alij sumunt, lapsum esse maximè periculosum, illosque difficulter ad Deum conuerti posse. quam difficultatem S. Paulus exaggerat cùm dicit: *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam.*
Hebr. 6.

9. CONSIDERA quam densæ sint mundi tenebræ in quo album pro nigro, & nigrum pro albo venditur: vbi virtus subsannatur & suspenso naso irridetur, vitiũ verò laudibus celebratur. *Væ*, dicit Deus per Esaiam Prophetam, *qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Ex intimo igitur cordis ingemisce, quod tam multos his tenebris inuolutos esse conspicias: & roga Dominum, vt te ab illis liberet.
Isai. 5.

an. 1. 10. CONSIDERA Christum fuisse lucem
s. 106. mundi, qui venit ad illuminandos eos qui

qui sedebant *in tenebris & umbra mortis*: Et *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*: lucem quam tenebræ obscurare non poterunt vllæ: lucem quæ non modò nos illuminat ad videndam semitam, sed etiam virtutem ac fortitudinem nobis largitur vt possimus eandem perambulare: lucem quę omnibus sine personarum acceptione lumen suum offert, nec vllum, nisi qui spontaneâ voluntate ipsam relinquat & in tenebris degere malit, à se repellit. Benedicta sit hæc lux: Benedictus & ille qui eam misit. *Luc. 1.*

11. CONSIDERA Apostolos fuisse lumen mundi, per quos Deus dissipauit tenebras ignorantiæ & errorum. Quod etiam incessanter facit per Doctores Ecclesiæ, vsque adeò vt semita regni cœlestis nunc adeo trita & peruulgata sit omnibus eam perambulare volentibus, vt etiam infantuli eam nouerint. *Omnes*, dicit Deus per Ieremiam Prophetam, loquens de hoc fœlicissimo tempore, *cognoscent à minimo vsq; ad maximum*. Quæ igitur confusio est in medio tantæ lucis ambulare per tenebras? Et quam excusationem adferet, qui plus dilexerit tenebras quam lucem? *Iere. 31.* *Ioan. 3.*

12. *Non potest abscondi*, dicit Christus, *ciuitas supra montem posita*.

CONSIDERA quod hisce verbis indicet discipulis, qualem illorum vitam esse oporteat. quandoquidem omnium aspectui proponendi erant, non secus ac ciuitas supra montem ædificata. Et expende tecum,

quanta

quanta obligatione obstricti sint bonum de se præbere exemplum, omnes qui in officijs publicis, & in dignitatibus sublimibus, in quibus à cunctis videri possunt, constituti sunt. *Iudicium enim durissimum*, Genes. 4. ait diuina Sapientia, *his qui præsunt fiet*. Et Apoc. 6. *potentes potenter tormenta patientur*.

13. CONSIDERA Ciuitatem supra montem ædificatam, esse Ecclesiam Catholicam, super Christum fundatam. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus*, dicit Apostolus. Hic est *lapis abscissus de monte sine manibus*, qui factus est *mons magnus* & impleuit omnem terram. Ecclesia super hunc montem constructa, non Eze. 34. potest abscondi, quia mirabilia quæ Deus operatur in ea, eam latere non sinunt, sed omnibus conspicuam reddunt. *Erit in nouissimis diebus*, dicit propheta Isaias, *præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes & ibunt populi multi, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob. & docebit nos vias suas & ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex & verbum Domini de Ierusalem*. Benedictus sit ille, qui ciuitatem suam super hunc montem ædificauit, & nos ciues illius constituit.

14. *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.*

CONSIDERA quos antea lumen mundi nomi-

nominauerat, nunc appellet lucernam accendendam ab alijs, & ponendam super candelabrum, ne quis existimaret se habere lucem à semetipso. Christus est sol iustitię, à quo omnes alij qui sunt veluti stellæ, in mystico cælo Ecclesiæ, lumen suum mutuantur. Accede igitur ad eum, & ipse te illuminabit.

15. Illi qui in Ecclesia sunt lucernæ, qui aliis doctrina sua lucem prębituri sunt, non debent accendi à semetipsis, ne videlicet suo iudicio ac sensu innitantur, & illa quæ ipsi excogitauerint duntaxat doceant, sed vt prius eadem à luce Ecclesiæ, quæ à Christo vera luce illustrata est, accipiant. nec debent sibi propria auctoritate officium pręedicationis, aut cuiuscunque alterius ministerij sumere, sed illud de manibus eius, qui potestatem id conferendi habet, suscipere. quæ in domo Dei omnia debent fieri secundùm ordinem.

16. Quemadmodum candela inaccensa nulli rei vtilis est: pari modo candela posita super candelabrum affabrè factum & dolatum, nec lumen præbens, nullius vtilitatis est. *Quia tu*, inquit Deus per Oseam Prophetam, *scientiam repulisti, repellam te.* Ose. 4.

17. Lucernæ accensæ positæ sub modio similis est is, qui in ministerijs Ecclesiasticis vel tantum, vel principaliter quærit commoda temporalia: Et qui ea quę solius Dei amore & animarum saluandarum gratiâ facere debuerat, quasi ad pondus vendit. S. Paulus Apostolus auaritiam in Episcopis dam-

nat, cùm ait, illos non debere sectari inhonesta & turpia lucra. Eandem damnat in Presbyteris S. Petrus, qui exhortatur Pa-
1. Pet. 5. stores, vt pascant gregem Domini, non coactè, sed spontaneè secundùm Deum; nō turpis lucri gratiâ, sed voluntariè.

18. Contemplare illam lucernam, nempe Christum, positam in candelabro Crucis, quæ illuminat vniuersum mundum; ante cuius lucem sol obscuratur, quia omnis mundi sapientia, cum Christo crucifixo collata, ignorantia est: *Nónne stultam fecit*
1. Cor. 1. *Deus sapientiam huius mundi?* inquit S. Paulus: Ac proinde ipse in nulla alia scien-
1. Cor 2. tia gloriari nouerat, quam scire Christum & hunc crucifixum. O altissimam sapientiam!

19. NON posuit æternus Pater hanc lucernam accensam sub modio legis, quæ populo tantum Iudaico lata erat, sed supra candelabrum Ecclesiæ, quæ congregata est ex cunctis mundi nationibus. *Parum est*, inquit Deus Pater Filio quatenus homini, *vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Ia-*
Isai. 49. *cob, & feces Israel conuertendas: Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.*

20. NOLI ponere, anima, lucem qua te Deus illustrat, in Dei & rerum cælestium notitia, nec non gratiæ ad bene operandum, sub modio, vt videlicet tibi mensuram statuas in his quæ pro Dei honore agis; quandoquidem eam non constituit ipse in his quæ passus est amore tui.

21. Sic

21. *Sic luceat*, dicit Dominus, *lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.*

ATTENDE quod lux non modò relucere debeat in verbis, verumetiam in operibus. Lux quæ tantum in verbis consistit, palearum lux est subitò pertransiens. Christus autem vult vt lux nostra sit lux candelarum, quæ cerâ bonorum operum nutriatur, & vt in ijsdem bonis operibus, nihil aliud nobis propositum habeamus, quàm purum Dei honorem, gloriam, & beneplacitum: quia *omne donum descendit à Patre luminum*, vti S. Iacobus ait. *Iac.* 5.

22. CAVE ne putes Christum hac sententia iubere, vt opera bona inaniter ostentes: cùm de eleemosyna præcipiat, vt eam ita secretè facias, vt *sinistra tua nesciat quid faciat dextera tua.* Et de oratione, vt eam clauso super te ostio perficias: sed vult, vt talis sit vita tua, vt etiam si totis viribus eam ab hominibus abscondere coneris, ipsa tamen radijs bonorum operum ita resplendeat, vt alios inuitet ad glorificandum Deum Patrem, qui tales filios habeat. Nam ipsa tui occultatio faciet, vt clariùs luceas. *Matth.* *S. Bern.*

23. *Nolite putare*, dicit Christus, *quoniam veni soluere legem, aut Prophetas: non veni soluere, sed adimplere.*

Si Christus legem non transgreditur, sed ei se submittit, quâ ratione tu homo superbissime, & stolidissime, illam violare audes?

Heb. 10. audes? *Irritam quis faciens legem Moysi,* dicit S. Paulus Apostolus, *sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcauerit & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Hoc est violare legem per Christum latam. quod facis quoties peccatum aliquod admittis. Quotiescunque igitur peccas, Filium Dei proculcas: Sanguinem eius quo confirmatum fuit nouum testamentum, polluis, & Spiritui gratiæ, qui legis obseruatione datur, contumeliam facis.

24. CONSIDERA Christum Redeptorem nostrum inuiolabiliter legem custodiuisse. nam præcepta moralia declarauit, consilia perfecit, & cæremonialibus per ea, quæ salutis nostræ causa operatus est, finem imposuit. Per quæ etiam omnes impleuit Prophetarum & Patriarcharum prædictiones, vt nos intuentes tam admirabilem concordiam, inter ea quæ varijs in veteri testamento figuris præsignata, & Prophetarum oraculis prænunciata fuerant, & illa quæ postea gesta sunt, aliquidò cerneremus Iesum Christum verum esse Messiam in lege promissum, sicque fides nostra omni ex parte roboraretur, perfidia Iudæorum conuinceretur, & aduentus verbi Domini maneret in æternum.

25. *Amen dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum aut vnus apex*

non praeteribit à lege, donec omnia fiant.

NON ſunt vnquam diſſoluendi cœli & terra, ſed hac ſententia Chriſtus voluit nobis indicare firmitatem verborum ſuorum. *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis*, dicit Propheta. O quam ſecurum eſt, fiduciam ſuam conſtituere in verbis Dei! *Quis ex vobis timens Dominum*, dicit Propheta, *audiens vocem ſerui ſui? Quis ambulauit in tenebris, & non eſt lumen ei? Speret in nomine Domini, & innitatur ſuper Deum ſuum.*

25. NOLI prætermittere quicquam, quantumuis exiguum, de lege Domini: neque dixeris, hoc leue eſt, & parui momenti; ſed Deum legis authorem reſpice. Qui enim cōtemnit minima, paulatim delabetur ad maxima. Qui tranſgreſſus fuerit vnum *de mandatis his minimis*, etiamſi alios de eorumdem recta obſeruatione inſtruat, *minimus vocabitur in regno cœlorum.* CONSIDERA in eo qui alios docturus & eruditurus ſit, etiam minimas culpas facilè animaduerti, adeoq̀ue doctrinam illius vehementer eleuare, ac fide indignum reddere. Quam ob cauſam veteri lege cautum erat, vt qui ſacerdotio fungeretur, ſine omni eſſet macula. CONSIDERA præterea, quòd magna præditum eſſe ſcientia, aliiſque præcepta ſalutis dare, niſi adiunctam habeat diuinorum mandatorum obſeruantiam vitæq̀ue ſummam integritatem, non modò nihil prodeſt, ſed etiam maiorem nobis adferat damnationem; cùm tamen benè agere per ſe ſolum, magnæ ſit vtilitatis. *Leui. 27.*

tis. Et si coniunctum fuerit cum aliorum instructione, singularem nobis apud Deum gratiam & beneuolentiam cociliat, cui hoc ministerio nihil acceptius contingere potest. *Si linguis hominum*, inquit S. Paulus, *loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens.* Qui mox de charitate subiungit, quod *nunquam excidat.* De illis autem qui alios de via iustitiæ informant, dicit Propheta Daniel, *quod fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

1. Cor. 13.

Dan. 12.

27. CONSIDERA S. Ambrosium fuisse sal terræ, lucem mundi, ciuitatem supra montem ædificatam, lucernam accensam & candelabro Ecclesiæ impositam, qui scriptorum suorum, quæ post se reliquit, facibus lumen præbuit, & incessanter præbet fidelibus populis. Cuius lux lucet coram hominibus, ad Dei Patris æternam gloriam; qui Dominica mandata & legem Dei perfectè adimpleuit, neque modò præcepta, sed etiam consilia; ideóque verbo & opere alios instruxit, & magnus iuxta Euangelij sententiam effectus est, non tantùm in Ecclesia, sed etiam in cælis & æterna beatitudine.

DE

DE IMMACVLATA CONCEPTIONE GLORIOSISSIMAE & PURISSIMAE VIRGINIS MARIAE MATRIS FILIJ DEI.

De institutione præsentis festi.

PER *vnum hominem*, inquit Apostolus, *peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Hanc S. Pauli sententiam S. Ecclesiā semper ita intelligendam esse docuit, quòd omnes homines naturaliter ab Adamo generati, in conceptione sua peccatum Adami, quod appellatur originale, contrahant; quia non per actū proprium sicuti peccata actualia, sed quia descēdit ab Adamo, qui fuit principium & origo totius humani generis, contrahitur. Et quamuis hoc peccatum sit vnum quo ad suam originem, inest tamen vnicuiq; ab Adamo descendēti proprium, transfusum in omnes, non imitatione aut actu proprio, sed naturali propagatio- Rom. 5. Mal. 2.

 ne.

ne. Hinc sanctum Concilium Tridentinum ait: *Si quis non confitetur primũ hominem Adam, cùm mandatum Dei in Paradiso fuisset transgreßus, statim sanctitatem & iustitiã, in qua cõstitutus fuerat, amisisse, incurrisseq; per offensam prauaricationis huiusmodi, iram & indignationẽ Dei, atque ideo mortẽ, quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captiuitatẽ sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperiũ, hoc est Diaboli, totumq; Adam per illam prauaricationis offensam secundùm corpus & animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit.* Et immediatè subiungit: *Si quis Adæ prauaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem & iustitiam, quam perdidit, sibi soli & non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, quod mors est animæ, anathema sit:* cùm contradicat Apostolo dicenti; *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatũ mors: & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Et paulò pòst: *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam virginem Mariam Dei genitricem; sed obseruandas esse constitutiones fœlicis recordationis Xisti Papæ IV. sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innouat.*

In Extrauag. commun. lib. de rel. & ven. Sanctorum.

Hic enim Xistus Papa Quartus dignum, imò

imò debitum existimans, vt Christi fideles Deo gratias & laudes referant, de immaculata & miraculosa gloriosissimæ Virginis Mariæ, genitricis filij Dei conceptione, & instituta propterea in Dei Ecclesia, Missas & alia diuina officia dicant, & illis intersint, concedit singulis qui in die festiuitatis conceptionis eiusdem Virginis Mariæ, & per octauas eius, Missas & horas huic festo appropriatas celebrauerint & dixerint, aut Missæ officio & horis Canonicis interfuerint; toties, quoties id fecerint, vt eandem prorsus indulgentiam & remissionem peccatorum consequantur, quam iuxta fœlicis recordationis Vrbani Quarti, & Martini Quinti, & aliorum Romanorum Pontificum constitutiones, consequuntur illi, qui Missam & horas Canonicas in festo Corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi à primis vesperis, & per illius Octauas iuxta Romanæ Ecclesiæ constitutionem celebrant, dicunt, aut Missæ officio, & horis eiusmodi intersunt.

CONSIDERATIONES

in Euangelium.



Iber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. Generationem eius quis enar-
Esa. 1. *rabit?* dicit propheta Esaias.

CONSIDERA Eum qui ab omni æternitate à Patre fuit generatus, in tempore voluisse quoad humanam naturam in visceribus beatissimæ Virginis Mariæ matris suæ generari. Et quamuis quomodo illud factum sit, nulla possit lingua exprimere, nihilo secius progenitores eius, à quibus originem traxit, Scriptura commemorat: eò quòd in hac sola generatione principium & finem reperire liceat. Adora vtramque hanc generationem, & glorifica illum qui cùm esset æternus, in tempore quatenus homo, dignatus est nasci, vt nobis promereretur gloriæ æternitatem.

2. CONSIDERA Filium Dei naturalem, factum esse filium Abrahami, Dauidis & Mariæ, vt nos faceret filios Dei per adop-
1. Io. 3. tionem. O admirabile donum! *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominaremur & simus*, si iusti fuerimus.

3. *Liber generationis Iesu Christi.* O fi-
1. Tim. 3. delem sermonem, & omni acceptione dignum. Scribitur in libro generatio Christi,

vt nos inſcribamur libro vitæ. *Non intrabit,* Apo. 21.
dicit S. Ioannes, in ſanctam ciuitatem cæleſtis Ieruſalem, *aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium; niſi qui ſcripti sūt in libro vitæ agni.* Appellat hunc librum agni: quia per merita ſanguinis Agni, hoc eſt, Chriſti, inſcribuntur huic libro, omnes, qui in eo deſcribi merentur.

4. *Hic eſt liber generationis Adami:* dicit Gen. 5.
Moyſes. At quāto melius ſonat, *Liber generationis Ieſu Chriſti. Primus homo de terra,* 1. Cor.
terrenus, factus eſt, quia nimirum terrenus fuit in cogitationibus & affectionibus ſuis: *at ſecundus homo de cælo, cæleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni,* qui videlicet illum ſequuntur: *& qualis cæleſtis, tales & cæleſtes,* qui nimirum illum pro viribus imitātur, & gratiæ illius participes fiunt.

5. Generatio Chriſti fuit remedium malorum generationis Adami. Per Adami enim generationem, tranſiuit in nos peccatum, & *naſcimur omnes filij iræ*: per generationem verò Chriſti gratiam & peccatorum remiſſionem conſequimur, efficimurq́; filij benedictionis. Per generationem Adami mors in nos dominatum accepit: per generationem Chriſti mors deſtructa, & reſurrectionis certa ſpes nobis collata eſt.
Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & 1. Cor.
in Chriſto omnes viuificabuntur. Benedicta ſit hæc generatio, & benedictus liber in quo ea continetur.

6. Liber generationis Domini noſtri Ieſu

 Chriſti,

Christi, sacrum est Euangelium, quia in illo methodus traditur, qua ipse nos regenerauit, nimirum per merita vitæ, passionis & mortis suæ. Tota namq; sanctissima Christi vita, nihil aliud fuit quàm quædam generatio, quæ à sacra ipsius conceptione initium accipiens, in gloriosa ipsius resurrectione terminata fuit: *Meus cibus est*, inquit Christus, *facere voluntatem eius qui misit me Patris: voluntas autem Patris mei hæc est, vt opus ipsius perficiam.* Hoc opus, cui perficiēdo incubuit toto vitæ suæ tempore, fuit postea regeneratio, quæ incipit per Sanctum Baptisma, in quo efficimur nouæ creaturæ, renascentes per aquam & Spiritum Sanctum.

Ioan. 4.

7. Sacrum Euangelium est liber generationis Iesu Christi, quo continetur & docetur via perfectionis, per quam gradiuntur qui electi sunt à Deo, pauperes spiritu, mansueti, mundi corde. *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciē Dei Iacob:* qui nimirum faciem semper directam habent ad voluntatem eius, atque illam opere complere satagunt.

Psal. 23.

8. Appellatur Christus specialiter filius Dauid & Abraham, quia his duobus facta fuit promissio, quòd ex illorum semine nasciturus esset Messias, tot sæculis promissus & expectatus, in quo benedicendæ essent omnes gentes. CONSIDERA in vno obedientiam, in altero mansuetudinem & patientiam, qua persecutiones & iniurias sibi illatas sustinuit. Da operam vt has tam eximias

mias virtutes imiteris.

9. Abraham genuit Isaac: at primùm genuit ex ancilla Ismaelem, ex cuius posteritate non descendit Christus, sed ex Isaac, qui natus est de Sara libera, quia per eum recuperaturi eramus veram libertatem, & liberandi à seruitute peccati & Dæmonis.

10. Natus est Isaac de Sara quæ erat sterilis, quæ secundùm communem naturæ ordinem vltrà filios habere non poterat: & Christus Dominus noster natus est de Virgine, quæ illum non communi naturæ ordine, sed ex miraculo, operante nimirum Spiritu sancto, genuit: Sic & filij spirituales quos Christus supra naturam generat, per gratiam Spiritus sancti generantur.

11. *Isaac* interpretatur *risus*, propter gaudium & voluptatem quam attulit parentibus suis, eò quòd illum in senectute genuissent, cùm iam omni spe procreandorum liberorum destituti essent. Christus est gaudium mundi, in cuius Natiuitate cæli riserunt, & mediâ nocte, dissipatis tristitiæ tenebris, læti hanc lucem insolito lumine demonstrarunt. Angeli etiam lætitiâ & exultatione pleni, festiuis canticis eam concelebrarunt, & Pastoribus annunciarunt. Abraham denique cùm fœlicissimam hanc natiuitatem multo ante tempore præuidisset, de illa vehementer gauisus est.

O Christe verè Isaac, qui *conuertisti* *Isa. 30*

planctum nostrum in gaudium, qui *conscidisti saccum tristitiæ nostræ*, quâ nos vestit Adam: & *circundedisti nos lætitiâ*. Gaudium nobis est si oculos mentis conuertimus ad inferna, quia videmus spoliatos Inferos. Gaudium si contemplamur superna, quia cælos reseratos cernimus. Gaudium si oculos in omnem partem circumferimus, quia inimicos nostros, Mundum, Dæmonem mundi principem, Mortem, & Peccatum prostratos & profligatos intuemur. *Cantet tibi* ergo cantica lætitiæ & gratiarum actionis: *gloria mea, & non compungar Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi*.

12. *Isaac genuit Iacob*: genuit etiam Esau, qui primogenitus extitit, sed primogenita sua Iacob vendidit, cui & benedictionem idem Iacob abstulit: ideoque Christus non descendit ab Esau, sed à Iacob, de quo dicit Deus: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*. Ne igitur fiduciam habueris in fortitudine carnis, quia *omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni*, qui statim marcessit & decidit. Sed operam da vt sis verus Iacob, vitiorum & malorum inclinationum tuarum supplantator, & Dominus te diliget, tibique benedictionem suam largietur.

Ma. 8.

13. *Iacob genuit Iudam & fratrem eius*.

Neque hic nominatur primogenitus, qui fuit Ruben, nec ab huius prosapia descendit Christus. Iacob filio Ruben, appropinquante horâ mortis suæ, dixit: *Primogenitus*

Gen. 49.

nitus meus, tu fortitudo mea & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio. Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. Hinc disce si inordinatas cupiditates & desideria tua secutus fueris, ac sensualitati tuæ morem gesseris, te perditurũ illa quæ Christus tibi sua generatione promeruit.

14. *Iuda*, dixit Iacob, *te laudabunt fratres tui: Manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum. adorabunt te filij patris tui. Catulus Leonis Iudas. Ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna. quis suscitabit eum?* Gen. 49

CONSIDERA hæc Iudæ quidem dicta fuisse, sed postea multo miraculosiùs in Christo, qui ab illius stirpe secundùm carnem descendit, impleta fuisse. Laudant enim & adorant Christum veri Israelitæ. Ipse omnes inimicos suos tanquam verus leo de tribu Iuda, deuicit: Ipse in crucem ascendit, atque inde prædam tulit, quia diabolum superauit: peccatum, mortem & infernum despoliauit. Ipse deniq; requiescens accubuit in sepulchro, & tertiâ die semetipsum suscitauit, resurgens à mortuis. Expende tecum horum mysteriorum profunditatem, & adora ea.

10. *Iudas genuit Phares & Zaram de Thamar.*

MYSTERIIS referta est hæc generatio Saluatoris. Neuter horum duorum fratrũ fuit primogenitus Iudæ, neque Thamar,

de qua hos liberos sustulit, fuit legitima vxor eius. Quia qui veniebat peccatores saluos facere, non dedignatus est de peccatoribus carnem assumere & nasci. Mentio autem fit tantummodo horum duorum filiorum, qui prefigurabant duos populos, Iudaicum & Gentilem: vt intelligamus, vtrumque populum captiuum fuisse sub peccato, & opus habuisse generatione Christi Saluatoris, vt salutem adipisceretur. *Omnes enim peccauerunt*, dicit S. Paulus,
Roma. 3. *& egent gloria Dei.* Gloria autem Dei est incarnatio filij eius, in qua Deus ostendit diuitias gloriæ suæ.

Gen. 38. Partus tempore, primò vnam protulit manum Zaram, in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens: Egredietur prior. Illo verò retrahente manum egressus est Phares dirupta maceria, quæ illos separabat. O singulare mysterium! Populus Iudaicus primus accepit lumen fidei & coccineo circumcisionis sanguineæ signo signatus fuit; verùm Gentilis populus prior ingressus est Christi Ecclesiam, fidemque suscepit Iesu Christi, duruptâ & abrogatâ veteri lege quæ duos hos populos ab inuicem distinguebat, cui Christus nouâ suâ Euangelicâ lege finem dederat. S. Paulus mysterium hoc dum ad Ephesios, qui ante fuerant gentiles, scriberet, explanans, ait: *Nunc in Christo Iesu vos, qui aliquando*
Eph. 2. *eratis lõgè, facti estis prope in sãguine Christi: ipse enim est pax nostra qui fecit vtraq; vnũ, & medium parietem maceriæ soluens*

ini-

inimicitias in carne sua: legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipsos in vno nouo homine, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem ijs qui prope, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad Patrem. Glorificent eum omnes Angeli, pro tam eximijs donis, Amen.

16. *Salmon genuit Booz de Raab.*

Hæc est Raab illa, quam S. Scriptura appellat meretricem; vel secundum aliam literam, hospitam, quæ hospitio excepit exploratores à Iosue ad considerandam ciuitatem Iericho ablegatos, qui ab ea fideliter occultati fuerunt. Quam etiam ob causam ab ijsdem in destructione Iericho cum tota cognatione sua, quæ in domo eius congregata erat, saluata fuit, qui pro signo ei dederant funiculum coccineum, quem alligare debebat fenestræ, per quam eos dimiserat. *Et hes.*

In his ad viuum repræsentatur nobis mysterium Ecclesiæ; illius potissimùm, quæ ex gentilitate congregata est. Hæc enim SS. Apostolos, quos Christus tanquam exploratores miserat, vt Iericho, hoc est, mundi infidelitatem, & simulachrorũ cultum euerterent, suscepit. Et quemadmodum nemo saluatus fuit in deuastatione Iericho, præter illos qui in domo Raab congregati fuêre: ita nemo in hoc mundo

ſalutem conſequitur, niſi cõſtitutus fuerit intra Chriſti Eccleſiam : hanc verò ſalutem adipiſcitur per ſignum purpureum, hoc eſt, per Chriſti ſanguinem, quo ſignamur in Baptiſmo. Nomen præterea *Raab*, quod interpretatur *amplitudo*, amplitudinem ſignificat Eccleſiæ: quæ extendenda erat per vniuerſum terrarum orbem, quæque ſinum ſuum liberaliſſimè, omnibus intrare volentibus, offert. *CONSIDERA ergo, quomodo hi progenitores Chriſti ſecundùm carnem figuratiuè repræſentauerint, ea quæ Chriſtus operaturus erat in eadem carne, diſponente ſic diuina ſapientia.

17. *Booz genuit Obeth ex Ruth.*

Hæc eſt illa Ruth Moabitis, quæ idolorum cultu, atque omni cognatione relictâ, de terra ſua egreſſa eſt, & Dei populo ſeſe adiunxit; ac proinde per eam repræſentatur nobis etiam myſterium Eccleſiæ: cui dicit Dominus in Pſalmo: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum.* (Pſal. 44.) Ad hæc nomen eius, quod interpretatur *ſatiata* vel *ebria*, mirabiliter ſignat cęleſtem illum panem, & diuinum potum pretioſiſſimi corporis & ſanguinis Chriſti, quo ſatiãtur & inebriãtur à Chriſto cuncti fideles in Eccleſia. Fœlix & beata Ruth, ita dilecta & magnificata à Domino.

18. *Ieſſe genuit Dauid Regem.*

E Regibus & Patriarchis ortum duxit Chriſtus, *Rex Regum & Pater futuri ſæculi,*

li qui Reges facit quos spiritualiter generat. Inter filios Iesse, solus Dauid minimus omnium, & qui tanquam cæteris despectior gregum custodiam agebat in agris electus est. Similiter & Christus *lapis ab ædificantibus reprobatus*, à Iudæis nimirum, qui eum contempserunt & recipere noluerunt, *factus est in caput anguli*, quo vniuersa Ecclesia sustẽtatur. *Egredietur virga de radice Iessę, & flos de radice eius ascendet.* Virga fuit, Maria virgo sanctissima, flos Christus, qui inæstimabili suâ pulchritudine, & odoris sui singulari fragrantiâ, vniuersum mundum lætificat & recreat. Qui de seipso ait: *Ego flos campi & lilium conuallium.* Speciosa est hæc virga, quæ nata est de radice Iesse, sine peccati internodijs: & præclarus flos, qui de ipsa sine vlla læsione egressus est, vt nobis fructum æternę vitæ largiretur.

19. *Dauid genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ.*

Duo hic Dauidis Regis peccata notantur: vnum adulterij, alterum homicidij: ne quis maximorum etiam scelerum reus de venia desperet, quia Christi natiuitas peccatorum remedium est. Et Dauid qui tam grauibus se peccatis obstrinxerat fuit pater eius. CONSIDERA quomodo Deus è malis & flagitijs nostris bona elicere nouerit: Æ peccato namq́ue eduxit medicinam, qua peccato mederetur. Tulit Dauid vxorem Vriæ: curauit vt Vrias maritus eius è medio tolleretur, quo sic scelus suum obtegeret,

&

& eam sibi in vxorem asciscerer. de illa genuit Salomonem qui paterni Regni successor fuit. de huius autem stirpe Christus natus est, cuius generatio non modò Dauidis, sed omnium peccatorum totius mundi remedium & medicina fuit.

20. *Iacob genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.*

Io. 2. Peruenimus nunc ad ipsam auri venam, sub tam multa terra latentem. Nata iam est stella matutina, & post eam Sol iustitiæ qui tam diuturnę & tenebrosæ noctis caliginem effugauit. Apparuit lux in medio tenebrarum. Obuiauimus veritati, post tot figurarum vmbras. Nulla hîc amplius sunt adulteria, nullæ fornicationes, nulla homicidia, nihil nisi sanctitas & puritas. Sanctus est Iosephus, sanctior Maria, & fons totius sanctitatis Iesus. Non fuit pater Iesu Iosephus, sed nutritius eius, matri datus, vt illam custodiret; vt contubernium præstaret, vt deniqùe ab omni calumnia tutaretur. At quia consuetudinis Sacrarum literarum non est, generationes fœminarum describere: ideò sancti Iosephi generatio recensetur, qui de eadem tribu erat, de qua B. Virgo Maria, vt sic cognita Iosephi origine, Mariæ & Christi origo inde cognosceretur.

21. *Sicut lilium inter spinas, sic amica* ...nt. 2. *mea inter filias*, dicit sponsus cœlestis.

Aspice quam spinosus sit truncus, tota Christi genealogia, quæ hîc recensetur, &

considera quomodo sanctissima Virgo Maria de hoc trunco egressa fuerit, non aliter ac lilium quoddam è spinis: tota candida, pura, immaculata, & ab omni peccati spina libera.

22. *Maria*, inquit Euangelista, *de qua natus est Iesus qui vocatur Christus.*

Plura non dicit S. Euangelista in laudem B. Virginis Mariæ, quia hæc dicens, omnia dicit. *Verbum caro factum est*, inquit S Ioannes, *& habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Quibus verbis S. Euangelista Ioannes ea complexus est, quæ si speciatim exprimere voluisset, nullâ ratione potuisset. Simili et & S Euangelista Matthæus B. Virginis Mariæ perfectionem & excellentiam descripturus, dicit, quòd de ea *natus sit Iesus, qui vocatur Christus.* Quibus verbis plus dicit, quã innumeris libris qui in Beatissimæ Virginis laudem scribi possunt, dici potuisset. Ioan. 1.

13. Diuina *sapientia ædificauit sibi domum.* Sapientissimus est Deus. Omnipotens est voluntas & potestas illius. hic ædificauit sibi domum, Beatissimam videlicet Virginem Mariam, & illam mirandum in modum expoliuit, singularibusque ornamentis decorauit, vt tanto habitatori digna mansio præpararetur. Cuius ædificij quanta sit magnificentia, quantusq; ornatus si nosse cupis, considera, quis eam ædificauerit, quis ornauerit, & cui tantum ædificium præparatum fuerit.

24. Hodie concepta est noua Eua, quæ futuri sæculi mater futura, & in qua gratia & sanctitas regnatura erat. Præteriti sæculi in quo dominauerat peccatum, principium fuerunt primi parentes nostri Adam & Eua: huius verò sæculi Iesus & Maria. In illo primo formatus fuit Adam, & de latere ipsius Eua. In hoc verò primum concepta fuit Maria, & è visceribus eius carnem assumpsit nouus Adam Christus: qui in eadem carne, quæ ab Adam descenderat, lapsui eius mederi & nostrę fragilitatis assumptione virtutem & diuitias suas nobis communicare statuerat.

25. Templum illud quod Salomonis
3. Reg. 8. operâ constructum fuit, cum dedicaretur, adeò gloriâ Domini repletum est, vt *Sacerdotes non possent stare in eo & ministrare propter nebulam, quæ domum Domini impleuerat.* Hodiè ædificatum fuit sanctissimum templum, non à Salomone, sed ab ipso Deo: non vt collocaretur in eo arca testamenti, sed vt ipse Deus habitaret in ea. Quis igitur cogitatione consequi valeat quanta fuerit gloria illius?

26. Concipiat in te hodie Maria, anima mea, suam humilitatem, suam obedientiam, suam puritatem, suam sanctitatem, de quibus nascitur Iesus, quia vt idem ipse attestatur:
Matt. 12. *Omnis quicunque fecerit voluntatem Patris eius qui in cœlis est, pater, & mater, & frater, & soror illius est.*

DE

DE S. THOMA APOSTOLO.



Homas vnus ex duodecim qui dicitur didymus, non erat cum alijs discipulis quando venit Iesus. Ioan. 20

CONSIDERA S. Thomam, quia cum cæteris Apostolis non erat, cum illis de visione Christi resuscitati gauisum non fuisse. Pari ratione, caussa tuæ perditionis fuit, quod ab vnione & charitate fraterna te separaueris. Quod Deus per Oseam Prophetam confirmat: *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt*: si te à fratribus tuis per rixas & dissensiones seiunxeris, separabitur à te Deus, & sicuti palmes præcisus à vite peribis. Os. 10.

2. Non effunditur pretiosum gratiæ vnguentum, nec descendit ros cœlestis, nisi supra fratres simul conspirantes, qui vnius eiusdemque inter se sunt voluntatis. Sic etenim cum simul congregati essent Apostoli, delapsus est super eos Spiritus sanctus. Nam Deus *non est dissensionis Deus, sed pacis*, vt ait S. Paulus Apostolus. Qui & alibi dicit: *Rogo vos fratres, vt obseruetis eos qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis faciunt, & decli-* Psal. 32 1. Cor. Rom. 16 In Epist. Can.

declinate ab illis. Hi sunt, inquit S. Iudas Apostolus, *qui segregant semet-ipsos, animales, spiritum non habentes.* Quales sunt Hæretici, qui ad animarum suarũ ęternam pernitiem ab Ecclesia Catholica discedunt. Roga Dominum, vt te nunquam separari permittat ab hoc suo corpore mystico, quod ipse spiritu suo viuificat.

3. Officium Domini est congregare, & ideò Apostolis simul congregatis apparuit. *Ego congregabo oues meas*, dicit Dominus. At dæmonis officium est separare & diuidere. Lupus vnam ouem ab alia seiungit, vt commodius eas deuoret: Eodem modo & Diabolus circuit caulas ouium, *vt leo rugiens quærens quem deuoret*, videlicet, si quem inueniat foras eiectum, sectas nouas spargentem, discordias inter fratres seminantem; aut certè sui ipsius fiduciâ inflatum, seipsum ab alijs separantem.

4. CONSIDERA diuinâ prouidentiâ factum fuisse, vt Thomas veniente Iesu abesset: vt cæteris referentibus dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet. Hac enim ratione nostram fidem corrobare atque confirmare volebat. Expende, quàm pulchrè Deus omnia hæc ordinauerit in gratiam electorum suorum. O sapientem Medicum & Magistrum! qui infirmitates conuertit in medicinam, & ignorantiam discipulorum in doctrinam.

5. Dixerunt Thomæ reuerso alij discipuli: *Vidimus Dominum.*

Statim Christi Resurrectionem, illiusque

que apparitionem ei annunciant, vt participem eum facerent gaudij, quod ex illius conspectu perceperant: Væ tibi superbe & inuide qui soli tibi omnia cupis, solus vis imperare, solus magnus haberi, solus honorari, nec sustinere potes, vt alius quispiam tibi æqualis sit.

6. *Vidimus Dominum*: Hoc est, verum & solidum gaudium. Parum est omnia quæ mundus habet videre: vana enim, fugacia, & caduca sunt, nec illis, quantumlibet ea inspexeris, satiari potest oculus. At Christum intueri, est, eum videre, in quem desiderant Angeli prospicere. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis: Amen quippe dico vobis, quòd multi Reges & Principes cupiuerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Venit Regina Saba ab extremis terræ finibus, vt videret Salomonem. At quæ comparatio est Salomonis & Christi, & visionis Salomonis cum visione Christi?

7. Aspice vt Apostoli non animo extollantur, neque Thomæ se præponant, quia vidissent Dominum, non etiam derideant eum aut aspernentur quod Christum non esset cum illis intuitus. Sed statim accurrunt, & magna cum charitate atque syncceritate explicant ei, Christi communis magistri Resurrectionem & apparitionem, quantoque ex illius aspectu gaudio perfusi fuissent. *Charitas* enim *non æmulatur, non irritatur, non est ambitiosa.* 2. Cor. 13

8. Si iucundum & gloriosum est Christum in humanitate, quam nostri caussa assum-

assumpsit, conspicere: Quantæ fœlicitatis & iucunditatis erit, eum in sua diuinitate contemplari? In hac visione consistit omne
Ioan. 3. nostrum bonum. Hæc est beatitudo essentialis. *Scimus*, inquit S. Ioannes Apostolus, *quòd quando apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*. Et Propheta: *Satiabor*, ait, *cùm apparuerit glo-*
Psal. 16. *ria tua*, Domine. Hoc est; nullam tunc amplius rerum præsentis vitæ famem patiar.

9. CONSIDERA probos seruos de præsentia Domini & illius aspectu lætari; malis autem ingens tormentum esse, Dominum præsentem cernere, imò de illius absentia maximopere gaudere; quod, tunc, videlicet, à nemine in suis sceleribus obseruentur. Eodem modo iusti cum Propheta Dauide dicunt: *Faciem tuam Domine requi-*
Psal. 26. *ram*. Impij autem: *Recede à nobis, scientiam*
Prou. 15. *viarum tuarum nolumus*. Verum quocunque abeant, nunquam se poterunt abscondere ab eo, qui *in omni loco contemplatur*
Prou. 15. *bonos & malos*, & omnia illorum dicta, facta & cogitata perspicit.

10. *Nisi videro*, ait S. Thomas, *in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam*.

Nimia fuit hęc Thomę incredulitas, quę tot & tam efficacia visus testimonia requirebat. Disce hinc non facilis esse in credendo, specialiter in illis, vbi de salutis tuæ periculo

periculo agitur. *Qui enim citò credit, leuis est corde.* Eccl. 19. *Nolite credere omni spiritui,* dicit S. Ioannes. 1. Io. 4. Credit leuiter Propheta, qui à Deo ad Ieroboam Regem missus fuerat, vt contra altare ab eo erectum in Bethel prophetaret, & in reditu dilaceratus fuit à Leone. 3. Reg. 13. *Surgent,* dicit Christus, nos admonēs, Mat. 24. *Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur si fieri potest etiam electi. Si ergo dixerint vobis; Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere.* Contra horum verò dolos & fallacias, nullum certius remedium est, quàm illud quod à Christo subiungitur: *Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquilæ.* Sequere igitur corpus mysticum Ecclesiæ, in qua sunt aquilæ perspicacis visus, quæ circumueniri nequeunt, vt aliud pro alio vsurpent. Non est Christus, neque veritas, in deserto extranearum & peregrinarum opinionum; neque in angulis doctrinæ absconditæ, sed in Ecclesia Romana visibili, quæ successione ab Apostolis, qui Christum viderunt, & ex ore ipsius normam fidei, atquè viuendi præcepta didicerunt, accepta; eadem quæ illi docuerunt, non in angulis, sed palam in totius orbis conspectu docet ac profitetur. Huic Ecclesiæ non credere, & doctrinæ ipsius se nolle subijcere, detestabilis est superbia.

11. *Nisi videro, & tetigero manibus meis, non credam.* Sine ratione loqueris S. Thoma. Quod enim cernitur & palpatur, fidei non

non subiacet; Fides enim est eorum, quæ non visu, sed auditu percipiuntur, neque oculis aut manibus vsurpari possunt. Animi indisciplinati est nolle credere, nisi ea quæ videntur & tanguntur. Tam enim est necessarium vnum alteri fidem adhibere, vt hac sublatâ nulla possit inter homines firma & stabilis esse societas aut commercium. Credimus in Christiana religione multa quæ nec aspectu, neque tactu, sed neque ratione aut argumentis consequi valemus; quæ tamen tam stabilibus & firmis nituntur fundamentis, tantisque veritatis roborata sunt testimonijs, vt nec ipse Deus futurus esset Deus, si ea quæ fides docet, vera non essent, aut ijs vel minima falsitas inesset. Hinc S. Petrus ait in sua Canonica:

2. Pet. 1. *Non indoctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & præscientiam, sed speculatores facti magnitudinis illius. Accipiēs enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum huiusmodi à magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Gratias redde Domino pro beneficio, quod te vocauit ad hāc fidem & pro illustribus testimonijs, quibus eam ad nostram consolationem & corroborationē confirmauit, ne nos in hoc exilio, in quo ambulamus per fidem, vacillare-

aremus.

12. Non indignartur Apoſtoli contra S. Thomam, propter illius incredulitatem, quodque tam floccifaceret ipſorum teſtificationem, dictiſque & aſſertioni eorum nullam fidem adhiberet, eò quòd ſcirent Fidem eſſe donum Dei. Vera charitas, illis quos errantes videt, compatitur; falſa autem indignatur. Meminerant Apoſtoli, quod quodam tempore cum Chriſto ad quandã ciuitatem Samaritanorum proficiſcentes, cum non admitterentur, & SS. Iacobus & Ioannes ex inordinato zelo dixiſſent: *Domine vis dicimus vt ignis deſcendat de cælo & conſumat illos?* increpati fuiſſent à Chriſto dicente: *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis? Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare.* Diſce non indignari proximis, propter errores & defectus quos in illis cernis; ſed compati, & pro illis ex deſiderio ſaluandi eos apud Deum intercedere. *Luc. 9.*

13. *Poſt dies octo iterum erant diſcipuli intus, & Thomas cum eis: Venit Ieſus ianuis clauſis, & dixit eis: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam & mitte in latus meũ: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Ego cuſtodiã oues meas,* dicit bonus paſtor, *& non rapiet eas quiſquam de manu mea.* *Ioan. 10.*

Incredulus erat S. Thomas, at ſollicitudo boni paſtoris effecit, vt non periret in infidelitate ſua. Perijt filius perditionis, quia

quia perire voluit, sed sanctus Thomas erat ex perexiguo illo grege quem Christus elegerat. *Ecce ego ipse requiram oues meas,* dicit Dominus, *& visitabo eas. Quod perierat requiram, & quod abiectum erat reducam, & quod confractũ fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat consolidabo, & quod pingue & forte, custodiam.* CONSIDERA quàm perfectè Christus bonus pastor hęc in S. Thoma adimpleuerit. Ama igitur eum, & pudore suffundere, quòd sis ouis adeò debilis & infirma, sub cura tam solliciti pastoris.

Eze. 3

14. Permisit Christus dies octo pręterire, vt videret an Thomas reuerteretur in semetipsum & an cæteri Apostoli possent illum ad credendum inducere; postea quam verò illum, nec in semetipsum redijsse, nec cæterorum Apostolorum persuasione ad credendum inductum fuisse, animaduertit, venit Christus, vt tanto amplius manifestaretur eius bonitas & misericordia, quanto miseria Thomæ Apostoli maior erat; & vt tanto clariùs cernerentur efficacissima argumenta, quibus Thomam ad credendum induxit: quibus nimirum illum, qui tam diu in incredulitate sua perseuerauerat, nec vllis aliorum Apostolorum rationibus aut assertionibus persuaderi poterat, vt Christum resurrexisse crederet, ita immutauit, vt nihil cõtradicere posset, nec vllam in animo dubietatem retineret. Quod totũ ad nostram vtilitatem gestum est, ne nos postea cum S. Thoma resurrectionem Chri-

sti in dubium reuocaremus, sed captiuaremus intellectum nostrum in obedientiam Christi, & sanctæ illius fidei.

15. Ingreditur Christus ianuis clausis, quemadmodum antè ingressus fuerat: salutat Apostolos eadem Salutatione, quâ prius illos salutauerat, vt ex his Thomas cognosceret, priorem Christi apparitionem quam ex cæterorum Apostolorum narratione didicerat, sed ei fidem adhibere noluerat, veram extitisse; atq; Apostolos vera dixisse: vtq; incredulitatem discipuli sui nihil esse immutatã, seq; eadem benignitate qua in cæteros vsus fuerat, erga discipulum vti demonstraret. Quid fieret de te anima mea, nisi talem nacta esses Pastorem & Patrem: tam inquam bonum & patientem, tamque misericordem. Humanæ miseriæ quæ maxima est, nullum inueniri posset remedium, nisi tanta misericordia præditus esset is, qui eam reparare incumbit. *Quis est hic liber repudij matris vestræ, quo dimisi eam?* dicit Deus. Aut *quis est creditor meus, cui vendidi vos? vt exoluam id quod debeo*: quasi diceret: Non ego vos ieci à me, nec expuli vos è domo mea: *Ecce enim in iniquitatibus vestris venditi estis, & in scelribus vestris dimisi matrem vestram,* quia *veni & non erat vir; vocaui, & non erat qui audiret*: veruntamen *nunquid abbreuiata & paruula facta est manus mea, vt non possim redimere,* quamuis propria voluntate vestra vosmetipsos vendideritis? aut *non est in me virtus ad liberandum,* Isa. 10.

D

dum, quamuis vosmetipsos dęmoni captiuandos tradideritis? *Quis est ex vobis*, dicit Propheta, *timens Dominum, audiens vocem*
Isa. 50. *serui sui? Quis ambulauit in tenebris, & non est lumen ei? Speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.*

16. Conuersus Dominus ad Thomam, dicit ei: *Infer digitum tuum huc & vide manus meas, & affer manum tuam & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Infirmo loquebatur, & ad vulneratum conuertebat se, cuius vulneribus medebatur. Neque id mirum, cùm ea pro totius mundi vulneribus curandis exceperit. Deinde quicquid petierat, concessit ei Christus, quasi ex ipsius fide lucrũ aliquod eximium Christus reportaturus fuisset. Nam amor eum fecit nostra lucra ęstimare veluti propria, atque illa etiam cùm proprij sanguinis & vitæ dispendio quærere ac procurare. Disce hinc, æquo animo tolerare defectus fratrum tuorum, in eorum vulneribus curandis non fatigari, nec vlli labori parcere, de illorum correctione non statim desperare; nec denique existimationis tuæ curã habere, in eo quod prior fratrem tuum adeas, si ipse ad te venire recusat: quod quæ ipse cupit, facias, & eius voluntati, tuam mortificando, morem geras. Ne dixeris: Quamuis hoc mihi faciendum sit, quod ipse vult, nolo tamen rogare illum. Attende quomodo se Christus circa S. Thomam gesserit, & quomodo se tecum indies gerat. Disce præterea in quo con-

consistat perfecta charitas. *Non quærit quæ sua sunt. Patiens est: benigna est: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Demum expende tecum incomparabilem thesaurum esse salutem vnius animæ, ideoque rationi consentaneum esse, quòd pro illius saluatione omnis labor & diligentia adhibeatur; quandoquidem Deus eam propriæ vitæ profusione comparauit. 1. Cor. 13

17. *Infer digitos tuos in manus meas, & mitte manum tuam in latus meum.* O nouam chirurgiam, & nouam methodum sanandi vulnera. Vulneratus, cui sanitas conferenda erat, tāgit vulnera chirurgi curata, & ex illorum contactu sanatur, hoc est, Supremus ille chirurgus vulneribus nostris medetur, non per phlebotomiam, nec per ignis cauteria, sed per propria vulnera. Nam vulneribus ipsius, quæ nostri causâ suscepit, admiranda virtus & efficacia ad vulnera nostra sananda inest, quæ quoties viuâ fide contingimus, toties sanitatem consequimur.

18. Quid hoc est Domine, non vis tangi à Maria Magdalena quæ ingenti amore tui flagrabat, quæque cùm primo diluculo ad sepulchrum accessisset, teque ibi non repe-risset, amarè plorabat, nec vllam consolationem, ne angelicam quidem, admittebat: quæ demum ad vnicam vocem, quâ illam nomine suo compellasti, te statim agnouit: & Thomæ incredulo te palpandum & tangendum exhibes? Sed medicina seruabatur infirmo, Luc. 19

infirmo,& vulnerum contactus vulnerato. Denique sicut Pater filio, in eadem domo secum habitāti, nunquam dedit hœdum vt cum amicis suis epularetur; reuerso autem filio prodigo, iussit mactari vitulum saginatum. quia hac ratione multò magis manifestatur Dei bonitas, quod nimirum ab illa, non à nostris meritis, vniuersa beneficia quæ nobis exhibet, proficiscantur.

19. *Dominus meus & Deus meus*, ait S. Thomas.

Lætantur cæli quia credidit incredulus. Exultant Angeli, quia ouis perdita inuēta est. Gaudium ineffabile Christo & cæteris SS. Apostolis fuit de tua, ô S. Thoma, fide, pro qua tu etiam magistro optimo gratias refers maximas; non aliter ac is qui è profundo somno excitatur, aut qui de tenebroso carcere egreditur, in quo dudum absque lucis aspectu reclusus fuerat; aut demum is, cui visus post longam cęcitatem restituitur. Dicit ergo: *Dominus meus & Deus meus*. quasi diceret: Quàm grauis somnus erat is quo paulò antè oppressus tenebar? Quæ tenebræ, quæ cæcitas, quæ caligo mentem meam occupauerat, quòd te Solem iustitiæ non cernerem. nulla nunc in corde meo residet incredulitas, Dominus meus & Deus meus es tu. Hoc pacto decebat confirmari columnas Ecclesiæ, atque ita roborari congruebat illos, per quos totius mundi incredulitas sananda erat, vt certissimi essent de illa fide, quam prædicare debebant, Ex his aduerte, cuncta

hæ

hæc ad tuum profectum ordinata fuisse; & pro tanto beneficio refer Deo gratias.

20. O mirandam vulnerum Christi efficaciam! Fœlices qui die ac nocte semper illa præ oculis habent, qui os suum indesinenter hisce carnalibus, è quibus cælestis dulcedo hauritur, accommodant. Fœlices sanctæ illæ columbæ, quæ nidos sibi constituunt in his *foraminibus petræ, & cauernis maceriæ*; in Christo nimirum crucifixo, qui loco maceriæ & muri constitutus est inter Deum & homines, vt illius iram & furorem mitiget. Cant. 2.

21. *Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt & crediderunt.*

Quasi diceret; Gratiæ manibus meis & lateri, quæ si non fuissent, tu perijsses. Vidit & tetigit S. Thomas vulnera Christi, & credit illius Resurrectionem. Neque hoc tantum, sed & diuinitatem eius, ad quam inuendam non suffecisset visus exterior, nec vulnerum contactus, nisi Deus vulnerum suorum virtute interiùs eum illuminasset, confitens eum Deum ac Dominum suum esse profitetur.

22. Dic & tu viuâ fide; *Dominus meus & Deus meus.* Time illũ ac famulare illi tanquam Domino tuo. Adora eum, & reuerere veluti Deum tuum Ama eum vti amantissimum Patrem. Non sit amplius Dominus & Deus tuus, honor aut proprium commodum, aut quæuis terrena voluptas. Desine seruire dijs alienis, qui sibi seruienti- Ier 21.

 bus

bus requiem nullam permittunt. Exime te à tyrannide dominorum horum tam crudelium: dirumpe catenas & vincula peccatorum, quibus te vinctum tenent: excute graue istud iugum quod ceruicibus tuis imposuerunt. Domine qui meam desideras libertatem: Deus qui vitam meam vis, te quæro, te amo, te adoro, tuus sum, & tuus esse cupio in æternum.

IN FESTO S. STEPHANI PROTHOmartyris.



Matt. 23. *Icebat Iesus turbis Iudæorum & Principibus Sacerdotum: Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes & scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.*

Considera Varietatem donorum quæ Deus inter ministros Ecclesiæ dispertitur: aliquos

aliquos quidem Prophetas constituens, quosdam singulari dotans sapientiâ quâ etiam alios possint instruere: nonnullos Euangelistas faciens, ad scientiam & doctrinam cæterorum, quæ dona disertè ac luculenter commemorat S. Paulus in ep. ad Cor. Hæc autem omnia in ædificationẽ Ecclesiæ, vt illa veluti domicilium aliquod insigne & valdè augustum, singulari arte atque industriâ construeretur: & veluti congregatio quædam clarissima atque sanctissima omnibus partibus & donis, ad sui gubernationem, maximamque quam habere posset maiestatem ac splendorem, requisitis, constaret. De qua Propheta loquens in spiritu ait: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circũdata varietate.* Lauda igitur Deũ & gratias ei redde pro cũctis hisce donis, quibus ornauit Ecclesiam suã, eo quod omnia hæc tuę seruiant vtilitati. 1. Cor. Psal. 4

2. Disce honorare ministros Ecclesiæ. Nam Deus illos ad tuam salutem mittit. Si enim Legatis regum terrenorum tantus honor & reuerentia habetur, quantus exhibendus erit Legatis regis cœlestis? *Pro Christo legatione fungimur*, ait S. Paulus. *tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* O fœlicem legationem! quis eam respuat? Reputa tecum quod idem tecum loquantur ministri Ecclesiæ, quos vides; & redde responsum Deo intus in corde tuo tale, quale postulat hæc legatio. 2. Co

3. CONSIDERA Vnum ex grauissimis

flagellis, quibus Deus homines castigat, esse, quod hosce legatos ac ministros suos, qui eis lucem præferant, atque doctrinâ & exemplo suo illos pascant & erudiant, illis subtrahat. *Ecce dominator Dominus*
Isa. 3. *exercituum*, ait Propheta Isaias, *auferet à Ierusalem, & à Iuda validum & fortem: omne robur panis & omne robur aquæ; fortem & virum bellatorem, Iudicem, & Prophetã & ariolũ & senem; Principẽ super quinquaginta, & honorabilem vultu & consiliariũ & sapientẽ de architectis, & prudentem eloquij mystici. Et dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.* Precare Deum ne hoc genere castigationis in populum suum Christianum animaduertat. Si enim omnibus hisce auxilijs muniti, tam fragiles sumus, & ad vitiorum nostrorum correctionem tam tardè accingimur, quid fieret si ista nobis deessent? Quid tum aliud de populo sperari posset, quàm ingens & irreparabilis ruina?

4. *Ego mitto ad vos*, dicit Dominus.

NONNVLLI sunt, qui à proprio spiritu missi, & à Diabolo tanquam lupi & latrones, mittuntur, vt demoliantur vineam Domini. à quibus vt caueamus admonet nos Christus, dicens: *Attendite à falsis Pro-*
Matt. 7. *phetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Et vt cognoscamus eos, adiungit: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Fructus eorum sunt sermones & opiniones, Ecclesiæ Catholicę opinionibus & doctrinæ repugnãtes.

tes. Fructus eorum sunt, inobedientia & contemptus Prælatorum, sanctorumque Ecclesiæ Doctorum, necnon Romani Pontificis, supremi Christi in terris Vicarij. Fructus eorum sunt, impuritates scelerum, libidines, crapulæ; ac denique tota vita eorum bestijs ratione carentibus, quàm hominibus similior. Et quamuis nonnunquam virtutis aliquam speciem de se præbeant, paulò post tamen, quod intus latebat, patefaciunt. Roga Dominum vt populum suum ab hisce lupis tueatur, illosq; à prioris vitæ erroribus conuersos, & è lupis in agnos & oues mutatos, ad ouile suum aggreget.

5. Noli festinare, noli currere antequam mittaris: noli sollicitare Prælatos tuos, aut importunis petitionibus eis molestus esse, proficiscatur ab ipsis, non à te, missio tua. CONSIDERA, inordinatum hoc desiderium declarare, te non Deum, sed propria commoda quærere. Expende tecum huic desiderio facillimè sese ingerere vanitatem, aliasque quàm plurimas deceptiones: optimos etiam quosque & sanctissimos viros, qui ad huiusmodi officia & ministeria obeunda essent aptissimi, cùm ad ea vocantur, contremiscere. Vide igitur, quomodo hæc officia suscipias, & quomodo eadem administres, quàm videlicet purè propter Dei gloriam & salutem proximorum tuorum; quàm minimo ad tua commoda respectu; quanta cum humilitate, quanta vitæ innocentia. Et si hęc in te non inuenis,

precare Dominum vt tales operarios mittat in vineam ſuam, quales ipſe deſiderat, & qualibus populus ipſius opus habet.

6. CONSIDERA Nullam horum miniſteriorum neceſſitatem futuram in Eccleſia triumphante. Hinc S. Paulus ait, quod
Eph. 4. *Deus dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores in ædificationem corporis Chriſti*, myſtici videlicet, quod eſt Eccleſia. Quid enim opus erit Prophetis, vbi omnia cernuntur in verbo diuino? Quod ibi officium executuri ſunt Sapientes & ſcribæ, vbi Deus erit noſtra ſapientia, in quo velut in libro legemus omnia? Nam Deus tunc erit omnia in omnibus, nec quiſquam aliquid cupiet extra ipſum. O ſtatum fœliciſſimum, & nullâ imperfectione permixtum!

7. CONSIDERA Quàm profunda ſit mūdi cæcitas, qui miſſos à Deo ad illius reparationem & inſtructionem perſequitur. Mēte captus cenſetur infirmus qui medicum repudiat, & contra eum inſurgit. Et quid mirum quod perſequatur Chriſti miniſtros, qui perſecutus eſt ipſummet Chriſtum mundi Saluatorem? Qui mēdacium diligit, odit veritatis præconem. Qui ſemper iucundè in peccatis ſuis & impuris carnis libidinibus volutari deſiderat, odio habet monitorem, qui eum de ſuis ſceleribus reprehendit, diuinumque iudicem omnia intuentem, à quo iudicandus ſit, & ignem infernalem, quo, niſi pœnitentiam egerit, cru-

cruciandus sit, ante oculos ponat. Audi Prophetam Isaiam ipsos pulcherrimè depingentem. *Populus*, inquit, *ad iracundiã prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus: Nolite videre: & aspiciẽtibus: Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt; Loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Israel.* Aduerte ad quantam mentis duritiam & obstinationem, qui appetitiones & ordinata desideria sua sectatur, deueniat: & time ne ad tam detestabilem statum deuoluaris. Isa. 30

8 *Ex illis occidetis*, dicit Dominus, *& crucifigetis.*

Occidi potest aliquis ex ira subita, sed vt in crucem aliquis agatur, longius requiritur temporis spatium; ideoque maioris iræ, quæ non statim transeat, sed diuturnã in animo moram faciat, argumentum est. *Et ex eis flagellabitis in Synagogis vestris.* Maius hoc est, quod ministri Dei rideantur & malè tractentur, cum totius communitatis consensu *Et persequemini de ciuitate in ciuitatem.* Id maximi odij & malitiæ signum est, quòd magnis etiam terrarum interuallis ab eis defuncti, sustinere tamen non possunt, vt ibi quietè viuant adeoque nullum in vniuerso mundo locum habeant, in quo tutò delitescere queant. AEgrè fert diabolus sibi dominium illud, quod hactenus in vniuerso mundo tenuerat, eripi: & animas iam dudum à se possessas, è ma-

nibus suis extorqueri: ac proinde atroces in ministros Christi persecutiones excitat: sed hi conatus nihil ei prosunt: nam qui eos mittit, roborat illos, contra omnes persecutionum procellas, & facit vt etiam superati victoriam reportent, & eos ipsos, à quibus persecutionem patiebantur, conuertant.

9. CONSIDERA maximas vtilitates, quas Deus è persecutionibus ministrorum suorum elicit. Primò enim per eas, ipsi qui persecutionem sustinent, ęternas & immarcescibiles in cælis coronas sibi acquirunt. Deinde prouenit ex eis ingens diuinæ Maiestati gloria, pro cuius amore tam libenti promptoque animo mortem subeunt, & sanguinem profundunt. Denique ex illis ædificantur fideles, quibus hac ratione animus additur, ne tribulationibus & aduersitatibus pressi deficiant, cùm vident plura tormenta Martyres tolerare posse, quàm alios inferre: & antè Tyrannos fatigari in infligendis, quàm Martyres Christi in sustinendis cruciatibus; adeoq; ab illis vinci, quos vita spoliant. O ingentem Martyrum Christi gloriam!

10. Contristantur sępè homines rudes & imperiti in persecutionibus huius mundi; quod putent, se non propter Ecclesiam persecutiones pati: sed si accuratè considerent, ex illis lætari debent. *Nemo vestrûm*, dicit S. Petrus, *patiatur quasi homicida,* [1. Pet. 4.] *aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus, non erubescat:* glo-

glorificet autem Deum in isto nomine. Quod si dicas: non persequuntur me, quia Christianus sum, sed quia virtutum studijs incumbo: & quia per calumniam ea mihi falsò affingunt, quorum reus non sum. Audi quid dicat Christus: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Non ergo tristari debebis in persecutionibus, vndecunque etiam proficiscantur; si cælesti lumine illustratus es, & crucem Christi diligis. *Matth. 5*

11. Molestè ferunt nonnulli, quando vident dominiū esse penes impios: vitijs honorem haberi, virtutes verò ab impijs irrideri: iustos iniquorum iudicia subire, & à iudicibus omni scelere contaminatis, tam seuerè vitam iusti examinari, scrutariq́ue singulatim omnes cogitationes & verba illius; sicq́ue virtutem & iustitiam obscurari, atque omni honore priuari. Sed consideret seruus Dei, omnia hæc multo excellentiùs reparari per patientiam, quæ facit, vt vita iusti eò clariùs resplendeat, quò alij eam magis offuscare tentant. Cogitet etiam præsens tempus diem esse impiorum; successuram verò esse aliquando aliam diem, quâ omnis hæc iniuria coram vniuerso mundo detegetur, virtutiq́ue honor debitus restituetur.

12. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram.* Tanquam qui flagellis præteritis non modò non erant meliores effecti, sed etiam deteriores. Attende quod iustus iudex omnia minutissimè

ſimè atque exactiſſimè ponderet, non tantùm ingratitudinem ob ſuſcepta beneficia, verumetiam duritiam & obſtinationem, quod nimirum per flagella& caſtigationes immiſſas, nihilo meliores effecti fuiſſent.

13 Non obliuiſcitur Dominus ſanguinis iuſtorum iniuſtè fuſi: quem etſi ſtatim non vindicet, tempore tamen ſuo eum vlciſcetur. *Vox ſanguinis fratris tui Abel*, à te effúſi, *clamat ad me de terra*, vindictam poſcens, ait Deus ad Cain. Vidit S. Ioannes in Apocalypſi *ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei & propter teſtimonium quod habebant: Et clamabant voce magna dicentes: Vſquequò Domine ſanctus & verus, non vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terra?* Quòd ſi ſanguis effuſus, huiuſmodi voces emittit, quos clamores in cœlum tollent animę, negligentiâ Prælatorum, quorum officium eſt curare animas, aliorumq́ue malis exemplis perditæ? *Paſtores*, ait Propheta Ezechiel, *audite verbum Domini. Viuo ego, dicit Dominus Deus: pro eo quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium beſtiarum agri: eo quòd non eſſet paſtor: neque enim quæſierunt paſtores mei gregem meum, ſed paſcebant paſtores ſemetipſos, & greges meos non paſcebant: propterea paſtores audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipſe ſuper paſtores, & requiram gregem meum de manu eorum:* magnoque illis conſtare faciam

Geneſ. 4.

Apoc. 6.

Eze. 34.

omnem

omnem ouem quæ perierit.

14. Si ſanguis iuſtorum effuſus ita vindicatur, quomodo vindicandus edit ſanguis iuſti iuſtorum Chriſti Redemptoris noſtri effuſus pro peccatis noſtris, ſi peccando per nos fuerit conculcatus & contemptui habitus? Clamat pretioſiſſimus hic ſanguis & miſericordiam, veniamque peccatoribus, illis etiam qui eum effuderunt, modò conuerti & pœnitentiam agere voluerint, à Deo Patre poſtulat. Sed contra eos, qui in peccatis ſuis perſeuerantes, illum pedib. proterunt & contemnunt, flagitat iuſtitiā, quæ ſeueriſſimè exercebitur. *Irritam quis* Heb. 10 *faciens legem Moyſi*, ait S. Paul. *ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit?* illius videlicet teſtamenti noui, & pacti, quod conſtitutum eſt inter Deum & homines per Ieſum Chriſtum Dei filium.

15. O quanti doloris eſt, videre ſanguinem tam pretioſum, tantis cum cruciatibus & tanto cum amore pro hominum redemptione profuſum, tam exiguum in hominibus fructum facere; imò ab illis, pro quibus ſparſus fuit, contemni & floccifieri. Cuius rei gratiâ dole; & ſenti hoc ipſum in anima tua. *Fratres*, ait S. Petrus Apoſtolus, *in timore incolatus veſtri tempore conuerſamini: ſcientes, quod non corruptibi-* 1. Petr *libus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis; ſed pre-*

pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati.

16. *Amen dico vobis, venient hæc omnia,* videlicet sanguinis iustorum effusi vltio, *super generationem istam.*

Hoc adimpletum fuit in vrbis Hierosolymitanæ subuersione, quando completa fuit malitia eorum, & mors Christi ad summum vsque peruenit. *Reliqui domum meam,*
Hier. 16. dicit Deus per Ieremiam Prophetam, *deserui hereditatem meam, dedi illum quem diligebat anima mea, in manus inimicorum suorum: facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua: dedit coram me vocem, ideo eam abhorrui.* Efficeretur ex hac castigatione sapientior. CONSIDERA in his, vti S. Paulus
Rom. 11. Apostolus ait, *bonitatem Dei & seueritatem: in eos quidem qui ceciderunt seueritatē: in te autem bonitatem,* quâ te tolerat & fouet, modò perseueraueris in bonitate: alioqui seuerè etiam in te animaduertet: *Securis enim ad radicem posita est: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

16. *Hierusalem, Hierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt! quoties volui congregare filios tuos quemadmodũ gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Fuerunt verba hæc magna ex animi compassione & commiseratione à Christo prolata: sicut & lachrymæ quas propter Hierosolymam fudit, cùm consideraret deuastationem illius. Coactus, & contra voluntatem, magnoq; cum dolore

Deus

Deus nos castigat. Hinc est quod ait: *Heu vindicabor ego de inimicis meis.* Inde etiam Isa. 1.
proficiscitur, quòd antequam flagellet, dudum nos expectat; multisque vijs & rationibus, nos ad conuersionem & pœnitentiam inducere conatur, offerens nobis veniam & misericordiam. *An diuitias bonitatis eius,* ait S. Paulus, *& patientiæ & longanimitatis contemnitis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundū autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei*, qui reddet vnicuique secundùm opera eius. Nos igitur prouocamus iram Dei, nos cogimus illum manum mittere ad gladium, & contorquere aduersùm nos arcum suum, nolente ipso *mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat.* CONSIDERA misericordiam & clementiam Dei, tam tenero cum affectu deplorantis destructionem ciuitatis Hierosolymitanæ; quæ erat prophetarum interfectrix, & nunciorum Dei lapidatrix: quæ etiam præter hæc omnia manum iniectura erat in Dei filium, à Deo Patre missum, qui tot vijs & tanto cum amore bonum eius quæsierat, illumque post crudelissima supplicia, ignominiosæ neci datura erat. Non habent terminum misericordiæ Domini. Rom. 2.

18 CONSIDERA Deum nihil aliud desiderare & quærere, quàm vt nos colligat sub alis protectionis suę, sub quibus defendamur & protegamur ab incursibus inimi-

corum

corum nostrorum. Hinc ait: *Quare Israel factus est in prædam? Super eum rugierunt leones, & dederunt vocem suam propter gaudium prædæ quam tulerant.* quasi diceret: Cùm ego paratus sim Israelem colligere ac reparare, cumque illam sub protectionem & vmbram meam inuitem, cur in eum ita sæuierunt hostes eius, tantamque in eo stragem fecerunt? *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.*

Ierem. 2.

Ose. 13.

19. *Quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas.*

O summum amorem! O pietatem infinitam! Inter cuncta animantia gallina singularem erga pullos suos amorem demonstrat; nam pro illis infirmam se facit, immutat vocem & colorem, atque in se infirmitatem eorum quasi transformat; operit eos alis suis, calefacit, & pro eis contra miluum decertat. Ita & Christus Redemptor noster, assumpsit infirmitates & dolores nostros, & ille *candidus & rubicundus, electus ex millibus speciosus forma præ filijs hominum*, faciei suæ colorem, in Cruce, in pallorem conuerti passus est. Idem terrificam vocem suam, quâ populo suo terrorem priùs incutiebat, mutauit in vocem suauem & piam, vocantem pullos suos & dicentem: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, & requiem inuenietis animabus vestris.* Defendit etiam & protexit nos, suscipiens in se scelerum nostrorum pœnas & flagella quæ pro peccatis nostris merebamur. Operuit deniq

Matt. 11.

denique & calefecit nos sub alis suis, quas extendit in cruce, vbi reserauit latus suum, vt nos intra viscera eius commoraremur.

20. CONSIDERA Quantam protectionem ac tutelam, quantum robur, quantumque calorem percipiant animæ sanctæ sub alis diuinæ protectionis. *Pone me Domine iuxta te, & sub alis tuis absconde me*, dicit S. Iob. *& cuiusuis manus pugnet contra me.* hoc enim si feceris neminem timebo. *Laudabit te Domine*, ait Propheta Esaias, *populus fortis, quia factus es fortitudo pauperi. fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, vmbraculum ab æstu. In vmbra alarum tuarum sperabo*, ait S. Dauid Propheta, *donec transeat iniquitas*. Et alibi: *Custodi me Domine vt pupillam oculi, sub vmbra alarum tuarum protege me.* Qua sententia indicare voluit, iustos non aliter custodiri aç defendi à Deo sub vmbra alarum ipsius, ac pupillam oculi. Nam ipse ait: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Quid aut maius aut excellentius his cogitari potest?

Iob. 17
Isa. 25
Psal. 5
Psal. 1
Zach.

21. Noluisti, dicit Christus, à me congregari filios tuos, cùm pacem illis offerrem. Non potuit magis ingratitudo & beneficiorum acceptorum obliuio, ingensque & inexcusabile peccatum Israelis exaggerari. *Quid est quod vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci?* CONSIDERA quantæ amentię & ingratitudinis sit, nolle acquiescere Deo, inuitanti nos ad talem susceptionem.

Isa. 3

nem. Quem enim inuitat,niſi eum qui inimicis & periculis innumeris circũdatus eſt; qui in vmbra mortis continuò verſatur; cui nullus locus extra Deum vbi ſe occultare poſſit, ſupereſt: qui præter hæc inermis & ad reſiſtendum valdè imbecillis eſt? *Cõgregare volui*, dicit, *filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos.* Quia nos reuerà tales ſumus. Non enim pullus ex ouo recenter egreſſus, tam eſt inops virium tamq; omni caret defenſione, ſicuti homo. Naſcitur enim plumis veſtitus, mox granis natura inſtruente ſuſtentat vitam ſuam, pedibus ſuis ingreditur: nos autem nudi in lucem edimur, maledictione tantùm veſtiti,
l. 181. quâ non ſolum à capite vſque ad pedes tãquam veſtimento operimur, verumetiam ſicut oleum intrat in oſſibus noſtris, nos pondere proprio noſtri ipſorum, ad terrã allidimur, in pedibus conſiſtere non valentes: oreque aperto venenum ſequimur, neſcientes inuenire cibum nobis conuenientem, niſi ingeratur ori noſtro. Hi ergo pulli, ſi gallinam deſerant, quid de illis ſperari poteſt?

22. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.*

Manſit enim templum Hieroſolymitanum deſolatum & deſertum, nec potuerũt vltrà ad illius ædificationem reuerti. Qui pacem & ſuſceptionem à Deo illis oblatam repudiant, in eos hoc genere pœnæ Deus plerumque animaduertit, vt illos deſerat & ſolos relinquat. Roga Dominum vt te faciat

ciat intelligere, quàm graue sit hoc flagelli genus. *Derelinquetur filia Sion vt vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario*, quæ post vindemiatam vineam & cultos cucumeres alium vsum non habent, quàm vt cedant in habitaculum lacertarum, testudinum, & similium animalium. *Isa. 1.*

23. Demum concludit, dicens: *Dico vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis; Benedictus qui venit in nomine Domini.* Quod referri debet ad tempus mortis Christi: Post illã enim non visuri erãt eum amplius Iudæi, donec venturus esset iudicare viuos & mortuos cum potestate magna & maiestate: quando etiam inuiti omnes confessuri erunt, illum esse filium Dei Patris. Quasi diceret: Quandoquidem nunc ad vestram salutem me agnoscere recusatis, postea me inuiti etiam, ad vestram damnationem agnoscetis & confitebimini. Et quia modò cum salutem vobis offero & vos ad eam inuito, me suscipere abnuitis: postea cùm venero Iudex viuorum & mortuorum, æternam vobis maledictionẽ imprecabor. *Nunc*, anima mea, *est tempus acceptabile, nunc est dies salutis. Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Cõfitere modò, Christum esse Saluatorem tuum, & vt talem suscipe illum, dicens: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, vt nimirum nobis in præsenti vita salutem & gratiam, atque in futura sempiternam gloriam conferat. *Psal. 9*

IN

IN FESTO S. IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTAE.

Ioan. 21. *Ixit Iesus Petro: Sequere me.*

Posteaquàm constituisset Christus Petrum ouium suarum Pastorem, vt intelligeret, moriendũ sibi esse pro illis, sicut & ipse mortuus fuerat, dixit ei: *Sequere me.* Videlicet per crucis semitam, quam ipse perambulaui. quasi diceret: Non te constitui Pastorem ouium, & meum in terris Vicarium, vt propterea in superbiam erigaris: neq; vt domineris eis, sicut Principes cæterarum nationum: nec vt te delitijs & otio tradas, atque ex lana ouium fructum percipias: sed vt humilis sis quemadmodum ego: patiens sicut ego: diuitiarũ & honorum huius mundi contemptor sicut ego: & denique vt mortem amore mei subeas, sicut ego amore tui. Iuxta hanc doctrinam quam optimè S. Petrus Apostolus perdidicerat alibi Ecclesiæ Prælatos sic
1. Pet. 5. alloquitur: *Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè sed spontaneè secundum*

cundùm Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque vt dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo: & cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam. CONSIDERA doctrinæ huius sanctitatem & excellentiã: & collige hinc quanto amore flagret Deus erga oues suas, quibus de talibus Pastoribus prouidet.

2. CONSIDERA hunc docendi modum excellentissimum & efficacissimum esse: ea quæ facienda sunt, non verbis nudis & siccis, sed operibus docere: non vti lapides qui in viarum initijs constituti, demonstrãt quidem qua via gradiendum sit, ipsi autem immobiles manent: sed semetipsum in exemplum proponendo, & docendo: *Sequere me.* Doce hoc modo & etiam tacens concionaberis.

3. Quid rationi conuenientius, quid iustius, quàm vt seruus sequatur Dominum suũ? Solent ministri dominos præcedere, cùm lucernam eis præferunt: & ancillæ, vt locum præparent, & omnia viæ impedimenta submoueant. Hæc eadem officia nobis præstat Deus: Factus est enim lucerna nostra. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, ait Propheta. Remouet etiam nobis impedimenta, lapides, & offendicula, viamq; complanat, dirigens *pedes nostros in viam pacis. Faciam tibi*, ait Dominus, *viam directam, ita vt stulti non errent per eam. Non erit ibi Leo, & mala bestia non ascendet per eam, nec inuenietur ibi.* Per viam adeò directam

Psal. 11

Isai. 37

rectam

rectam & securam, sub tali ductore quis non ambulet.

4. Summa est perfectio, sequi Christum. in eo includitur quicquid sanctitatis, quicquid perfectionis ab homine in hac vita haberi potest. Hoc est thema & exemplar, vnde omnes qui sanctitate claruerunt, viuendi formam acceperũt: hinc sine termino sumi potest regula vitæ: In hoc speculo qui sese contemplantur, semper inueniunt aliquid purgandum & emendandum, quantauis etiam sanctitate præditi sint. In hoc libro, qui est Christus Crucifixus, anima mea, consitere totum studium tuum: hic enim instruêris de tota omnium virtutum perfectione. Aduerte præterea, non ita Christum hortari te ad sui sequelam, vt illud duntaxat præeuntem intuendo, ibi sistas, sed vt ipsum contemplando sequaris, & vestigijs eius insistas; non enim virtutes discuntur, nisi operando & exercitando eas.

5. Sed ô Domine quis te sequi sufficiet? Quomodo exigua formica, & homo graui carnis onere pressus, qui se vix loco mouere potest, sequetur te, qui veluti gigas *exultas ad currendã viam tuam*? Qui te in-
Psal. 18. uitat, ille tibi subministrabit pedes, & leuitatem ad ambulandum: ille alleuiabit onus, & alas etiam tibi dabit, vt volare possis. Deus *enim*, vt ait Propheta Esaias, *dat lasso virtutem, & his qui non sunt, fortitu-*
Isa. 40. *dinem & robur multiplicat. Deficient pueri & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent*

dent: Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut Aquilæ; current & non laborabunt: ambulabunt & non deficient. Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos suos, ad volatum adhuc impotentes, & *super eos volitans.* Ita fecit Dominus: *expandit alas suas & assumpsit eos, atque portauit in humeris suis*. Nullam potest ouis causam prætexere, quòd pastorem suum sequi non valeat: eò quòd ipsâ defatigatâ aut claudicante, ipse eam assumpturus sit in humeros suos. *Deut 41.*

6. Quid est hoc Domine? Nunquid non Petrus de seipso & alijs Apostolis loquens ait: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: Quid ergo erit nobis?* Cui tu respõdisti: *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Quomodo ergo nunc hortaris Petrum vt te sequatur, quasi te antea secutus non fuisset? cùm tamen ipse à te vocatus, statim reliquerit retia & secutus sit te? Intellige hinc dari semper aliquid vltra in sequendo Christo: nec quenquam ita Christum sequi posse, quin semper aliquid in Christo imitandum ei supersit. In hoc enim adimpletur illud quod Sapiens ait: *Cùm consummauerit homo, tunc incipiet.* Si Christum secutus es annis plurimis, sequere eum quotidie magis ac magis, & puta te hodie primum incipere. Secutus fuerat S. Petrus Christum ad illam vsque horam, sed valdè lento pede, sine sanguine: & tempore passionis suæ *Mat. 19* *Matt. 4* *Eccl. 18*

Christus, his qui se comprehendebant, mandauit, vt discipulos liberos abire sinerent: ipsi verò, illo in manibus inimicorum relicto, fugam inierunt. Et quamuis sanctus Petrus eum sequeretur, hoc tamen fecit à longè: nam cùm periculum sibi imminere cerneret, abnegauit eum. Nunc autem inuitat eum Christus ad sequelam sui, longè aliâ ratione: videlicet vsque ad sanguinis & vitæ profusionem in sequendo. Non est omnium Christum sequi per crucis semitam, sed eorum tantùm qui in via Dei valdè prouecti sunt. *Cùm esses iunior*, dicit Christus Petro, *cingebas te, & ambulabas vbi volebas. Cùm autem senueris, extendes manus tuas & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Perfectorum est cibis solidis vesci, vti S. Paulus testatur. nam infantuli lacte aluntur. Expende modò num cœperis ingredi & perambulare hanc semitam: num hoc genus ciborum palato tuo gratum sit: num masticare illud valeas. & certò tibi persuade, te adhuc infantulum esse, si tibi non sapit Crux Christi.

7. *Sequere me*, quamuis me antea secutus fueris. Quamdiu in hoc mundo viuimus, peregrini & viatores sumus, adeoque indesinenter ambulare debemus. Angelus Domini suscitauit Heliam, & dixit ei: *Surge & comede: grandis enim tibi restat via.* Valdè breuis necesse est sit somnus illius, & cibus leuis, cui longum iter emetiendum est.

est. *Experge factus enim Helias & respiciens, vidit ad caput suum sub inericium panem & vas aquæ. Attendite vobis*, ait Dominus, *ne fortè grauentur corda vestra crapula & ebrietate.* *Luc.* 21.

8. *Sequere me*, quamuis hactenus me secutus fueris, vsque in finem: quia perseuerantia sola coronam reportat. Multi incipiunt, sed pauci proficiunt, & admodum pauci vsque ad finem perseuerant. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Simili ratione arbores sæpè onusti sunt floribus in æstatis initio, in quibus tamen sub eiusdem finem aliquando vix quicquam fructuum inuenitur: alij enim dum florent pereunt, alij postquam gemmas producere cœperint: alij verò quando iam maturitati propinquant, ex arboribus decidunt. *Qui stat, videat ne cadat, & teneat vnusquisque quod habet, ne alius accipiat coronam eius*, quæ perditur non perseuerando. Roga Dominum, vt tibi largiatur perseuerantiam, quia ipse solus potest impertiri eam. *Apoc.* 3.

9. *Sequere me*, dicit Christus. Si considères quò vadat, non videbitur tibi durum & asperum per eandem viam ipsum sequi. *Ego*, inquit ille, *vado ad Patrem*: ad quietem, ad requiem, ad locum æternarum delitiarum: & *vbi ego sum, illic & minister meus erit* Hoc cùm ita sit, cur fatigaris? cur non animum tibi addis ad eandem viam perambulandam? Labor est breuis, merces verò sempiterna. *Viam mandatorum tuorũ Domine cucurri*, teque secutus fui, *cum dilatasti* *Psal.* 11

latasti cor meum: quando nimirum illud spe præmij æterni ad eorumdem obserua-tionem excitasti.

10. *Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem; qui & recubuit super pectus eius & dixit: Domine quis est qui tradet te? Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Iesu: Domine hic autem quid?*

Tanquam pastor ouium à Christo constitutus, curam earum gerit, & de S. Ioanne à Christo quærit, quid de ipso futurum sit. *Qui præest in solitudine.*

Rom. 12. 11. Optima ratio curam gerendi ouium Christi est, agere & communicare cum ipsomet Christo, de his quæ ad bonam earum moderationem pertinent, & in dubijs occurrentibus per orationem ad illum sæpè confugere, atque ab eo consilium, quomodo quidque faciendum sit, exquirere. Gubernabat Moyses populum Dei, & nihilominus quando se aliqua difficultas offerebat, statim ad Tabernaculum perfugium suum habebat, Deique consilium

Ios. 9. exquirebat. Iosue autem, quia negligens fuit in requirendo Dei consilio, quid cum Gabaonitis ageret, circumuentus fuit ab illis.

12. *Discipulus quem diligebat Iesus.*

Quamuis S. Ioannes à Iesu plurimum diligeretur, erat tamen ouis S. Petri, & suberat gubernationi eius: ideoque S. Petrus curam eius gerit: quamuis Christus Petrum, in eo quod scire cuperet, morituruf-

turùsne esset, an non, noluerit se intromittere; non enim ipsius intererat hoc scire. nam ad solum Christum pertinebat ordinare & disponere, quo martyrij genere glorificaturus esset vnumquemque suorum discipulorum. Ideóque non dicit ei: Quid cura est de illo: sed *quid ad te* nimirũ, quod nihil ad ipsum pertineret particulare hoc factum, moriturúsne esset S. Ioannes, an non. Superbiæ Luciferinæ est existimare se idcirco à subiectione Prælatorum exemptum esse, quòd supremum perfectionis apicem quis contigerit. *Pasce oues meas*, ait Christus S. Petro. Si perfectione adeptà ouis Christi esse desineres, tum & ego confiterer te Petri regimini amplius subiectum non esse: at si hoc falsum est, imò quò perfectior es, eò magis ouis Christi, euidens est, te illis subesse debere, qui à Deo constituti sunt ouium ipsius pastores, id est, tuis Prælatis. Ac proinde certissimum signum adeptæ perfectionis est, obedientia & subiectio humilis quoad Prælatos, quæ à vera humilitate proficiscitur. S. Paulus vas electionis, à Deo electus, qui accepit Euangelium ex reuelatione Iesu Christi, ascendit Ierosolymam, vt conferret Euangelium quod prædicabat in gentibus cum Petro; non quòd error aliquis posset inesse his, quæ à Christo ei reuelata fuerant: sed vt debitam ei, qui constitutus erat à Christo Prælatus, & vniuersalis Ecclesiæ Pastor, & caput omnium, obedientiam & reuerentiam deferret;

Gal. 2

ret. Dilige igitur hanc obedientiæ virtutem, & amaberis ab eo, qui ex obedientia mortem subijt.

13. Considera dignitatem gloriosi huius Apostoli, qui per excellentiam vocatur dilectus à Christo discipulus. Quamuis enim Christus omnes homines, & specialiter Sanctos Apostolos à se electos, & à Patre sibi datos, diligeret: nihilominus S. Ioanni multo particularioris amoris indicia exhibuit: quemadmodum liquet
Matt. 11. ex eo, quod illum gloriosæ Transfigurationi suæ interesse voluit: quod in nouissima cœna supra pectus Christi recubuit:
. 13 quod S. Petro non audente interrogare
. 19. Christum quis esset, qui eum traditurus esset, S. Ioannes à Petro stimulatus, Christum ea de re sciscitatus fuit, & responsum accepit. Quod denique in Cruce ipsi Sanctissimam Matrem suam commendauit. Dicunt aliqui SS. Patrum, caussam particularis huius amoris, quo S. Ioannem Christus complexus fuit, fuisse ipsius castitatem & virgineam puritatem: quod nimirum ab ipsa infantia castissimam vitam duxisset, & in virginitate permansisset. Christus enim præ cæteris hanc virtutem maximè diligit. Ama tu eam similiter, & amaberis à Domino.

14. Considera quantus thesaurus & quam eximia dignitas sit, amari à Christo. Si enim amare, est alicui bene velle; & bene velle Dei est facere; & posse illius est velle ipsius; quis obsecro maior the-
saurus

ſaurus excogitari aut concupiſci poteſt, quàm amari à Deo? Dicit Sapiens *Veniſſe ſibi omnia bona pariter cum ſapientia.* Ratio nē ſubiungit: *Nemineē enim diligit Deus, niſi eum qui cum ſapientia inhabitat.* Ideoque dicit ſe præpoſuiſſe illam *regnis & ſedibus, & diuitias nihil duxiſſe in comparatione illius, nec comparaſſe illi lapidem pretioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena ſit exigua, & tanquam lutum æſtimaretur argentum in conſpectu illius. Super ſalutem & ſpeciem ſe dilexiſſe illam, & propoſuiſſe pro luce habere illam, quoniam inextinguibile ſit lumen illius.* Sap. 7.

15. Verum & ineffabile teſtimonium ſanctitatis eſt, diligi à Ieſu; ab illo inquam, qui non fallitur in æſtimandis hominum meritis: cùm ille probè nouerit quid ſit in homine; cordaque hominum & interiores animarum affectus ſcrutetur. *Mendaces ſunt filij hominum in ſtateris.* Pſal. 6 *In manu* Oſe. 12. *Chanaan ſtatera doloſa*, dicit Propheta. In hac ſtatera ſæpè vitia virtutibus præponderant: in eadem ponderoſior fuit Barrabas quàm Chriſtus. *Pretium meum*, dicit Propheta Dauid, *cogitauerunt repellere.* Deus verò iuſtus eſt, & rectum iudicium eius, & ſyncera laux eius: quē ipſe magni æſtimat, dignus eſt qui ab omnibus plurimi fiat: quem ipſe diligit, dignus eſt qui ab omnibus ametur, & in oculis feratur. Non enim quemuis diligit, ſed eos tantum qui veris ornamentis & verâ pulchritudine, non adulterinâ, decorati ſunt: vel

vt rectiùs loquar, amando aliquem, talem ipsum efficit, & non ob aliam causam talis est, quàm quia Deus illum amat.

16. Considera hominum stoliditatem & errorem, qui familiaritates & amicitias Principum terrenorum studiosè quærunt, & ambiunt: atque in eo summam suam constituunt fœlicitatem, si apud eos gratiâ & authoritate plurimum valeant: quod vt assequantur, propriam etiam vitam summo discrimini exponere non verentur. Sed vt à Deo diligantur, nihil laborant, eiusque familiaritatem floccifaciunt: imò vt Regum terrenorum familiaritates promereantur, ea perpetrare non erubescunt, quibus iram Regis cœlestis aduersum se concitent & succendant.
. 145; *Nolite confidere in principibus, in filijs hominum*, dicit Propheta Dauid, *in quibus non est salus*: imò qui nec minimum capitis dolorem auferre possunt. *Exibit enim spiritus eorum*, quando minus cogitant, *& reuertentur in terram suam. illa die peribunt omnes cogitationes eorum*, qui fiduciam suam in illis collocabant. *Beatus autem vir cuius Deus Iacob adiutor eius: spes eius in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt: Qui custodit veritatem in sæculum*, cuius regnum permanebit in omnia sæcula sęculorum.

17. Diligebat Christus S. Ioannem: & S. Ioannes vicissim diligebat Iesum. *Dilectus meus mihi & ego illi*, ait Sponsa.
Consi-

CONSIDERA, quàm plenæ amoris sint S. Ioannis epistolæ: quamque luculentes cœlestis ignis flammas ex se scintillent. Ardebat sanctissimum pectus illius amore Christi: continere se non poterat, nec vltra tolerare amorosum illud incendium, quo cor eius flagrabat: ideoque vniuersum mundum succendere cupiebat amore, facereque vt omnes arderent amore Christi: neque homines tantùm, sed etiam lapides, si fieri posset. Non potest ignis abscondi vbi est, nec charitas otiosa esse.

18. *Hic est qui recubuit in cœna super pectus Christi.* Indicium hoc fuit eximij amoris & singularis familiaritatis. Ex hoc pectore S. Ioannes tanquam ex amoris fonte, bibit illum amorem, quo Deum & proximum complectebatur. Ex eodem fonte diuinæ sapientiæ, hausit sublimem illam doctrinam, de diuina generatione, quam nobis totique posteritati scriptam reliquit, quando Euangelium suum, cæteris Euangelistis altiùs volans, his verbis exorsus est: *In principio erat Verbum, &c.* O infinitam Dei omnipotentis clementiam! quod illa maiestas, coram qua columnæ cœli contremiscunt, se adeò sub filijs hominum humiliet, vt pectus suum diuinum, illis pro puluinari præbeat, super quo recumbant & dormiant. *Delitiæ meæ,* Pro. 8.
dicit Dominus, *esse cum filijs hominum. Ad* Isa. 66
vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Ierusalem

consolabimini, ait Esaias Propheta. Quod tum quidem promissum fuit: adimpletum verò est in fœlici hoc Euangelij tempore.

19. Considera quàm suaue sit quiescere, ac somnum sanctæ contemplationis capere, supra pectus Domini. *Quàm*
l. 30. *magna multitudo dulcedinis tuæ Domine,*
l. 76. *quam abscondisti timentibus te? Renuit consolari anima mea, memor fui Dei & delectatus sum. Introduxit me Rex in cellaria sua, exultabimus & lætabimur in te memores vberum tuorum super vinum.*
t. 5. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Factum est silentium in cœlo, quasi media*
t. 8. *hora.* Breuissimum est tempus hoc, at fœlicissimus gustus, qui breui hoc tempore percipitur, & quid sit, potius gustando quàm multa de illo audiendo, intelligitur. In S. Ioanne fuit præsignatus contemplationis status, ideoque huic soli gratia hæc reseruata fuit, recumbendi & somnum capiendi supra pectus Christi.

20. Quæsiuit Ioannes à Christo quis esset, qui eum traditurus esset. Argumentum hoc fuit ingentis fiduciæ, quâ præditus erat S. Ioannes, quæque ex amore, quo ipse Christum complectebatur, & quo se vicissim à Christo complecti certò nouerat, proficiscebatur. Stabant cæteri Apostoli attoniti & stupefacti, cùm Christus se ab vno illorum tradendum esse affirmaret, & singuli interrogabant eum: *Nunquid ego sum?* At S. Ioannes solus fiduciâ plenus,

plenus, ausus fuit interrogare illum, quis esset ille proditor. quod signum fuit magnæ fiduciæ, à dilectione proficiscentis. Rom. 8.
Quis nos separabit à charitate Christi? ait S. Paulus eadem fiducia plenus. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundũ neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

21. *Dixit Iesus Petro: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.*

Caue ne sis curiosus inuestigator vitæ alienæ, cùm hoc sit maximum mundi malum. Ibi enim vnusquisque se iudicem proximi sui constituit: & suijpsius atque officij sui oblitus, curiosè in aliorum vitam, mores & actiones inquirit. Quid diceres, si cerneres hominem quempiam à capite vsque ad pedes vulneratum, qui vulnerum suorum oblitus, aliorum tantummodo vulnera consideraret? Huic similis est mundus. Tu verò Christum sequere: hoc enim si rectè feceris, tantum in eo reperies negotij, vt parum vel nihil temporis habiturus sis ad alios considerandos, eorumque dicta & facta excutienda.

22. *Exijt sermo inter fratres,* scilicet Apostolos, *quia discipulus ille non moritur. Et non dixit Iesus: Non moritur. sed, sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.*

Hæc verba Christi valdè obscura sunt,

ideoq́ue nec ipſe Euangeliſta ea dilucidare voluit. Illud tamen certum eſt, S. Ioannem, ſi nondum mortis debitum exoluit, moriturum adhuc. Illud etiam: illum, quamuis inter tormenta Martyr non obierit, martyrij tamen gloriâ non caruiſſe: quia pro fidei confeſſione in ahenum olei bullientis iniectus fuit, vnde tamẽ nullam ſenſit læſionem, & in exilium relegatus. Ideoq́ue cùm voluntas ſubeundi martyrij ei non defuerit, coram Deo, qui voluntatem ponderat, Martyr fuit: quamuis quoad pœnam Chriſto ſuffecerit, quòd tormentorum ſuorum in paſſione ſua, per compaſſionem ſocius extiterit, pariterq́ue cum ſanctiſſima Matre ſua ſub Cruce ſteterit. CONSIDERA, in S. Ioanne nobis ſignificari dignitatem vitæ contemplatiuæ, quæ in omne æuum permanet. *Maria*, ait Chriſtus, *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Exercitia vitæ Actiuæ cum hac vita terminum habebunt: at contemplatio tunc primùm clara diuinitatis viſione ac fruitione perficietur.

23. *Charitas*, ait S. Paulus, *nunquam excidit.* Fides ceſſabit clarâ eorum quæ credimus viſione. Spes earum rerum quæ ſperamus adeptione: at charitas primùm in altera vita perficietur. Verè igitur beati illi, qui Deum diligunt, & in amore illius maiora quotidie incrementa ſumere totis viribus enituntur.

24. *Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet*

perhibet de his & scripsit hæc. Et scimus quia verum est testimonium eius.

In epistola sua Cononica ait: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus nostræ contrectauerunt, annunciamus vobis.* Expende hinc dignitatem S. Ioannis, qui electus fuit à Christo in Apostolum & Euangelistam: quo in ministerio tam excellens & præclarus extitit, vt inter illa quatuor animalia, ab Ezechiele Propheta visa, per Aquilam designetur: quia vnus ipse cæteris altiùs volauit, & perspicacia contemplationis suæ, diuinitatis profunda penetrauit: reseruante illi Spiritu sancto augustiora & sublimiora quæque mysteria. Tales fuerunt illi, qui testimonium perhibuerunt de rebus à Christo gestis, videlicet, sancti, iusti & veraces, tantaque vitæ integritate & sanctimonia, vt quamuis per eos locutus non fuisset Spiritus sanctus, quo pleni erant: propter eximiam tamen, quæ in eorum vita & moribus elucebat, sanctitatem, digni fuerint, quibus fides adhiberetur. Piscator erat S. Ioannes, & retibus resarciendis operam dabat, cùm vocaretur à Christo ad munus Apostolatus. Post hanc autem vocationem, tanta fuit ei diuinitus instillata sapientia, quantam cùm in Euangelio, tum in Epistolis suis euidenter demonstrat. Nunquam in aliqua vniuersitate studijs litterarum incubuit, nec ante nec post vocationem suam ad Apostolatum. Sed in schola Spi-

I. Io. 1.

Zach. 1

ritus sancti omne suum studium contriuit; indeque doctrinam tam sublimem & profundam, quam literarum monumentis consignatam post se reliquit, copiosè hausit. Benedictio & laus sit ei, qui talibus testimonijs Euangelium suum ad consolationem nostram confirmauit; ne nos essemus tanquam infantuli imbecilles & vacillantes in fide, sed pedibus fidei & spei firmiter insisteremus, donec tandem occurramus ei, atque ad claram ipsius contemplationem perueniamus, Amen.

DE

DE SS. INNOCENTIBVS.



Ngelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum, ad perdendum eum. Matt. 2.

CONSIDERA quàm exoptatus sit ille somnus, in quo iustus diuinas percipit reuelationes. *Ego dormio*, ait Sponsa, *& cor meum vigilat.* Cant. 5. Longè ab hoc somno absunt, qui crapula & ebrietate prægrauati, immoderatè somno indulgent.

2. Quando anima præsentis vitæ rebus obdormit, omniumque creaturarum, atque etiam suijpsius ob profundam rerum diuinarum contemplationem obliuiscitur: tum optimè disposita est, vt ei à Deo secreta cœlestia manifestentur. Gen. 28 In somnis vidit Iacob scalam, à terra vsque ad cœlos pertingentem, & Angelos ascendentes & descendentes per eam. Ab hoc somno suscitari non vult cœlestis sponsus dilectam suam, ideoque dicit: *Ne euigilare faciatis dilectam, donec ipsa volet.* Cant. 8.

3. Per somnum noxij humores dige-

runtur: ac propterea qui parum dormiunt, pallidi & imbecilles redduntur, & vires totius corporis amittunt. Disce hinc, te à sensibilibus rebus auocare, supra pectus Domini requiescere: hoc namq; pacto digeres prauos humores, qui infirmitatum animæ tuæ causa sunt. Si ad iram pronus es, cogita mansuetudinem Christi: Si carnales cogitationes ac desideria te molestant, expende dolores quos Christus tuâ caussâ sustinuit. Ex huius somni defectu es pallidus, in operibus virtutum instabilis, & ad resistendum Diaboli tentationibus imbecillis.

4. *Surge & accipe puerum & matrem eius.*

NON dicit, matrem & puerum: sed *puerum & matrem eius*: quia per puerum creata erat mater, quæ electa fuit à Deo, & omni gratiâ repleta, vt digna mater esset talis infantis. O quam dulce est audire: *Puerum & matrem eius*. Quòd nimirum puer nominetur illa infinita Maiestas quæ cœlos implet gloria: ille inquam, quem *cœli cœlorum capere non sufficiunt*, cuius *nomen est ineffabile*. Quòd ille qui sustentat & regit omnia, Matris obsequijs vtatur atque vberibus lactetur. *Quod nomen est eius*, ait Sapiens, *& quod nomen Filij eius si nosti?* Quasi diceret: Quis nomen Deo imponere sufficiat? Et tamen puer est nomen eius, quod vocatum fuit ab Angelo Domini: Certò mihi persuades, Angelum trepidasse, cùm tali eum nomine appellaret, & nisi

nisi Deus hoc ei præcepisset, nunquam ausurum fuisse, tali eum nomine nuncupare: cùm ille sit Rex Angelorum & Dominus exercituum, cui omnes Angelici spiritus trementes in cœlis assistunt. *Paruulus natus est nobis*, ait Propheta Esaias; & quia nimis audacter & fidenter se loqui *Isa. 9.* putabat, confestim adiungit; *& vocabitur nomen eius Admirabilis: consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Hæc sunt mirabilia quæ fecit Deus propter homines. Si antea terrorem incutiebat tibi Deus immensus; nunc ad accessum te inuitat Deus infans: quod si adhuc accedere trepidas, eò quòd infans ille simul Deus sit: confer te ad matrem eius, quæ est mater peccatorum & misericordiæ.

5. Non est benè puero sine Matre. Illâ enim si careat, à quo lactabitur? A quo fascijs inuoluetur? Quis curam illius aget? Nulla alia caussa est, cur in tam multorum animis, in quibus natus fuerat per gratiam, breuissimo tempore viuat Christus; quam quòd nullæ illis curæ sit accipere matrem pariter cum puero. Exerceri in mortificatione, sancta meditatione, sacra lectione, & sanctarum virtutum operibus, Christum nutriunt & sustentant in animabus nostris: his autē deficientibus, statim emoritur. Mundi voluptates, carnis illecebræ, sensuum delitiæ, colloquia & conuersationes vanæ sunt nouercæ Christi, quæ non eum lactant, sed præfocant. *Marc.* *Deceptio enim diuitiarum, & circa reliqua*

con-

concupiscentiæ suffocant verbum Dei.

6. Parum poteſt mater ſine filio. Quantiſlibet ieiunijs & pœnitentiæ operibus te maceres, ſi non eſt tecum Ieſus: id eſt, ſi non quæris beneplacitum & gloriam eius: ſi præcipuus ſcopus tuus non eſt, ei placere, & voluntatem illius implere: ſed per ea ab hominibus magni fieri, & magna in æſtimatione haberi: hypocriſis & vana gloria permiſta ſunt, nec quicquam ex illis emolumenti referes: ideirque tibi continget, quod illis, de quibus Propheta dicit: *Seminaſtis multum & intuliſtis parum: comediſtis & non eſtis ſatiati: bibiſtis & non eſtis inebriati: operuiſtis vos, & non eſtis calefacti. & qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.* Idem accidit ei, qui non quærit Deum in operibus ſuis.

Agg. 5.

7. *Fuge in Ægyptum.*

Malefactorum eſt indicium fugere: ſed quid mali perpetrauit puer hic innocentiſſimus? Proſcriptus erat homo è regno cœlorum propter ſcelera ſua: hanc proſcriptionem vt tolleret, in exilium relegari voluit. Noſtra furta, noſtras iniquitates iamtum luere incipiebat. In circumciſione ſua nomen Saluatoris acceperat, ac proinde ſtatim officio ſuo ſatisfacere conabatur. *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm*, vt ipſe eas portaret, & pœnas quas illæ mererentur, corpore ſuo exciperet. Multis modis potuiſſet Chriſtus effugere manus Herodis, ſed ille, qui venerat,

Iſa. 53.

nerat, vt infirmitates nostras assumeret, & pro peccatis nostris Deo Patri satisfaceret, fugere noluit: nisi vt homo fragilis, & quasi eadem qua cæteri infirmitate præditus.

8. Veniet tempus, quo iam non fugam capesset, sed obuiàm procedet hostibus suis, vt se capi & vinciri permittat. Sed prius prædicaturus erat Euangelium: nec decebat ab alijs tam exoptato nuncio principium dari. Prius se metipsum manifestaturus erat miraculis, & in propria persona Iudæos vocaturus, vt adimplerentur prophetiæ, & Deus iustificaretur: dum nihil intentatum reliquit, quod vineæ suę facere potuit, & non fecit. Moriturus erat etiam, sed ita, vt pateret, eum spontaneâ voluntate, non vi, aut imbecillitate coactum mortem subire. *Esa. 5.*

9. Fugit vt nos instrueret, occasiones declinare. scriptũ est enim: *Qui amat periculũ peribit in illo:* Castus Ioseph, cũ à domina ad inhonestam copulam sollicitaretur, pallio relicto in manibus eius, fugit. Melius est enim vt pallij, quàm animæ iacturã facias. Melius est, vt dicant te fugisse, quàm tentationi succubuisse: præsertim cùm in carnalibus vix aliud supersit certius remedium, quàm fuga. Noli confidere in castitate præterita, quamuis multorum sit annorum: sed propone tibi lapsus plurimorum qui te in virtutibus superiores extiterunt: & time. *Eccles. 3* *Gen. 39*

10. *Fuge in Ægyptum.* IN-

INTER suos tutus vitam non agit. Pergit igitur vt securitatem quærat inter alienos: *In propria venit, & sui eum non receperunt. Populus quem non cognouerat, seruiuit & obediuit ei.* Pudor ingens est, quòd Deus inueniat plus requiei inter sęculares, quàm inter Ecclesiasticos. *Ibo*, ait Propheta Ieremias, *ad optimates, & loquar eis; ipsi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei sui: & ecce magis hi simul confregerunt iugum*, diuinæ scilicet legis, *ruperunt vincula* mendatorum eius.

Io. 1. Psal. 17. Ierem. 5.

11. *Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.*

Aduerte quam citò Christus persecutiones incipiat sustinere. vixdum est natus, & Herodes eum quærit ad necem. Bene ait S. Simeon, Eum positum esse *in signum cui contradicetur.* Nihil certius est incipientibus perambulare viam diuini seruitij, quam quod statim ad prælia concitentur humani generis hostes. Ac proinde admonet nos Sapiens, vt accedentes ad seruitutem Dei, *præparemus animas nostras ad tentationem, in iustitia & timore stantes:* deprimentes corda nostra, & auferentes ab eis omnem vanam in nobismetipsis confidentiam: sustinentes & tolerantes omnia, quæ à Deo nobis immissa fuerint: inclinantes aures nostras ad monita spiritualium magistrorum nostrorum: expertorumque consilia requirentes: non festinantes in tempore obductionis. Tentatio est enim veluti obductio quædam,

Luc. 2. Eccl. 2.

dam, quæ nobis lucem eripit, facitque ne id quod antea clarè cernebamus, vltrà intueamur. In hoc igitur tempore, nosmetipsos refrenare atque cohibere; neque illa quæ tum nobis proponuntur amplecti & sequi debemus.

12. *Obstupescite cœli, & portæ eius desolamini vehementer*, præ stupore nimirum & admiratione, quòd inueniatur quispiam qui quærat Iesum ad occidendum eum. Quod, inquam, Iesum fontem salutis & veram vitam, infirmus, mortique iam proximus, qui salutem sine ipso adipisci nequit, quærat: non vt per ipsum salutem & vitam consequatur, sed vt perimat & internecioni tradat? Vide quantum possit ambitio & desiderium imperandi. Existimabat Herodes Christum sibi ablaturum esse regnum terrenum, qui regnum cœleste daturus aduenerat. Fuge itaque detestabile ambitionis vitium, venenum animæ præsentissimum, & pestem occultam, deceptionum inuentricem, matrem hypocrisis & inuidiæ, cunctorum vitiorum scaturiginem, sanctitatis tineam, cordis cæcitatem, ex medicina venenum elicientem, persecutricem denique Christi.

13. Magi terrâ propriâ excedunt, & ad terram alienam arduum iter arripiunt, vt quærerent Iesum, eique adorationis obsequium impenderent: Herodes in sua eum terra possidet, & quærit eum ad necem.

Sic-

Sicque contigit, vt illi qui longè erant à Christo, eidē appropinquauerint: illi verò qui propè, abeo longiùs recesserint: quia Deus propter ingratitudinem suam illos deseruit. Quere & tu Iesum, non vt ipsum perdas, sed vt tu, qui perijsti sine ipso, per illum salutem recipias: non vt eum neci
Ose. 13. tradas, sed vt ab eo vitam consequaris. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum*, dicit Dominus.

14. *Consurgens mox S. Ioseph, accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum, & erat ibi vsque ad obitum Herodis.*

Aduerte promptitudinem obedientiæ S. Ioseph. Iustus enim erat. vera autem iustitia in eo sita est, vt obsequamur Deo. Nullæ in ea sunt excusationes, nullæ dilationes, nullæ difficultatum commemorationes.
ne. 17. nes. Præcipit Deus circumcisionem Abrahamo, & eodem die omnes, qui erant in domo sua, masculini sexus, & semetipsum circumcidit, nonagesimum nonum iam annum agens: præcipit eidem, vt offerat sibi filium suum Isaac in sacrificium. Surgit de
n. 22. nocte, assumit filium, & pergit ad montem, in quo illum iuxta Dei præceptum sacrificaturus erat. Disce hinc obtemperare Deo sine omni contradictione aut replicatione, contra ea, quæ tibi à Deo imperantur: & ea quæ tibi mandata sunt sine mora exequi.

15. Concedit in Ægyptum nouus Moyses, liberatur ab aquis persecutionum Herodis,

tedis, vt suos eruat à captiuitate Pharaonis. Hoc est tempus illud fœlicissimum, de quo prædixit Propheta Ieremias: *Veniet tempus quo non dicetur amplius: Viuit Dominus qui eduxit filios Israel de Ægypto, sed, viuit Dominus qui eruit domum Israel de regionibus Aquilonis, & de cunctis terris ad quas eiecerat eos: & habitabunt in terra sua.* Nouum beneficium & noua libertas hæc fuit, quam nobis contulit secundus Moyses, in cuius comparatione prior obliuioni traditur: libertas inquam, quâ eos à potestate Diaboli, qui per vniuersum terrarum orbem animas in vinculis detinebat, liberauit: vt eas secum ad sempiternam habitationem, ad terram viuentium, ad veram terram nostram, cuius caussâ creati sumus, perduceret. *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est. equum & ascensorem deiecit in mare:* submergens in mari rubro sanguinis sui cunctos inimicos nostros, cum vniuersa eorum potentia & superbia. Exod. 15.

16. CONSIDERA afflictionem quam S. Ioseph, & B. Virgo, Verbi diuini Mater, sustinuerunt: tum propter metum & timorem, ne in manus Herodis inciderent, & perderent pretiosissimam illam margaritam, quâ continebantur vniuersæ diuitiæ ipsorum: tum propter itineris laborem, quodque profectionis difficultate succurrere non potuissent his rebus, quas domi manuum labore lucrati fuerant: cùm præsertim discessus eorum esset valdè subitaneus

neus, & intempestæ noctis silentio. Vnam tantùm consolationem habebant, quę omnes eorum molestias alleuabat; itineris nimirum comes, quem secum ducebant: qui solo aspectu eos lætificabat, omnemque mœrorem & afflictionem quantumuis grauem, è cordibus eorum pellebat. Adiunge te socium itineris, sanctæ huic societati: & vide num aliquod eis obsequium præstare valeas: num B. Virgo tibi committere velit filium aliquamdiu brachijs gestandum. Fœlicem te, si hæc tibi fœlicitas obtigerit: sed caue ne illum manibus Herodis tradas. quod facis quotiescunque peccatum aliquod mortale committis.

17. *Erat ibi vsque ad obitum Herodis.*

Miser Herodes, qui sollicitus erat, quomodo Iesum internecioni daret, moritur, & Iesus superest. *Non est sapientia, neque consilium contra Dominum.* Bellum Christo infers tuis iniquitatibus & sceleribus: veniet mors, & incides in manus Christi, viuorum & mortuorum Iudicis, *terribilis,*
Psal. 75. *& eius qui aufert spiritum Principum, terribilis apud Reges terræ.* Mortuus est ille, qui tot neci tradidit: Mortalis es, quamuis Rex sis, & si modò neminem metuis, vt minimum mortem time, quæ nullius personam accipit.

18 *Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valdè, & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, a bimatu & infra,*

fra, secundùm tempus quod exquisierat à Magis.

Vel non est executus statim hanc crudelitatem, alijs negotijs distentus, vt aliqui affirmant: vel Magi diu ante Christi natiuitatem conspexerunt stellam, vt alij volunt. Non fuerunt reuersi ad Herodem Magi, ab Angelo præmoniti. In vnoquoque horum puerorum mortuus fuit Christus quoad voluntatem Herodis, qui illos ideò neci tradidit, vt inter ipsos simul Christum interimeret. Ac proinde speciali ex priuilegio profecit his sanctis pueris mors ad martyrium: illosque tanquam gloriosos Christi Martyres, sancta colit & veneratur Ecclesia. Quapropter Herodis sæuitia fuit his SS. pueris misericordia. Tu etiam si crudelis es in carnem tuam, & desideria inordinata, misericordiam facis animæ tuæ, illamque viuificas, & ad sempiternam vitam capessendam præparas.

19. *Filia Babylonis misera: beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram.* Aliqui horum puerorum si ad maturam ætatem peruenissent, fortè parentibus suis in persequendo & morte afficiendo Christo consensissent. Morientes autem glorificauerunt Christum, & effecti sunt gloriosi eius testes & martyres. Peruersæ cogitationes quæ in corde tuo nascuntur & vsque ad consensum perueniunt, Christum in corde tuo interimunt. Eas autem si mortificaueris & interitum eis attuleris, *Psal 136*

dum adhuc exiguæ sunt, antequam videlicet succedat consensus voluntatis, Christum glorificabunt. Hæ allidendæ sunt ad petram, quæ est Christus. *Propter te Domine mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis*, iugiter sacrificium facientes de nobismetipsis: crucifigentes carnem nostram cum vitijs & concupiscentijs.

Psal. 41.

20. Puer loco pedissequorum vult pueros, de quibus in Apocalypsi S. Ioannes: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocunque ierit: Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno & in ore eorum non est inuentum mendacium. Sinite paruulos ad me venire*, ait Christus: *& nolite eos prohibere.* Dilige & tu spiritualem infantiam, innocentiam, puritatem, munditiem, & sanctam simplicitatem, malitiæ omnis expertem, sicque amaberis à puero Iesu, & socius eris horum sanctorum puerorum innocentum.

Apoc. 14.

Matt. 19.

21. *Tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam, dicentem: Vox in rama audita est: Ploratus & vlulatus multus. Rachel plorans filios suos, & noluit consolari quia non sunt.*

Iere. 19.

Ingens planctus factus est in Bethlehem & vniuersis finibus eius, in quibus Rachel sepulta erat, à matribus dolore confectis; cùm viderent filios innocentes immanissimè & sine vlla misericordia trucidari. Planxerunt matres: Ecclesia verò

festum

festum diem agit, considerans se horum martyrum sanguine locupletatam, qui fuerunt *primitiæ* oblatæ *Deo & Agno.* *Iere. 19.*
Illæ nullam voluerunt suscipere consolationem mœroris sui: ob tristissimam filiorum, qui erant lumina oculorum suorum, internecionem: Ecclesia verò se solatur, quia cum Christo viuunt, & æternum victuri sunt in æterna gloria. Refer gratias Domino pro beneficio, quod contulit his SS. pueris, cùm illos propter se mortem subire voluit, gloriosisque martyribus annumerauit. Roga eum, vt cùm innocentiam huc vsque non custodieris, saltem peccatum in te occidas, vt in gratia & amore ipsius incessanter viuere possis.

IN FESTO PVRIFICATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

Luc. 2.  *Ostquam impleti sunt dies Purgationis Mariæ secundùm legem Moysi, tulerunt*
Exod. 13. *Iesum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini.*
Num. 3. *Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Et vt darent hostiam secundùm quod dictum est in*
Leuit. 17. *lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum.*

CONSIDERA quomodo se mater sanctissima, quæ in partu sanctissimi filij sui stellis cœli purior ac nitidior remanserat; quæ sine dolore, & sine virginitatis dispendio pepererat, submittat se legi purificationis, quasi fuisset vna cæterarum mulierum, & partus eius similis aliorum. Didicerat hoc à Christo, qui circumcidi se voluit, quamuis omnis peccati expers esset; qui etiam postea grandior factus, Baptismum S. Ioannis, qui erat baptismus pœnitentiæ, propter solos peccatores institutus, suscepit. Non sic filij Adam superbia

perbia tumidi: qui cùm ſint vulneribus pleni, eorum tamen ligaturas circumferre verecundantur. Et cùm ſint peccatis multis obnoxij, recuſant tamen agere pœnitentiam & confiteri ſe eſſe peccatores. Tali medecinâ neceſse habebat noſtra inueterata ſuperbiæ infirmitas. Tu non vis fateri te eſſe peccatorem, dicit Dominus: ego itaque confitebor pro te, & mater mea mecum. Et cùm ambo ab omni peccato liberi ſimus, legibus peccatorum nos ſubijciemus. Inſtruere ex his tam inſignibus humilitatis exemplis.

2. Vetuit Dominus ne mulier poſt partum ad templum pergeret, aut in illud introiret: vt nobis indicaret quantum diligat animæ puritatem, quantumque offendatur ex illius immunditia & contaminatione, ſi exteriori immunditiâ ita offendebatur: *Eritis mihi ſancti, quia ego Dominus Deus veſter ſanctus ſum. Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus & mundo corde.* Seruum immundum intueri non potes: & vis puritatem illam immenſam te ſordibus & maculis plenum tolerare? Pſal. 4

3. Diuturnior erat purificatio eius quæ pepererat fœminam, quàm eius quę maſculum: ita & is, qui ad Deum ſe conuertens tepidè atque oſcitanter peccata deſerit, longiori tempore opus habet ad ſui purificationem, atque is qui idem cum magno feruore & animo generoſo facit.

Decubitus eius quæ peperit fœminam, molestiores & grauiores sunt ad tractandum, quàm eius quæ peperit masculum, propter prauorum humorum qui fœmellas sequuntur, abundantiam: ita & is qui frigidè peccatis renunciat, pluribus expositus est difficultatibus, eò quòd supersint ei multæ reliquiæ & peruersi habitus præteritorum peccatorum. Sed is qui cum feruore ad pœnitentiam de præteritis sceleribus agendam, se componit: & quasi masculum parturit, subitò purificatur: nec quicquam post se quod sibi molestiam
Isa. 4. pensat, relinquit. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius, in spiritu iudicij & spiritu ardoris*, tum ea quæ reliqua fuerint, sancta erunt: dicit Propheta Isaias. Aqua enim calida citò & facilè pannum mundat, sed frigida tardiùs & difficiliùs. Conuertere igitur cum feruore ad Dominum, & roga illum vt hunc spiritum ardentem qui cunctas vitiorum fœces consumit, tibi largiatur.

4. *Tulerunt Iesum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino.* Quando hic puer fuit sine præsentia Domini? nos eramus qui à Domini conspectu & præsentia tanquam serui fugitiui aberrabamus. vt igitur ad illius præsentiam reduceremur, sistitur hodie Iesus in templo. Noli metuere peccator: quia si scelera tua tibi suadent vt à Deo fugias, quia propterea quod ipsum tuam immunditiem sustinere non

posse

posse existimes: ecce tibi sanctissimum eius filium, qui iustitiâ suâ tuam operiat iniustitiam, & sanctitate suâ tuam iniquitatem. Ille enim est *propitiatio pro peccatis nostris*: vti S. Ioannes Apostolus testatur. 1. *Ioan.*

5. CONSIDERA hodie adimpletum fuisse, quod dudum ante prædixerat Propheta Malachias. *Ecce*, inquit, *statim* post præcursorem suum, *veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis: & angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum: & quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia: & placebit Domino sacrificium Iuda & Hierusalem sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui. Venit enim ad templum suum*: quia erat vnus Deus cum Patre, ideoque suum erat templum. Fuit *ignis conflans & emundans*: tum in sua prædicatione: tum in exemplis vitæ suæ sanctissimæ atque purissimæ. Per illum denique posteaquam semetipsum Deo Patri obtulit, sacrificia nostra Patri non minus accepta sunt, quàm ea quæ priscis temporibus Patriarchę multis ab isto beneficijs affecti, obtulerunt. Patere igitur, vt te Dominus purget & emundet, tollatque à te vniuersam malitiam & im- *Malach.*

munditiam,& tanquam aurum & argentum coler,vt maiestati eius acceptus efficiaris.
Veniet,dicit Propheta Aggæus,*desideratus* Agg. 2. *cunctis Gentibus: & implebo domũ istam gloria, dicit Dominus exercituũ. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius nouissimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituũ: & in loco isto dabo pacẽ, dicit Dominus exercituum.* CONSIDERA prophetiam hanc hodiernâdie adimpletam fuisse. Venit enim desideratus cunctis gentibus saluator omnium, & impleuit domum suam gloriâ. Quam etsi potuisset ingentibus thesauris locupletare, cùm ipsius sit omne aurum, & argentũ; noluit tamen & eam alia re quam sua præsentia, quæ maior erat vniuersis totius mundi gazis, locupletare; ideoque maior fuit gloria secundi templi quàm primi à Salomone constructi, non in ædificiorum magnificentia, nec opum magnitudine, quia nunquam ad primum splendorem diuitiarumque amplitudinem peruenit; sed propter Domini præsentiam qui semetipsum in secundo hoc templo DEO Patri offerens, pacem inter nos & DEVM composuit, factusque est pax nostra. Hunc igitur pacificatorem tuum suscipe, amplectere, & gratias ei redde, pro pace quam tibi promeritus est: ac deprecare illum, vt te istius pacis participem efficiat.
7. Redijt columba à Noe emissa ad ar- Gen. 8. cam, portans ramum oliuæ virentibus folijs

foliijs in ore suo: ex quo intellexit Noe, quod cessassent aquæ diluuij super terram. Hodie introiuit in templum beatissima Virgo MARIA columba candidissima & ab omni felle amaritudinis peccati aliena: IESVM verum oliuæ ramum filium Patris misericordiarum in brachijs gestans. Signum igitur est quòd aquæ diluuij præterierint; quòd DEVS, quandoquidem vnigenitum filium suum nobis largitur, cupiat pacem nobiscum inire, & nobis reconciliari: & proinde Angeli in natiuitate eius annunciauerunt pacem hominibus bonæ voluntatis. *Deus meus misericordia mea*, virescit & floret indesinenter hic ramus, nec vnquam putredinem contrahit: nam per illum semper patet nobis accessus ad Patrem cœlestem. Benedictio & gloria sit ei in sempiternum. *Psal.*

8. CONSIDERA quàm acceptum Deo Patri fuerit munus hodierna die in templo oblatam. Fastidiebat iam Deus sacrificia & oblationes, quæ ipsi offerebantur in veteri lege: *Quò mihi*, dicebat, *multitudinem victimarum vestrarum? plenus sum.* Et illas ideò patienter sustinebat, quia oblationem & sacrificium illud, cuius omnia cætera figuram præferebant, operiebatur: cuius aduentu cætera finem acceperunt. Hodie igitur magno cum gaudio, hanc suscepit oblationem: & templum multò magis Domini gloria repletum fuit, quàm quando à Rege Salomone constructum, multis sacrificiorum millibus *Isa. 1.*

libus dedicatio illius celebrata fuit. Huic oblationi coniunge vniuersas tuas oblationes, & omnia quæ pro Dei amore agis, & temetipsum totum: hac enim ratione Deo accepta reddentur.

9. CONSIDERA, quanto cum desiderio, quantaque promptitudine semetipsum Deo Patri sanctissimus hic puer hodie obtulerit, vti decebat filium obedientissimum, qui hanc illius voluntatem
[P]sal. 39. esse certo sciret. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* Hodie igitur sponte se obtulit ad flagella, ad coronam spineam, ad crucem, clauos, & mortem ignominiosissimam, quam nostri causâ subiturus erat. Offer & tu pariter temetipsum cum illo, ad exequendam in omnibus ipsius voluntatem, & crucem post eum baiulandam.

10. Aspice vt hodie offeratur sacrificium
[...]i. 12. pro Christo secundùm legem: & quomo-
[...]d 13. do iuxta eandem legem veluti primogenitus redimatur, vt ita legem perfectè adimpleret, nosque à grauissimo legis iugo vindicaret. Offertur sacrificium pro eo, qui expers erat omnis peccati, nec vllam habebat maculam, quique futurus erat nostrum sacrificium. Redimitur ille, qui est Redemptio totius mundi: qui nunc quidem pecunia redimitur: at veniet tempus quando in manibus inimicorum suorum relinquetur, & sanguinem & vitam pro nostræ Redemptionis pretio expendat.

11. Di-

11. Diuites offerebant agnum & pullum columbæ siue turturem: pauperes verò duos pullos columbarum, vel duos turtures. Pro Christo autem oblatio pauperum oblata est, nam egens factus est pro nobis, vt sua nos paupertate ditaret. Erat etiam ipse verus agnus qui tollit peccata mundi; ac proinde opus non habebat alio agno, præsertim cùm ipse suo tempore sacrificandus esset.

CONSIDERA in turture castitatem, in pullis columbarum simplicitatem & mansuetudinem, & dilige has virtutes quæ nos Deo gratos & acceptos reddunt.

12. *Erat homo in Ierusalem cui nomen Simeon: & homo iste iustus & timoratus expectans consolationem Israel. & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu sancto non visurum se mortem nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum IESVM parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit DEVM, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.*

CONSIDERA qualibus coloribus Spiritus sanctus grandæuum hunc senem, qui

electus erat à Deo, vt per ipsum manifestaret filium suum mundo, & vt ipse testimonium perhiberet de illo, depingat. Iustum dicit & timoratum, quia iustitia ingenti periculo exposita est, nisi custodia
Eccl. 29. timoris vndique circumualletur. *Nisi te in timore Dei retinueris, citò subuertitur*
Prou. 28. *domus tua*. Quapropter *beatus homo qui semper est pauidus*.

13. *Expectabat consolationem Israel*: non terrenam nec transitoriam, sed cœlestem, quæ locupletatura erat ipsum sempiternis donis, quæ secum allaturus erat Messias in lege promissus, videlicet Christus Redemptor noster. Hoc erat desiderium: hæc vota iustorum ante Christi aduentum.
Psal. 84. Clamabant cum S. Dauid: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*. Saluatorem videlicet quem pollicitus es. Erubesce quod videas te tam parui pendere cœlestem hanc consolationem, cuius fons & origo est gratia quam Christus nobis promeruit: quodque consolatiunculis terrenis irretitus, gustare non merearis cœlestes. CONSIDERA præterea proprium esse iustorum non sibi soli viuere, sed quærere bonum commune.

14. *Spiritus sanctus erat in eo*. Hic est iustitiæ fructus quæ timore Dei circumuallata est. Eiusmodi habitacula quærit Spiritus sanctus. *Anima enim iusti sedes*
Sap. 7. *est diuinæ sapientiæ*. CONSIDERA, quàm immensæ diuitiæ sint illius animæ quam Spi-

Spiritus ſanctus inhabitat: aſpice quàm eximia ſint eius dona, quàm pura illius conſolatio; quàm ſuaues eius delitiæ, voluptates & blandimenta. Deſidera igitur diuinum hunc hoſpitem apud te hoſpitari.

15. *Reſponſum acceperat Simeon à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem niſi prius videret Chriſtum Domini.* Hoc pacto Deus ſolatur ſuos. CONSIDERA quo cum deſiderio veriſimile ſit expectaſſe hunc ſanctum hunc ſenem diuini promiſſi adimpletionem. Quotidie quamprimum illuxiſſet, ſic ſecum loquebatur: Hæccine erit illa adeo fortunata dies, quâ viſurus ero Chriſtum Domini? Longiùs ſe iam ætate proceſſiſſe & vitæ termino appropinquare cernebat: & nihilominus indubitanter credebat, Deum promiſſioni ſuæ haudquaquam defuturum; & ideo magno cum deſiderio diem illum operiebatur. Putáſne, ſæpè aiebat, eum videbo? & quando id fiet? O ſi nunc? quam ſuauiter eum amplexarer? ſed nunquid fortè mihi facultas concedetur ipſum contingendi? Veni deſiderate omnium gentium: intueantur te oculi mei antequam à morte claudantur. Hoc pacto ſolabatur deſiderium ſuum ſanctus hic ſenex: ſolet enim Deus ideò promiſſa ſua prorogare, vt deſiderijs noſtris incrementum ſumentibus ad earum perceptionem melius diſponamur.

16. *Venit in ſpiritu in templum.* Ita oportet *Ioan. 4*

oportet nos ingredi Ecclesiam, ductos videlicet à Spiritu sancto. *Spiritus est Deus, & eos qui adorant, in spiritu & veritate oportet adorare.* Spiritus sanctus erat in eo, ac proinde illum mouit ad templum ingrediendum. Quàm prosperè nauigamus Spiritus sancti vento nos regente ac gubernante? Proprij autem spiritus suggestio nos transuersos in extremam perniciem rapit. Hic filium prodigum è domo paterna abripuit: quem quò præcipitauerit, animaduerte. Disce hinc, omnia opera tua Spiritus sancti ductu peragere: sic enim mira in cunctis quæ agis, securitate gaudebis.

Dan. 2.

Luc. 13.

17. *Accepit eum in vlnas suas.* Conspexit eum brachijs sanctissimæ Matris gestari: statimque agnouit illum esse verum mundi saluatorem. Itaque sanctus senex brachijs disiunctis; ad beatissimam illius matrem cucurrit, dicens: Da mihi Domina, puerum hunc. Ipse enim est saluator meus; ipse Deus meus; ipse desideratus omnium gentium; ipse est qui pro delictis nostris satisfacturus & criminum nostrorum maculas expiaturus est; ipse mihi reseraturus est portas regni cœlestis. O puer pretiosissime! O diuitiæ cœlorum! O gloria Angelorum! Faustus fœlixque sit aduentus tuus in hunc mundum, qui sine te iam ad præsens exitium declinabat. *Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace.* Ades nunc, ô mors. nam tu mihi modò suauis futura es, posteaquam illum, per quem mors

nostra

nostra destruenda est, aspexi. Expende quàm fidelis sit Dominus in promissionibus suis. Pollicitus fuerat S. Simeoni quod visurus esset Christum Domini; & non modò conspexit, sed etiam vlnis suis eum gestauit. Sume & tu illum in vlnas tuas: colloca illum intra viscera tua, pone illum vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachia tua: ad eum tota intentio & cuncta opera tua dirigantur. Sustine Dominum, & expecta eum: noli despondere animum. neque enim ille sibi deerit, *fidelis est, semetipsum negare nequit.* 2. Ti. 2.

18. *Nunc dimittis seruum tuum in pace*: quandoquidem Principem pacis hisce oculis conspexi: illum, inquam, qui est pax nostra: qui facturus est vtraque vnū, id est, qui duos populos coniuncturus, & inimicitias inter Deum & homines sublaturus est: nunc requiescam in pace in hoc pacificatore meo. Hactenus pax promissa fuit, nunquam collata: nunc verò Deus *declinauit super populum suum quasi fluuium pacis*: & simul cum natiuitate huius sanctissimi pueri, orta est *iustitia & abundantia pacis*. Deerat iustitia in terra & proinde pax aduentum suum differebat: nunc autem *misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt*: cùm simul vnitæ sint in vna persona Diuina, quæ facta est iustitia & pax nostra: nobisq; per semetipsum iustitiam & pacem promeruit. O dona amplissima! *Benedixisti Domine* Ephe. 2. Esai. 66. Psal. 84. Psal. 84. Ibidem.

ne terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob. Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum. Mitigasti omnem iram tuam, auertisti ab ira indignationis tuæ. & tuis pacem reliquisti.

19. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Fontem & venam salutis quam desiderauerunt videre tot Reges, tot Patriarchæ & Prophetæ, tot iusti, nec tamen obtinuerunt. *Salutare tuum expectabo Domine*, ait Iacob in hora mortis suæ; at longè felicior Simeon, qui illud oculis conspexit. Neque tu infelicior, si hanc salutem in anima tua susceperis. Mentis inops iudicatur infirmus, qui sanitatem respuit: & medicum venientem ad referendam ipsi sanitatem, à se repellit.

Gen. 49.

20. *Quod parasti ante faciem omnium populorum.* CONSIDERA, quomodo oculi Simeonis, huius salutis intuitu circumuenti fuerint. Expectabat ipse antea consolationem solius Israelis: at nunc palam confitetur hoc esse salutare non modò Israelis, sed etiam omnium populorum. Hic est enim fons ille patens, è quo omnes quicunque sitiunt bibere, & qui polluti & contaminati sunt, se abluere possunt; neminem enim repellit is, qui *diues est in misericordijs*, omnes vocat, omnes inuitat ad salutem. Laus & benedictio sit ei in omne æuum.

22. *Lumen ad reuelationem gentium:* vt videlicet hac luce gentes illuminentur, &

& mysteria atque secreta cœlestia, quæ priùs ab eis abscondita erant, eò quòd propter idolorum cultum & paganismi errores cœci essent, reuelarentur. Hoc est quod per Isaiam Deus Pater ait Filio: *Ego dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Isa. 49. CONSIDERA diligenter per Filium suum nobis quam prouiderit. Dedit eum in salutem infirmis: in lucem cæcutientibus, & in tenebris existentibus. In salutem vt sanaremur: in lucem vt cerneremus quomodo nos oporteat eandem salutem conseruare. In salutem propter voluntatem infirmam & imbecillem ad bona concipienda, & inclinatam ad mala perpetranda: in lucem propter intellectum tenebris ignorantiæ & errorum obscuratum. Accede ergo ad hoc lumen & illuminaberis.

23. *Et gloriam populi sui Israel.* Christus fuit gloria populi Israelitici, quandoquidem carnem assumpsit ex genere Israelitarum quibus dudum antè promissus fuerat: quique à Deo specialiter electi erant vt essent populus ipsius: multisque & amplissimis priuilegijs ab eo decorati, quamuis adeò cœcutirent, vt eum præsentem non agnoscerent, imò Barrabæ latroni postponerent. Ipse etiam est gloria verorum Israelitarum, qui terrena omnia vt stercora reputantes, ea contemnunt & conculcant vt Christum lucrifaciant: qui nefas esse putant in alio gloriari quàm

in cruce Domini nostri Iesu Christi. O Christe gloria mea, honor meus, nobilitas mea: tu abstulisti opprobrium meum & ignominiam captiuitatis & indignæ seruitutis meæ, meque Regem constituisti & exaltasti à tam humili statu, in quo similis factus fueram bestijs insipientibus, ad nobilissimam sortem filiorum Dei & hæreditatem regni cœlestis. Amem te, seruiam tibi, & debitum meum quo tibi obligatus sum agnoscens, nullo vnquam tempore separer à te: in nullo gaudeam nisi in te: de nullo glorier nisi de te, nihil deniq; me delectet, nihil afficiat quàm tuam in omnibus voluntatem perficere: quia tu es Deus meus, Dominus meus, & gloria mea in omne æuum.

IN FESTO S. MATTHIAE APOSTOLI.



Onfiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Matt. 11. CONSIDERA Deum Patrem à Filio benedici & laudibus celebrari: quàm ergo ingens præsumptio & immane sacrilegium esse putandum est, quod eum creaturæ suæ blasphement, sine quo nec momento quidem subsistere possunt. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis, dereliquerunt Dominum,* Isa. 1. *blasphemarunt sanctum Israel.* Blasphemia est idioma inferni, quod in hoc mundo, auspicantur improbi. CONSIDERA esse quod iam genus blasphemiæ: negare videlicet Dominum operibus, & sacram eius legem violare, quasi iniusta; aut ab eo, cui id agendi deesset authoritas, lata esset.

2. Disce à Christo laudare Dominum in Psal. 33.

in omnibus rebus. *Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo.* Dicit, *in omni tempore:* quia tam prosperitatis quando cuncta nobis ad libitum fluunt, quàm aduersitatis tempore quando cuncta nobis contraria esse videntur, laudandus est Dominus: quia *iustus est Dominus in omnibus vijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis:* & *omnia quacunque facit nobis, in vero iudicio facit.*

3. CONSIDERA quanto cum affectu glorificent Dominum Angelici spiritus in cœlis. Et quomodo cœlestis Hierosolymæ idioma sit perpetua quædam laus Dei.
Apoc. 4. Quatuor animalia quæ erant in conspectu Throni Dei, requiem non habebant die ac nocte dicentia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens. Beati qui habi-*
Psal. 38. *tant in domo tua Domine,* dicit Dauid, *in secula seculorum laudabunt te.*

4. *Pater*, inquit Christus: quia solus Christus est filius naturalis æterni Patris: nos verò sumus filij eius, adoptiui per gratiam; ideoque à Christo instructi, qui nos orare docuit, dicens: *Pater noster &c.* audemus Deum Patrem nostrum appellare. Expende tecum, quam obediens filius fuerit Christus Patri suo. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Quanto ergo decentius est, nos Deo obtemperare, qui ex vilissimis diaboli mancipijs, filij Dei adoptiui ab eo constituti sumus: singularis hæc gratia, nullo obsequiorum genere potest

test conpensari. Quanti ergo sceleris erit, eidem parere nolle, atque ipsum offensis quotidianis irritare. O quam malè consonant Pater in ore, & inimicus in operibus & corde. *Si Pater ego sum, vbi est honor meus?* dicit Dominus. Mala. 8.

5. *Domini cœli & terræ.* O Dominum eximium & absolutissimum: *ipse mandauit & creata sunt* omnia: præcepto & voluntati eius non est qui possit resistere. Alij domini seruorum suorum opera egent, quorum sudoribus & laboribus nutriuntur: at summus hic vniuersorum Dominus nullius opera indiget, & nihilominus sustentat & moderatur omnia. Alij dominis maioribus subsunt: & in quantumlibet alto dignitatis gradu constituti sint, superiorem tamen habent Deum: coram quo potentissimi etiam huius mundi monarchæ sunt quasi non essent: sed hic Dominus neminem agnoscit superiorem. Quis ergo coram tanta maiestate non contremiscat? Vbi se abscondet peccator à Domino cæli & terræ? *Quò*, ait Dauid, *à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum ades: si sumpsero pennas meas diluculo & habitauero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua:* cum de me facere possis quicquid tibi collibitum fuerit. Psal. 1

6. Circumspice terram, & cœlos, quorum respectu terra est veluti punctum quoddam, lustra; & tecum expende hunc

Do-

Dominum potuisse & posse creare alios innumerabiles mundos de nihilo, qui hunc visibilem mundum & magnitudine & pulcritudine superent eademque facilitate, qua hunc moderatur & gubernat, moderari posse: ita vt omnia ipsi subiecta futura sint, non minus, quàm modò sunt. O Domine Deus immense, deficit spiritus meus, tuam considerans magnitudinem.

7. *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* CONSIDERA Dominum, quamuis sit magnus, non tamen esse amicum magnorum, sed paruulorum. Quod contrà faciunt huius mundi Domini: qui adhærent potentibus; ad paruulos autem & humiles vix oculos conuertere dignantur. *Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat* Psal. 112. *& humilia respicit in cœlo & in terra?* Esto igitur humilis in oculis tuis, per veram humilitatem, & Deus oculos defiget in te.

8 CONSIDERA Christum hîc non loqui de veris sapientibus & prudentibus, cum tales cupiat esse suos: sed de illis qui de sua sapientia & prudentia inaniter præsumunt: qui iustè meritoque à Domino derelinquuntur. Quis enim eum erudire poterit, qui se sapientem esse iactitat? Quis consilium dabit ei qui se prudentem reputat, & non sibi tantum, sed alijs etiam sufficere existimat? Quis eleemosynam largitur ei quem diuitem credit? *Destruam,*

dicit

dicit Dominus, *ſapientiam ſapientum*, ſecundum carnem, qui vanè confidunt in ſua ſapientia: & *reprobabo prudentiam prudentum* ſecundum carnem, qui ſtultè confidunt in ſua prudentia.

9. CONSIDERA Dominum non reuelaſſe auguſtiſſima ſacri Euangelij ſui myſteria ſapientibus huius mundi, ſed paruulis, quales fuerunt SS. Apoſtoli & Diſcipuli Domini; per quos conuicit & conuertit ſapientes: vt cerneretur in omnibus & per omnia non proficiſci hæc ab humana ſapientia, ſed à cœleſti: ne gloriaretur omnis caro ante Deum. Quia nulla carnis ſapientia, nulla fortitudo per ſe ſufficit ad conſequenda ea, quæ ad æternam ſalutem neceſſaria ſunt. Humiliare igitur ex animo, ſub potenti manu Dei tui: & agnoſce, niſi ille tibi manum adiutricem porrigat, te tuis duntaxat viribus ſurgere, atque niſi luce ſua te illuſtret, à cæcitate tua liberari non poſſe. Refer etiam gratias ei, quod te paruulis quibus hæc myſteria reuelauit, annumerare dignatus ſit. 1. Cor. 1.

10. *Ita pater, quoniam ſic placitum fuit ante te.* Conſidera diuinam voluntatem eſſe regulam & normam totius iuſtitiæ: voluntas enim Dei iuſtiſſima eſt, quia voluntas eius eſt ipſius ſapientia, & iuſtitia. Diſce igitur in omni euentu contentus eſſe diuina voluntate, ſine vlla contradictione aut repugnantia: ſufficiat tibi ad cordis quietem, quod intelligas Deum velle, vt hoc vel illud agas aut patiaris.

O ho-

O homo abiectissime & ignorantiæ tenebris excæcate, quis es tu, & vnde tibi tanta audacia vt ausis resistere & contradicere Deo?

11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Considera Christum æqualem esse Patri quatenus Deus est: & omnia quæ vult Pater & facit, Filium etiam facere & velle, quia est vnus cum Patre Deus, vnius eiusdemque cum illo voluntatis, sapientiæ & potentiæ. Filius autem eò quòd generatus sit à Patre, ideò dicit Patrem sibi omnia tradidisse in manus: non eo modo quo nobis dona sua largitur, cum possit ea nobis non dare, sed naturali voluntate. Adora igitur Christum verum Dei filium, in quo reclusi sunt omnes *thesauri sapientiæ & scientiæ Dei.* & expende tecum quanti te æstimauerit Deus, quia non per alios, sed per vnigenitum filium suum, sibi per omnia coæqualem, te instruere & reparare dignatus est.

12. CONSIDERA quantâ fiduciâ pręditos nos esse oporteat, cum ille cui Pater omnia tradidit, sit frater noster per naturam quam assumpsit è nobis. Ille est qui dispertitur gratiam, singulis iuxta mensuram quam vult. ille est qui sedes regni cœlestis distribuit, & vnicuique locus quem ipsi assignauerit semper tenendus erit: ille est iudex & aduocatus noster, cum quo quicunque causam suam transegerit, transegit cum Patre. Adeamus ergo cum fiducia

Heb. 4. ad thronum gratiæ ipsius, vt ibi inueniamus

mus misericordiam. Quisquis in paupertate sua permanserit, nulli alteri quàm sibimetipsi huius culpam assignare potest; cùm Dominum habeat locupletissimum, illum ditare desiderantem, & ad diuitiarum suarum participationem ipsũ inuitantem.

Nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Quod hic dicitur de Patre & Filio, intelligi etiam debet de Spiritu sancto qui est vnus idemq; Deus cum Patre & Filio. Considera Deum esse tantæ immensitatis, vt à nullo homine ita perfectè cognosci queat, vt nihil eorum, quæ in ipso cognoscendi sunt ipsum lateat: quia cùm ipse sit infinitus, capacitas autem humana limitata & finita, fieri non potest vt infinitum à finito comprehendatur. Contemplantur quidem eum clarè SS. Angeli, & animæ Beatorum in cœlis, & ipsum vident sicuti est; attamen nemo eorum omnia cognoscit, quæ in Deo cognosci possunt. Adora anima mea, & magnifica hanc sempiternam Dei maiestatem: qui lucem inhabitat inaccessibilem: qui nubem & tenebras posuit in circuitu suo: quem licet contemplentur animæ Beatorum, confitentur tamen inconprehensibilem, & plura esse quæ de illius magnificentia ignorant, quàm ea, quæ cognita habent.

14. Filius reuelat Patrem: vt hinc intelligamus id quod antè dixerat, Patrem mysteria sua paruulis reuelare, non hoc pacto

accipiendum esse, quasi excluderet semetipsum: quia reuerà quicquid Pater reuelat, reuelat & Filius; cui Pater dedit omnia, sibi soli reseruans quod Pater sit. Hinc ait Christus discipulis suis: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos; quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis*, vt & vos ea alijs manifestetis.

15. CONSIDERA quàm eximia mysteria sint ea quæ nobis manifestauit Filius: & quanti nos fecerit Deus, qui nos participes esse voluit tam sublimium secretorum. *Deum nemo vidit vnquam*: sed Vnigenitus qui est in sinu Patris, eum nobis reuelauit. Plurimum operæ insumpserunt Philosophi, vt ad aliquam Dei cognitionem peruenirent: quare & illa omnia cognouerunt, quæ de Deo per creaturas ratiocinando sciri possunt: sed multis cum curis & vigilijs, maximaque cum incertitudine & innumerabilium absurdissimorum errorum admistione. Benedicta sit Dei benignitas: qui nobis per sanctissimum Filium suum certissimam sui contulit cognitionem, absque vlla errorum permistione: atque tanta cum facilitate, vt etiam pueri qui vixdum verba formare nouerunt, plura de Deo sciant, quàm vel sapientissimi Philosophorum cognouerunt.

Ioan. 1.

16. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Pater dedit omnia Filio: sciebat enim quàm libera-

lis,

lis, quamque munificus ille futurus esset in homines. Considera Vnigenitum Dei filium ad operum suorum participationem nos inuitare. Omnes vocat; quia omnes salutem consequi gaudet & desiderat. Refectionem, & laborum requiem, & oneris subleuationem pollicetur: quia non est requies, neque voluptas, neque gaudium aliquod solidum & verum extra gratiam Dei: quæ sola nos à graui peccatorum sarcina liberat, & ab intolerabili seruitutis iugo, quo sub Diaboli potestate tenemur, vindicat: conscientiæ recessus serenat, & certum nobis æternæ beatitudinis pignus largitur. Benedictus sit, qui tanta nobis bona contulit, & ad eorumdem participationem nos inuitat.

17. CONSIDERA, quantis molestijs exerceantur ac penè opprimantur qui huic mundo, & appetitionibus suis seruiunt & morem gerunt. *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autē Domini ignorauimus:* dicent improbi, quando ad suam perniciem veritatem agnoscent: quamuis hæc confessio nihil profutura sit eis, eò quòd extra tempus merendi constituti sint. *Sap. 5.*

18. Aspice, quàm grauis sit peccati sarcina: quæ animam in profundissimam inferni abyssum demergit, & adeo hominem incuruatum, tenet vt vix aut ne vix quidem oculos ad cœlum leuare possit, *Miser factus sum & curuatus sum vsque in finem, ota die contristatus ingrediebar.* Hic est *Psal. 37.*

peccati effectus. Hoc est illud talentum plumbi quod Propheta portari cõspexit, in cuius medio residebat impietas. Simul
Zach. 5. etiam expende quàm sint infœlices peccatores, omni iudicio destituti; qui cùm sint sarcinâ tam grandi prægrauati, nihilominus indies illam augent; quia peccatum quod per pœnitentiam non deletur, suâ fœditate pauperem animam in alia quàm plurima pertrahit.

19. Erat graue onus legis antiquæ, quia innumeris cœremonijs & præceptis constabat: ideoque S. Petrus illam vocat iugum, quod *neque nos, neque patres nostri*
Act. 15. *portare potuerunt*: à quo iugo Christus nos exemit; acproinde illos qui hoc iugo onerati ac propemodum oppressi fuerant, vocabat ad sanctissimæ legis Euangelicæ obseruationem & onus. Hanc insignem Domini misericordiam, & singulare beneficium quod in hoc nobis contulit, animo reuolue: atque pro eo gratias ei refer.

20. Ingemisce & dole de mundi perditione; qui quamuis eum Deus ad refectionem, alleuationem, & requiem inuitet: paucissimi tamen reperiuntur qui eum sequi cupiunt. Diabolus clamat; Ego vos laboribus innumeris opprimam; nullam vobis requiem die noctuque concedam, & ab huius vitæ molestijs, ad nunquam finiendas inferni calamitates vos abripiam, & totus mundus post eum currit. *Me dere-*
Ierem. 2. *liquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas quæ contine-*

nere non valent aquas. Quantis laboribus & ſudoribus voſmet, ô infœlices mundi ſectatores, maceratis, pro adeptione momentanei alicuius honoris, aut viliſsimæ delectationis, aut alterius commodi: quod cùm conſecuti fueritis, aqua deficit, & cunctarum rerum quas tanto cum ſudore & cum animarum veſtrarum periculo peperiſtis iacturam patimini?

21. *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Iugum Chriſti eſt lex Euangelica, quæ ſimul coniungit duos populos, Iudaicum & Gentilem. Hanc vocat ſuauem: quia Euangelij præcepta ſunt ſuauiſsima, tractantia ſolùm de amore Dei & proximi. Sacramenta verò ſunt gratiæ fontes, per quę iugum illud nobis multò ſuauius redditur, & adimpletur illud quod dictum eſt per Prophetam: *Computreſcet iugum à facie olei.* *Iſa. 10.* Palmes ſiue ramus putrefactus valde leuis eſt: ita etiam per abundantem gratiam, quæ nobis confertur in Sacramentis, leue redditur nobis iugum Euangelij, vt illud portemus magno cum gaudio & voluptate. Hinc eſt, quod ad martyria currebant etiam virgines delicatiſsimæ ineffabili cum lætitia.

22. Iugum vocatur à Domino lex Euangelica, quia illam ipſe nobiſcum portat. *Abundantius alijs laboraui*, ait S. Paulus *1. Cor.* Apoſtolus: & ſtatim ſubiungit: *non autem*

ego; sed gratia Dei mecum. Tantum verò est quod Deus facit, vt parum admodum homini supersit faciendum: vnde euidenter liquet, quanto ille affectu flagret nos ad cælum perducere: cùm viam ad regnum cœleste nobis tam facilem reddiderit. ideoque pigritia & negligentia nostra iure damnanda est: qui nec parum hoc quod faciendum restat, pro æterna vita consequenda facere volumus.

23. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Considera quàm excellens sit hic instruendi modus: non similis Pharisæorum qui docent & quid doceant ignorant: onera importabilia aliorum humeris imponunt, & digito suo ea mouere renuunt. Si Deus infinitæ potestatis mansuetus est: quomodo homo fragilis & mortalis irâ efferuescet? Si Deus immensæ maiestatis humilis est: quomodo homo vilis & miserijs plenus superbiet? *Quid superbis terra & cinis?*

Eccli. 10. 24. Non vult Deus, vt discas ab eo cœlos & terram creare, nec miracula facere: sed mansuetum esse & humilem corde. Si magnus esse desideras, incipe esse paruulus. Si excelsum virtutum ædificium construere vis in anima tua: opus est vt incipias à fundamento, quod est humilitas. quantò autem ædificium maius futurum est, tantò profundiora debent esse fundamenta. Si ad Deum scandere cupis: prius pone pedes in infimo gradu, qui est humilitas; si aliter ædificaueris, ædificium tuum con-

concidet, si aliter hasce scalas conscendere tentaueris, præceps corrues in abyssum. *Videbam*, dicit Christus, *Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Si exaltatus fueris vt aquila*, ait Propheta Abdias, *& si inter sydera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* *Luc. 10.* *Abd.*

25. *Humilis corde*, non ore tantum: quia, sicut ait Sapiens, nonnulli sunt *qui nequiter se humiliant, interiora autem eorum plena sunt dolo.* Qui humilis est corde, vilē se esse confitetur, nulli se pręfert, omnes se sapiętiores reputat: vilis & non humilis haberi desiderat, honores fugit, de suo contemptu lætatur, iniuriam sibi fieri non cogitat: de nullo conqueritur, de nullo tristatur nisi de semetipso: non excusat peccata sua, sed ea sine vlla tergiuersatione cōfitetur: residet in loco infimo, & demum quasi pro nihilo se habet. *Eccl. 19.*

26. *Inuenietis requiem animabus vestris.* nulla est requies vbi dominatur impatientia & superbia. *Cor impij quasi mare feruens quod quiescere non potest*, ait Propheta. *In patientia vestra*, ait Christus, *possidebitis animas vestras*: quia verè loquendo, impatiens non possidet animam suam, sed eam quasi vendidit: quia ob leue aliquod verbulum ab irascente in ipsum prolatum, extra semetipsum egreditur. O quantâ quiete gaudet cor illius, qui abiectiorem vbique locum quærit, & in angulo delitescit, ne agnoscatur: quique soli Deo placere, eique gratum obsequium præsta- *Isai. 57.* *Luc. 21.*

re nititur. O quantâ requie fruitur anima verè patientis, qui de iniurijs illatis lætatur: qui labores pro delitijs amplectitur! *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* animæ suæ. Et *beati pauperes spiritu*, qui sunt humiles corde, *quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

27. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Attende quis hoc proferat: Christus videlicet Redemptor noster, veritas infallibilis. Et agnosce fragilitati, negligentiæ, ac tepiditati tuæ causam assignandam, quòd tibi videatur iugum hoc asperum & onus hoc graue. Quamuis enim ipse Christus dicat angustam esse semitam quæ ducit ad vitam, & *Regnum cælorum vim pati*, & violentos rapere illud: id tamen dicit tantummodo respectu naturæ nostræ corruptæ, & inclinatæ ad sensualitatem ac mollitiem: sed si quis rectè consideret, nihil iugo Christi iucundius. Quid enim suauius, quidvè leuius, quàm remouere à se vniuersa desideria ambitionis & auaritiæ, omnis perturbationis causam subministrantia: bonum velle, & execrari malum: amare cunctos, & neminem odisse; desiderare bona sempiterna, rebus transitorijs desiderio affixum non esse; & ad hæc omnia Spiritus sancti gratiâ mirificè adiuuari. *Semper* enim *præsumit sæua perturbata conscientia*, ait Sapientia. & contrà: *secura conscientia quasi iuge conuiuium.*

Matt. 12. Sap. 17. Prou. 19.

IN

IN FESTO ANNVNCIATIONIS DEIPARÆ VIRGINIS MARIÆ.



Issus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilaæ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen virginis Maria. Considera, quanto tempore expectatum, quantisque votis desideratum fuerit beatum hoc tempus. *Rorate cœli desuper*, clamabant sancti Patres, qui Christi aduentum præcesserunt, *& nubes pluant iustum: aperiatur terra & germinet Saluatorem.* *Isa. 45.* O *vtinam dirumperes cœlos*, qui tanquam ferrei videntur, *& descenderes.* *Isa. 64.* Sed Deus tanquam id, quod nullis meritis promereri poterat, quando voluit, hoc ipsum operatus est. *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*, ait Apostolus. *Gal. 4.* Inane vocari potest omne tempus quo mundus fuit sine Christo, cùm ille solus sit, qui implet omnia & perducit ad perfectionem. Refer gratias anima mea Dominon quod modò completum sit tempus,

 in

in quo altissimum incarnationis suæ mysterium vnicum nostri lapsus remedium operaretur.

2. CONSIDERA, vt absque rumore & strepitu, tam augusta mysteria tractentur inter Angelum & Virginem thalamo suo reclusam, & à cunctis segregatam tractentur. Inter hos concluditur & determinatur eximium incarnationis Dominicæ mysterium, absque alicuius scitu aut sensu. O quàm mirabilis est Deus in consilijs suis! Mūdus totus similis est tintinnabulis, plenus rumoribus, omnis expers substantiæ: in quo sæpenumerò id quod magis resonat, si penitius introspicias, nil nisi merissima vanitas est. Expende tecum econtrario, quàm exiguum strepitum seruus Dei in mundo faciat: delitescit forsitan in angulo & vix agnoscitur, & tamen orationibus suis sustentat vniuersum mundum: & per ipsum Reges victoriam de hostibus suis referunt. *Helias homo erat similis nobis passibilis*, ait S. Iacobus, *& oratione orauit, vt non plueret super terram: & non pluit annos tres & menses sex. & rursum orauit, & cælum dedit pluuiam.* Considera, quàm penè nullum strepitum fecerit S. Paulus primus Eremita, qui in abditis cellulæ suæ latens, cælos etiam sanctitate suâ stupefaciebat.

Iacob. 5.

3. *Missus fuit à Deo.* Non poterat ab alio mitti ad tale mysterium peragendum. Deus solus infinitâ sapientiâ suâ inuenire potuit talem modum, quo homini ita succurreret,

vt & iustitiæ satisfaceret, & misericordiam bonitatemque suam excellentissimè patefaceret. Ab ipsius clementia proficisci potuit, vt extremæ nostræ miseriæ præter omne meritum nostrum commiseratione permoueretur. A bonitate ipsius prouenire potuit, vt se adeò liberaliter communicaret creaturis suis, vtque tam arctâ vnione verbum diuinum naturæ humanæ copularet, vt verè dici possit, Deus est homo, &, homo est Deus. A potentia ipsius nasci potuit, vt res adeò differentes, cuiusmodi sunt Deus & homo, in vno supposito diuino sibi inuicem vnirentur. Obstupesce de hac infinita Dei sapientia. Lauda & glorifica bonitatem eius & misericordiam. Adora potentiam cæterasque illius perfectiones quæ in hoc mysterio excellentissimè sese manifestarunt.

4 Conuerte oculos ad mundum, & attentè considera, quid eo tempore homines agerent cùm omnipotens Deus statueret Angelum suum pro hac legatione exequenda ablegare. Immemores erant propriæ salutis: immersi commercijs & negotijs terrenis, peccata peccatis cumulabant. Gentilitas dedita erat idololatriç, alijsque execrandis sceleribus: de quibus S. Paulus Apostolus loquens, ait: *Qui cum cognoscerent Deum, non sicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes autem se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutaue-* Rom. 1

 runt

runt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, & cętera quæ sequuntur. In populo verò Iudaico, licet veri Dei cultus conseruaretur, non modicus tamen defectus erat in moribus, ritibus & in consuetudinibus: in quibus tamen specialiter peccabant capita populi, cuiusmodi erant Scribæ, Pharisæi & Principes populi, qui erant pleni cupiditate, ambitione, & hypocrisi. Hinc conijce, quàm longè abfuerit mundus ab eo, vt mereretur hanc gratiam, quin potius eâ se indignum tot sceleribus reddebat, & demirare misericordiam Dei.

5. Angelus hanc legationem Virgini defert: quia sancta virginitas magnam affinitatem habet cum Angelis: & condecens non erat, mysterium tam augustum, per alium quàm per vnum è ciuibus cælestibus tractari; neque per quemcunque, sed per vnum ex principalioribus, cuiusmodi erat hic S. Angelus, cui nomen Gabriel, hoc est *fortitudo Dei*: cuius nomen bellè cum hoc mysterio conuenit. nam annunciaturus erat aduentum eius, qui erat brachium Dei, quique fortitudinem suam in deuincendis potestatibus infernalibus manifestaturus erat: *Dominus fortis & potens: do-*
Psal. 23. *minus potens in prælio*, ait Dauid. Attende quanta æstimatio de vili homine fiat in cælis: quandoquidem pro earum rerum, quæ

quę salutem ipsius spectabant, executione, delegatur vnus è præcipuis cælorum incolis. Neque tamen hoc magnum erat: cùm iam decretum fuisset in supremo sanctissimæ Trinitatis consistorio, vt propter eum descenderet magni consilij Angelus, vnigenitus ipse Dei Filius. Laudem te Deus meus: sit tibi grata anima mea; quandoquidem ita magnificasti puluerem & cinerem.

6. *In ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.* Noli anima mea transire absque consideratione quicquam eorum quæ pertinent ad hoc mysterium: cùm in hoc cælesti gaudio non solùm principalia, sed etiam minima sint consideratione plenissima. *Galilæa* interpretatur *rota* vel *volubilis*. *Nazareth* verò *sanctitas*, aut *separatio*, aut *vnctio* siue *consecratio*, aut *custodiens*. Is igitur qui veniebat ad sanctificandum mundum stabilitatis expertem, & indesinenter in modum rotæ præterlabentem, conceptus est in Nazareth prouincia Galilææ. Nazareth in Galilæa est Christus inter homines. Stabilis in eo statu, quo eum Deus collocauerat, homo permanere neglexerat, indeque excidens iacturam fecit totius sanctitatis, perdidit coronam nobilitatis, quam ei Deus donauerat; amisit etiam dominium creaturarum & imperium totius orbis terrarum, quò fiebat vt cuncta animantia illum dominum & Regem suum agnoscerent. Christus verò Redemptor noster verus Deus & homo, sanctita-

tem reddidit hominibus, eiſque coronam amiſſam reſtituit: per eum floruit & germinauit terra priùs ſterilis & arida: ipſe denique cuſtodit eum, qui ſeipſum cuſtodire à perditione non valuit. Non fuit conceptus Hieroſolymis, quam inclytam reddebant & thronus Regius & templum Dei: ſed in prouincia Galilææ, vt opus hoc neque aſcriberetur ſanctitati templi, neque ſacrificijs ibi oblatis, neque Regum aut Sacerdotum meritis, ſed certò intelligeretur, eſſe hoc extra omne meritum: ſicut etiam dicit Iſaias propheta: *Nomen*
Iſai. 30. *Domini venit de longinquo*: quia *longè à*
Pſal 118. *peccatoribus ſalus*. Benedictio ſit illi, per quem, qui longè erant, propiores facti ſunt.

Geneſ. 6. 7. *Ad virginem venit Angelus. Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* Si ergo futura erat communio inter Deum & homines, eaque tam arcta, vt Deus factus homo, conuerſaretur cum hominibus, non alia id ratione faciendum erat, niſi per virginem puriſſimam & ab omni contagione carnalis concupiſcentiæ alienam. *Ecce*, ait Propheta
Iſai. 7. Iſaias, *Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod interpretatur, Nobiſcum Deus.* Nullam itaque in hoc auguſtiſſimo myſterio obtinent carni ſeruientes, & qui mancipia ſuorum indomitorum appetituum effecti, ſe in cœno ſpurciſſimarum libidinum ſuarum volutant, niſi tam periculoſo & exitiali ſtatui re-

renunciauerint.

8. Desponsata fuit beata Virgo: sic enim conueniens erat, tum honori eius, tum famæ illius qui nasciturus erat: tum etiam, vt tam sublimia mysteria principi huius mundi occultarentur; ad quod quamuis alia remedia ei non deessent, hoc tamen suauius & conuenientius fuit. Attende processum diuinæ sapientiæ, quali cum prudentia & cautela, quantaque cum suauitate procedat. Quantumuis bonum illud sit quod aggredi intendis, non debes tamen illud per tales vias & rationes, quæ alios offendant, ad effectum perducere. Disce à diuina sapientia quæ disponit omnia fortiter, & gubernat omnia suauiter, non violenter negotia tua peragere, sed suauiter ea moderari. *Cur præcipitas hæreditatem Domini*, dixit illa sapiens mulier Ioab obsidenti Abelam. Conueniens prętereà erat, vt DEVS ita virginitatem honoraret, vt matrimonium non omninò negligere videretur; ideoque virginitatem & matrimonium in hac Virgine simul coniunxit, quamuis virginitas longè matrimonium antecelleret. Virgo desponsata est, virgo humilis quæ non inaniter suam vbique ostentat & prædicat virginitatem, sed matrimonio illam contegit. Placet Domino virginitas humilitati sociata: virgo enim superba in numero fatuarum virginum collocatur, quibus porta regni cælestis occluditur, & à fidelium communione segregantur.

2. Reg.

9. Des-

9. Desponsata erat hæc Virgo Iosepho, homini magnanimo & omnibus virtutibus ornato. Talem enim decebat esse illum, cuius fidei concrederetur tam ingens thesaurus quem fidelissimè custodiret. Conseruauit Patriarcha Ioseph frumentum in tempus famis: at hic Ioseph à Domino prælectus fuit, vt esset custos matris suę, atque cum puero Iesu & matre illius in Ægyptum fugiens, panem nostrum custodiret, qui in passione sua molitus & sanguine suo subactus alturus erat vniuersum terrarum orbem. Considera, quantæ dignitatis fuerit officium huic sancto homini concreditum; quia sponsus extitit Virginis, pater putatiuus Christi, & educator qui eum enutriuit, cuíque Dominus cæli & terræ subiectus fuit. Honore quanto potes maximo prosequere illum, quandoquidem Deus tántis ipsum honoribus prosecutus est, & assume eum in aduocatum in cunctis necessitatibus tuis.

10. De domo Dauid fuisse dicitur Ioseph: vt intelligamus ex eadem domo beatam Mariam oriundam fuisse, quia vnius eiúsdemque tribus erant. Hinc Isaias Mariam appellat virginem *de radice Iesse*, qui fuit pater Dauidis. In omnibus Spiritus sanctus hoc potissimum agit, vt manifestò prophetias & prædictiones, quas per ora Prophetarum aliquando euenturas esse prædixerat, cernamus impletas fuisse. Promiserat Dauidi descensurum esse de stirpe illius Messiam longè antè promissum: ne-

Isa. 11.

que

que tamen hanc promissionem impedire valuerunt peccata Salomonis & aliorum Regum ex eadem stirpe descendentium. Originem duxit sanctus Ioseph de stirpe Regum, quem tamen magis nobilitabat quòd esset verus hæres virtutum Dauidis, mansuetudinis & iustitiæ ipsius, nec non homo secundùm cor Dei.

11. *Et nomen Virginis Maria.* Vltimo loco posuit Euangelista nomen Virginis. Primò enim edixit nomen Angeli, deinde ciuitatis & prouinciæ: tum nomen sponsi: denique adiecit nomen Mariæ tanquam diu multumque exoptatæ, vt si cætera nomina leui brachio transiliremus, in hoc requiesceremus, & in eius consideratione delectaremur. *Maria* interpretatur *exaltata & sublimata.* quæ enim ad sublimiorem honoris gradum euecta fuit, quàm ea quæ mater vnigeniti filij Dei esse meruit? Interpretatur etiam *Mare amaritudinis:* vt hinc intelligamus Deum inæstimabilem hanc dignitatem amaro aloë miscere. Nulla altiùs exaltata fuit Mariâ, at nec vlla grauioribus quàm illa confecta fuit afflictionibus, cuius animam doloris gladius in passione ac morte vnicè dilecti Filij sui pertransiuit. Interpretatur etiam *Magistra maris* siue *stella*; quæ nos in procelloso & periculis pleno mari huius mundi ad tranquillissimum æternitatis portum securos perducat. Si itaque criminum immanitate turbatus conscientiæ fœditate confusus, iudicij horrore perterritus barathro incipias

cipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, hanc stellam respice: MARIAM cogita, MARIAM inuoca: non recedat ab ore, non recedat à corde. Ipsam sequens non deuias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras. Ipsâ tenente non corruis, ipsâ protegente non metuis, ipsâ duce non fatigaris, ipsâ propitiâ peruenis, & sic in temetipso experiris, quàm meritò dictum sit: *Et nomen virginis MARIA.*

12. *Et ingressus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum. benedicta tu in mulieribus.* Sola erat beata Virgo, nō in plateis aut publicis semitis oberrans, neque ad fenestras, sed in secretario cubiculi sui reclusa: quia difficilè conseruatur virginitas & honestas in publico. Dina filia Patriarchæ Iacob, cùm curiosior extitisset, mox recepit præmium curiositatis suæ, quia iacturam fecit pudicitiæ. Introiuit Angelus: vt tu intelligeres, DEVM, si te ab hominum consortio segregaueris, vbique locorum te inuenturum esse, tantoque citiùs quo magis absconsus & abstractus fueris.

13. Salutat eam Angelus, tanquam per quam vniuersum genus humanum salutis remedia consecuturum erat. Hæ sunt visitationes quibus illi gaudent qui hominum commercia deuitant: Angelorum videlicet familiaritates. Ita salutantur, qui fucatos mundi honores, salutationes in foro, & oscula manuum, quibus mundus suos ho-

norat, fugiunt. Iacob egressus domo paternâ conspicatus est scalam à terra ad cælum vsque porrectam, & Angelos DEI ascendentes & descendentes per eam. In reditu solus existens luctatus est cum Angelo, & promeruit benedictionem & mutationem nominis *Iacob*, quod interpretatur *luctator*, in *Israel*, quod idem est quòd *vir praualens* DEO. Non reliquit DEVS suos omnis solatij expertes. Illis enim qui amore sui solatia terrena contemnunt, consolationes cælestes largitur. Gen. 32.

14. Plenam gratiâ vocat eam: quia alijs datur gratia per partes, verùm in Mariam effusa est cum tota plenitudine. Considera vt meliorentur res nostræ. Locutus est serpens Euæ, & venenoso suo halitu illam impleuit maledictione. Loquitur Angelus Dei Virgini, & illam gratiâ plenam vocat. Per fœminam nostra incœpit perditio: at per vnam virginem nostra initium sumpsit reparatio: illa infœlix, hæc omni gratiâ cumulata. Si minimus gradus gratiæ adeò nobilitat animam, vt illam speciosiorem & nobiliorem Angelis cœlestibus, quoad ipsorum esse naturale, constituat: quàm venustam, quàm decoram, quàm nobilem æstimandum est fuisse illam benedictam Mariæ animam, cunctis gratiæ donis abundantissimè repletam?

15. *Dominus tecum.*

Præuenit Dominus nuncium suum, & erat cum Virgine ante Angeli aduentum.

In te est, tanquam in domo sua, quam architectatus est per semetipsum. In te est, velut in tabernaculo quodam, quod sanctificauit per semetipsum. In te commoratur non aliter, ac in templo sancto suo. In te habitabit multò sublimiùs & singulariùs, quàm in vlla alia pura creatura: humanam enim carnem ex te assumet, sibique coaptabit. Is denique quem neque cœlum neque terra capere sufficiunt, in vtero tuo se recludet, & homo verus efficietur. Attende quàm inæstimabiles sint hæ diuitiæ: & considera, quomodo obscuretur cum his collata, omnis pulchritudo, omnis decor, & nobilitas carnis, omnis margaritarum & lapidum pretiosorum apparatus: quicquid denique ad ornatum corporis adhiberi solet, cum vniuersa mundi gloria & maiestate. *Fallax est gratia &*
Prou. 31. *vana est pulchritudo: mulier timens Deum ipsa laudabitur.* Compara hoc dictum, *Dominus tecum*, cum omni fœlicitate illius, quæ in sponsam Regis alicuius potentissimi eligitur, aut in mundi Dominam cooptatur, quæque omnibus delitijs & voluptatibus, quæ excogitari possunt, affluit: & totum tibi lutum esse videbitur.

16. *Benedicta tu in mulieribus.*

Per quam omnes benedicendi sumus: per quam maledictio è mundi finibus exterminanda est. Vide quàm diuersa sint iudicia Dei, à iudicijs hominum. Quot eo tempore Reginæ, quot præcellentes Dominæ agebant in mundo, quas homines cuncti suf-

ſuſpiciebant, admirabanturque: qui in omnium ore verſabantur: quorum habebatur ingens ratio & æſtimatio: & beatæ inter cæteras mulieres dicebantur, & nulla earum oculis Dei complacuit. Hæc verò quæ erat ab hominibus obliuioni tradita, abiecta, paupercula, mundo incognita; hæc, inquam, benedicta in mulieribus ore Angelico pronunciatur, & cæterarum gloria, finem accipit: hæc verò glorioſa permanet, in omnia ſæcula ſæculorum.

17. *Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio.*

Proprium eſt virginum timere præſentiam & loquelam virorum. Qui alicuius theſauri cuſtos conſtitutus eſt, ſemper eſt pauidus, præſertim cùm Apoſtolus Paulus dicat, nos portare theſaurum in vaſis fictilibus. Turbata eſt humilis virgo, laudes ſuas percipiens, ſed non tali perturbatione, quæ iudicium rationis obſcuraret. Secum tractabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Eua faciles aures præbuit ſermonibus ſerpentis, & quia non ſapienter expendit ſecum, quid ille ſuaderet, quidque faceret, omnes homines ſecum pertraxit in perditionem. At Maria Virgo prudentiſſima, probè ſciens, ſatanam ſe quandoque transfigurare in Angelum lucis, ſecum attentiùs diſquirebat, cuiuſmodi eſſet iſta ſalutatio. Inſtruare à prudentia & ſapientia huius Virginis, Matris diuinæ ſapientiæ.

2. Cor. 4

18. Et

18. *Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.*

Non molestè fert Deus, quòd videat suos esse cautos, nec primo statim aditu suscipere salutationem ob latam; imò ipse omnem eorum pauorem & turbationem, à sancto timore profectam, aufert & abstergit: eumque qui prudenter animo pertractat & ponderat ea, quæ examinanda videntur, ipse instruit & edocet. Appellat autem Angelus Virginem nomine suo, eique se familiarem facit, vt eam securiorem redderet. Et monet eam ne timeat, eò quòd gratiam inuenerit apud Deum: quia verè loquendo, hoc solum omnem metum & timorem à nobis depellere potest. Non sufficit Principum & Regum terrenorum gratia & fauor ad nostri securitatem; quia illi quartò sunt maiores, tantò amplius timendi sunt. At Deum fautorem habere, hęc est vera securitas. Fœlix Maria quæ gratiam inuenit apud Deum. Fœlices & illi, quibus eandem inuenisse, datum est.

19. *Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.*

O legationem excellentissimam! O remedium diuinum, omnium quæ vnquam in creaturarum reparationem ordinata fuerunt, excellentissimum! Potuerunt illud pronunciare Prophetæ: potuerunt in spiritu prænoscere Patriarchæ, quibus Deus illud reuelauit. At solaMaria digna habita fuit, in qua illud perficeretur. Considera,

vt non solùm non obliuiscatur Deus suæ promissionis, verumetiam ijsdem verbis, quibus ea prædicta fuerat, eam adimpleuit: *Ecce*, ait Propheta Isaias, *virgo concipiet & pariet filium*. Et Angelus ad Virginem: *Ecce*, ait, *concipies & paries filium*. Ne turberis autem quod propheta dicat, *& vocabitur nomē eius Emmanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus*, & Angelus dicat, *vocabis nomen eius IESVM*, quod idem est quod Saluator, quia fortè idem denotant, *DEVS nobiscum*, &, *Saluator noster*: nequeenim qui minor esset quàm Deus, poterat nos saluare. *Domui Iuda miserebor*, ait Deus per Prophetam Oseam, *& saluabo eos in Domino Deo suo: & non saluabo eos in arcu & gladio & in bello, & in equis & in equitibus*. Benedictus Deus qui factus est Saluator noster, nec salutis nostræ remedia alteri committere voluit. Isai. 7. Osee. 1.

10. *Concipies*, dicit, *in vtero*.

Quasi diceret: Ibi hæc omnia operanda sunt, absque vllius hominis cooperatione Ex hoc monte abscindetur lapis ille sine manibus hominum, qui posteà excreturus est in montem magnum, & impleturus vniuersam terram. Hic adimplebitur nouum illud quod *fecit Dominus super terram, vt fœmina circundet virum*: virum inquam omnibus numeris absolutum. Talis enim fuit, quoad animam Christus Redemptor noster, iam ab ipso instanti Conceptionis suæ. Considera hanc nouam Conceptionem reparare Dan. 2. Iere. 31.

damna

damna veteris conceptionis, secundùm quam generamur ab Adamo in peccato Originali: simulque erubesce, attendens tuæ conceptionis miseriam. Gratias denique refer ei, qui tuæ restaurationis causâ, concipi dignatus est in Maria virgine.

21. *Paries filium.*

Specificat conceptionem & partum: quia vtrumque miraculosum erat. Concepit enim virgo, & peperit virgo. Considera partus huius qualitatem, & filij nobilitatem. O partum singularem! O Filium omnium quos vnquam mundus habuit filiorum præclarissimum! Verè miseros Adami filios, si hic filius de Maria Virgine natus non fuisset. Paries filium, qui cùm sit ab æterno genitus, ex vtero tuo nascetur in tempore: qui cùm sit vnigenitus Dei filius, eiusdem cum Patre substantiæ, tuus erit filius eiusdem tecum substantiæ. Qui denique, cùm in cælis Patrem habeat sine matre: in terris te matrem habebit sine patre. Tu illum paries, tu illum vberibus lactabis, tuus filius erit, qui te fecit, qui te nutrit & sustentat, qui est Deus & Creator tuus, & omnium Angelorum. O suauitatem ineffabilem! Paries filium, qui Pater erit futuri sæculi: qui homines Dei filios constituet: qui exules Euæ filios, ab exilij legibus vindicabit. Benedictus sit hic partus: gloria & honor sit huic filio, per quem filij iræ, filij gratiæ efficiuntur.

22. *Vocabis*

22. *Vocabis nomen eius Iesum.*

Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te. Cant. 1.

Nunc illa nomina quæ horrorem incutiebant, cuiusmodi erant, *Deus exercituum*, *Deus vltionum*, conuertuntur in nomen miræ dulcedinis, vt adolescentulæ ad dilectionem illius inuitentur. Nunc *apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, qui* adeò humanus factus est, vt humanam ex virgine carnem assumpserit: adeò etiam benignus, vt vocatus sit *Iesus*, & qui anteà minabatur, & terrorem animis inferebat, nunc se constituit Saluatorem. O dulce nomen, mel in ore, iubilus in corde: nomen terras lætificans, & cælos gaudio implens. *Paruulus*, ait Propheta Isaias, *natus est nobis, & filius datus est nobis, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Quid admirabilius, quàm cernere Dei filium, humanæ naturæ consortem, & IESVM, hoc est, Saluatorem nostrum effectum? Quis consiliarius excellentior Iesu, qui Saluator noster factus, largitur nobis consilia salutis, & verba vitę æternæ habet? DEVS est IESVS. Si etenim Deus non esset, saluare nos neutiquam posset. *Fortis* est IESVS, quia nos ab inimicorum nostrorum feritate liberat, & fortem armatum custodientem diligenter atrium suum, hoc est, Principem huius mundi superat: quem vinctum, armis spoliat, & spolia eius diripit. *Pater futuri sæculi,*

Tit. 3.

Isai. 9.

cæli, est Iesus, quia nos saluando, regenerat nos ad æternam vitam. *Princeps pacis* est Iesus, quia reparans nos, pacem constituit inter Deum & homines. *Itaq; in nomine Iesu flectatur omne genu, cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur*, quod ipse sit Saluator mundi, qui post mortem suam resurrexit gloriosus, ascendit in cælum, & sedet in gloria Dei Patris.

23. *Hic erit magnus, & filius Altißimi vocabitur.*

Magnus est & fuit ab æterno in sua diuinitate. & filius Altissimi, à quo genitus est absque principio temporis. Sed quoniam in tempore factus est homo & filius Mariæ, ideò ait Angelus ad Virginem, quòd filius, quem conceptura erat & paritura, *magnus* futurus esset, & *filius Altissimi* vocandus. Non dicit, tu illum vocabis filium Altissimi, sicut dixerat de nomine Iesu, sed *vocabitur*: quia hoc nomen illi Pater imposuit, qui eum genuit: qui solus perfectè illum agnoscit, quique hoc nomen post illius incarnationem, in Baptismo & Transfiguratione ipsius manifestauit. Nihil igitur perdidit Deus, humana carne se induens, nec quicquam imminuta est ipsius diuinitas: sed lucrifecit hominem, atque ad supremam dignitatem euectus fuit: quia filius hominis per incarnationem, est etiam Dei filius. O mysterium summum & singulare! O inæstimabile Sacramentum! Saluis remanentibus vtriusque natu-

naturis, diuinâ & humanâ, in vna perſona verbi diuini, maieſtas noſtram aſſumit humilitatem: potentia noſtram fragilitatem: æternitas noſtram mortalitatem: & vt ſatisfieret debito noſtræ naturæ, impaſſibilitas noſtram ſibi copulat paſſibilitatem; & tale fit inde temperamentum, vt vna eademque perſona, ſit filius Dei & filius hominis: vt ſecundùm noſtræ neceſſitatis exigentiam, vnus idemque ſit mediator Dei & hominum, & ex vna parte mori poſſet, ex altera autem reſurgere. *Magnus erit*, ſed hoc pacto, vt priùs deſcendat in prælium, contra iratiſſimum hoſtem noſtrum diabolum. Deſcendet autem, non in maieſtate ſua, ſed in noſtra humilitate, obijciens ei eandem, quam ad lapſum impulit naturam, videlicet mortalem: vt homo gloriari poſſet, quemadmodum è domo ſua peccatum prodijt, ita ex eadem domo remedium prodijſſe: & ſicut homo ſuperatus fuit à diabolo, ita ab homine diabolum deuictum ac profligatum fuiſſe.

24. *Magnus erit*, quia hic lapis abſciſſus abſque manibus hominum, creſcet in montem magnum, & implebit vniuerſam terram. *Ante illum procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent. Reges Tharſis & inſulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes Reges: omnes Gentes ſeruient ei. Humiliauit & exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt* Iſai.71 Phil.2.

super omne nomen. Si cupis magnus fieri, imitare Christum qui paruulus factus est, & formam serui induit.

25. *Et filius Altissimi vocabitur.*

Qualis filius? vtique obsequentissimus, qui mortem oppetiturus est, ex obedientia Patris: cibus enim ipsius erit facere voluntatem eius. Filius, inquam, in quo Pater sibi complacebit, & per quem filij rebelles & inobedientes Patri reconciliabuntur. Filius, per quem serui adoptabuntur in filios, & hæredes efficientur Regni cælestis.
Rom. 8. *Si filij*, ait S. Paulus, *& hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Agnosce nunc, ô homo, dignitatem tuam, & factus consors naturæ diuinæ & regni cælestis hæres, per hunc Altissimi filium, noli degenerare & demittere te ad rem vilissimam, hoc est, peccatum, nec cor tuum terrenarum rerum curis prægrauare,

26. *Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*

Sedes Dauidis Regis fuit Sion. Ab hac etiam initium accipit prædicatio Euangelij & Regnum Christi, quod inde se diffundit
Psal 105. per vniuersum terrarum orbem. *Virgam virtutis tuæ* & imperij, quę fuit Euangelij prædicatio, & miraculorum, quæ in eius confirmationem edita fuerunt, *emittet Dominus ex Sion*, ait Propheta Dauid: vt domineris & regnes in medio inimicorum tuorum, hac virga subiugatorum, & ab infide-

fidelitate, quæ illos inimicos veræ fidei constituebat, conuersorum. Domus Iacob sancta est Ecclesia, quam veri inhabitant Israelitæ: non enim omnes illi qui descendunt ab Israel, sunt Israelitæ, vt sanctus Paulus testatur; neque filij carnis, filij Dei. *Dedit illis potestatem filios Dei fieri*, ait sanctus Ioannes, *his*, nimirum, *qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri: sed ex Deo nati sunt*: per spiritualem videlicet generationem, quæ fit per aquam baptismi & per Spiritum S. qui operatur in ea. In hac domo Iacob regnat, & *regnabit* Christus *in æternum*, *& regni eius non erit finis*. Lauda anima mea Deum & glorifica eum qui partem tibi contulit in hoc regno.

Rom. 9.

Ioan. 1.

27. *Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*

Attende amorem, quo hæc virgo flagrabat erga virginitatem, quia cùm essent ei oblata tam sublimia mysteria, quæ Deus in ea operari volebat, curam nihilominus habet virginitatis, & ab Angelo, quomodo ea perficienda essent, quærit: *Quomodo* inquit *fiet hoc, quoniam virum non cognosco*, hoc est, quia firmum non cognoscendi virum propositum habeo: nam Deo virginitatem meam consecraui, & quamuis Iosepho desponsata sim, illum tantum habeo virginitatis meæ custodem, non violatorem. O virginitas sancta! soror Angelorum: vi-

ctoria carnalium voluptatum: flos candidissimus, pulcherrimus & odoratissimus, ex horto cælesti decerptus: illustrior portio ouilis Christi: ab æterno Rege dilecta: à iustissimo iudice approbata: Domino dedicata, & à Deo consecrata. Confundantur omnes voluptatum carnis sectatores: quandoquidem pro vilissimo pretio, pretiosissimam & inæstimabilem virginitatis margaritam vendunt: quam Virgo hęc sapientissima tanti fecit, vt dubitaret an eam pro Maternitate Dei commutaret.

28. *Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Noli timere Virgo gloriosa quòd Deum aut Angelum ipsius offensura sis, habendo tantam rationem tuæ Virginitatis: quin potius per hoc ipsum, Deum multò magis inuitas, vt in te veniat carnemq; quæ Verbi diuini instrumentum futura sit, ex vtero tuo assumat. Non venit auferre Virginitatem, qui iudex illius futurus est: quemque Virgines perpetuò comitabuntur, concinentque illi canticum nouum quod nemo alius cantare poterit. Virginem vult Deus, & nisi Virgo extitisses, nunquam te ille, qui venit vt ignem carnalis concupiscentiæ in hoc mundo restingueret, in Matrem suam elegisset. Conflagrabat rubus, in quo Deus Moysi apparebat, nec tamen consumebatur. Ita & tu Virgo beatissima, concipies quidem & paries,

Exod. 3.

paries, nec tamen vllum Virginitatis tuæ dispendium patieris: faciet autem hoc Spiritus sanctus in te, & virtus Altissimi quæ tibi obumbrabit. Considera, quanto gaudio B. Virgo ex hac responsione, perfusa fuerit: cùm audiret se saluam retenturam esse margaritam illam quam maximi æstimabat, idque per media tam eximia & obstupenda, cuiusmodi erant Spiritus sancti operatio, Altissimique vmbra & protectio. Expende tecum quantum Deus honorauerit in hoc Virginitatem, honestatem & puritatem: quia potius voluit tam insolita, & supra communem naturæ ordinem existentia, quale est hoc, quod Virgo sine Virginitatis iactura concipiat & pariat, operari: quàm permittere, vt pulcherrimus Virginitatis flos, in ea quæ futura erat Dei mater, delibaretur. Excitent te hæc ad diligendam castitatis virtutem.

19. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Per Altissimum hic Deus intelligitur. Vnde manifestè liquet, illud quod Spiritui sancto hoc in loco attribuitur, opus fuisse totius SS. Trinitatis, cuius opera, quæ in creaturis efficit, indiuisa sunt, id est, omnium trium personarum. Sed quia opus Incarnationis Dominicæ magni & singularis amoris, ex quo diuitiæ bonitatis & misericordiæ Dei patefactæ sunt, extitit: ideo potissimum Spiritui sancto assignatur, cui amoris opera assignari solent, eò quòd Pa-

tris & Filij amor sit. Fuit hęc conceptio Dei filij tota spiritualis, nihil in se habens carnalis concupiscentiæ: fuit tota sancta, nullâ peccati vmbrâ commaculata, ac propterea rectè dicit Angelus: *Spiritus Sanctus superueniet in te.* Ille, inquam, qui in principio mundi ferebatur super aquas, conferens illis virtutem animalia producendi, calefaciens etiam & viuificans illas suo calore, *superueniet in te*, & ipsius virtute formabitur in vtero tuo, corpus illud purissimum, quod animâ sanctissimâ informatum, Verbum Diuinum in vnitate personæ sibi arctissimè coniunget vnietque. Hoc pacto concipies Dei filium hominem in vtero tuo effectum. *Spiritus est enim qui viuificat, caro non prodest quicquam. Factus est*, inquit S. Paulus, *primus homo Adam in animam viuentem: nouissimus verò Adam*, id est, Christus, *in spiritum viuificantem*: quia, nimirum per illum viuificandi eramus in corpore & anima: ideoq; in conceptione secundi huius Adami, venit Spiritus sanctus in Mariam, venit in Virginem, venit in mundam & puram: vt hinc intelligas, qualia habitacula quærat diuinus hic hospes. *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate.*

Gen. 1.

Ioan. 8.

Cor. 15.

Sap. 1.

30. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

ub hac vmbra non est quod timeas vim caloris concupiscentiæ carnalis: non erit hæc vmbra similis illi, quam Ionę præ-

buit

buit hedera, quæ paulò pòst exaruit. Virtus Altissimi qui omnia vincit & insuperabilis est, opus hoc exordietur. Hac virtute fient hæc in te, quæ vim totius naturæ superant: hac virtute fragilitas carnis tuæ roborabitur: hac virtute formabitur corpus illud tantæ virtutis & roboris, vt nulli illud labores, nulla tormenta superare possint: vtque in dorso suo flagella, quæ hominum peccata promeruerant, ferat: & in humeris suis gestet vas illud, intra quod erat talentum illud plumbi, quod Propheta Zacharias portari vidit, id est, iniquitates omnium hominum à principio commissæ & vsque ad finem mundi committendæ. Noli timere Beata Virgo, quòd Sol te consumpturus sit; quamuis enim scriptum sit, *Non videbit me homo & viuet:* tu nihilominus concipies in vtero tuo Solem iustitiæ, & viua permanebis: quia *virtus Altissimi obumbrabit tibi;* & quamuis splendor dignitatis, quæ tibi hodie communicatur, tantus sit, vt etiam oculatissimos excęcare possit: tu tamen nihil omninò de tua virtute perdes, sed potius efficieris humilior, quia *virtus Altissimi obumbrabit tibi,* ne splendor hic maximus visum tibi eripiat. *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi.* Accede igitur ad optimam hanc arborem, & iucundissimam sub ea inuenies vmbram. Colloca te anima mea sub hac vmbra, & refrigeraberis. Et si calor carnalis concupiscentiæ te molestat, propter continuam carnis pugnam

Ion. 4

Cant. 2

Zach. 5

Exod. 3

Zach. 5

contra spiritum: sede sub hac vmbra & fortificabitur spiritus tuus ex virtute Altissimi.

31. *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Sanctus fuit qui de Maria natus est. Sanctus in conceptione, & Sanctus in natiuitate. Nunquam in eo habuit, nec locum habere potuit peccatum. Ideoque Daniel propheta Christum
Dan. 9. nominat, *Sanctum Sanctorum*, quia per eum sanctitatem accipiunt, omnes qui eam habuerunt, aut habituri sunt. Male-
Iob. 3. dicit Iob diei natiuitatis suæ, quia omnes nascimur naturâ filij iræ, atque in peccatis concipimur: sed Christus Redemptor noster sanctus fuit in conceptione & sanctus in natiuitate, ideoque benedicta fuit fœlicissima dies natiuitatis eius.

Considera modò sanctitatem huius Verbi diuini incarnati, & attende quàm longè absis ab ea: accede igitur ad ad illum vt te sanctificet.

32. *Et ecce Elisabeth cognata tua & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Cùm ea quæ Angelus B. Virgini MARIAE annunciauerat, omnem naturæ vim excederent, vt B. Virgo tantò magis confirmaretur: dat illi Angelus pro signo conceptionem Elizabethæ sterilis, vt quemadmodum S. Ioannes Baptista præcursor Christi fuit, ac testimonium de illo perhibuit,

buit, ita conceptio eiusdem, testimonium perhiberet de conceptione Christi. Aspice quàm suauiter Deus procedat, & quomodo fragilitatem nostram adiuuet: vt non terrearis, nec animo concidas propter difficultates, quæ tibi se offerunt in semita diuini seruitij: sed vt confidas, ipsum tibi onus illud quod tibi imponit, moderaturum ac viribus tuis coæquaturum esse. *Fidelis est Deus*, ait S. Paulus, *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* 1. Cor.

33. *Dixit autem Maria ad Angelum: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.*

Omnes virtutes excellenter fuerunt in B. Virgine Maria. Earum præcipuæ in hoc B. Virginis cum Angelo colloquio emicuerunt. Inter has verò mirabilis fuit humilitas illa, quam in vltima responsione sua demonstrauit. Eligebatur enim in Dei Matrem, & ipsa in ancillam se obtulit. Considera, quàm parum eam extulerint laudes Angeli, tituliqúe & nomina præclara, quibus ab eo honorata, ac denique promissio, qualis nunquam antea puræ creaturæ facta fuerat. Veri humilis proprium est, quò magis exaltatur, eò se magis deprimere. Qui frumentum euentilant, grana cum paleis in altum proijciunt, sed paleæ in aërem à vento sustolluntur, grana verò in vannum recidunt. Spicæ vacuæ & quæ pauca grana in se habent erectæ stant: quæ verò granis refertæ sunt, ad terram inclinantur. Maria exaltata demit-

tit se: & cùm esset plena gratiâ & sanctitate, inclinat se atque humiliat, & tanquam verè humilis, subijcit se diuinę voluntati. Ab eadem humilitate proficiscitur, quòd se Ancillam illius fateatur, seque prompta cum obedientia offerat, ad omne diuinum beneplacitum. Placuit quidem Deo propter puritatem suam virgineam, sed concepit Deum humilitate. Hucusque intercesserant inter B. Virginem & Angelum promissiones & oblationes: sed posteaquam comparuit humilitas, omnia completa fuerunt. Humilitate conceptus fuit, qui futurus erat magister humilitatis, quiq; nos humili obedientiâ suâ redēpturus erat. Lucifer ob superbiam suam è cœlis corruit: Maria verò propter humilitatem suam, super omnes Angelos euecta fuit: cùm priùs in Dei matrem electa fuisset. Principium peccati & totius perditionis nostræ fuit superbia: principium reparationis nostræ est humilitas. Dilige hanc virtutem: subijce temetipsum Deo: non contradicas vlla in re voluntati eius. Attentus & morigerus esto ad omnia quæ de te facere voluerit: hoc enim debet creatura Creatori suo, & homo Deo suo, qui ipsius saluandi causâ, humiliauit se, formam serui accipiens, & in Cruce pro ipso moriens.

IN FESTO S. MARCI EVANGELISTÆ.



Esignauit Dominus Iesus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum quò erat ipse venturus. Luc. 10.

CONSIDERA Christum colligere milites ad certamen cum mundo ineundum. Eligit duodecim Apostolos propter duodecim tribus Israel: & septuaginta duos discipulos propter cæteras gentes. Sed ô Domine, quid tam pusillus grex, pro tam innumerabili hominum multitudine? Non consistit fortitudo Christi in multitudine militum; paucis enim ingentes sternit exercitus. Instituit Christus Ecclesiam, in qua quidam futuri erant Pastores, Apostolorum videlicet successores: alij verò Sacerdotes, septuaginta discipulorum successores: atque hic est robustissimus ille exercitus Domini Dei exercituum, quod destruxit in vniuerso mundo simulachrorum cultum, eumque ad obedientiam fidei adduxit. Benedictio sit ei, qui operatus est opera tam stupenda, per instrumenta

tam fragilia.

2. Apoſtolorum fuerunt duodecim & diſcipulorum ſeptuaginta duo: vt hinc intelligas, quò quis perfectior ſit, eò rariorem eſſe: quia non graditur per ſemitam illam latam quam multi ambulant, ſed per anguſtam quam pauciſſimi tenent. Cor. 12. *Æmulamini*, inquit S. Paulus, *chariſmata meliora.*

3. Miſit Chriſtus binos, vt ſe inuicem conſolarentur, & alter de alterius honeſtate & pia conuerſatione teſtimonium perhiberet. *Melius eſt*, inquit Sapiens, *duos eſſe ſimul quàm vnum: habent enim emolumẽtũ ſocietatis ſuæ: ſi vnus ceciderit, ab altero* Eccl. 4. *fulcietur. Væ ſoli, quia cùm ceciderit non habet ſubleuantem ſe. Et ſi dormierint duo, fouebuntur mutuo. vnus quomodo calefiet? Et ſi quiſpiam præualuerit contra vnum, duo reſiſtent ei.* Ne confidas immodicè in temetipſo, ſed elige tibi aliquem, cum quo conſilium capias: qui te moneat, qui te dormientem excitet, qui te frigidum calefaciat. Ne dixeris; Sufficiens ſum mihimetipſi ne corruam. Hæc eſt enim pœna ſuperbiæ & vanę perſuaſionis.

4. Mittit binos: quia charitas duos in ſe complectitur amores; vnum Dei, alterum proximi: nec poteſt amor eſſe inter pauciores, quàm inter duos. Et vt hinc intelligerent charitatem ipſius potiſſimùm ſectandam & conſeruandam eſſe: cùm nemo poſſit rectè prædicandi officium exercere, niſi Dei & proximi amore ardeat. Hinc S. Pau-

S. Paulus Apostolus dicit se nihil esse, si charitatem non haberet. Quali autem charitate ergaproximum flagraret, alibi testatur cùm ait: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalisatur, & ego non vror?* Si proximum dilexeris, compatieris illius necessitatibus, & illum pro virili adiuuabis: *Qui enim*, S. Ioanne dicente, *habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas* Dei *manet in eo?* 1. Cor. 1. Cor. Ioan. 3.

5. Mittit illos *ante faciem suam*, tanquam sui aduentus prænuncios. *Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri*, ait Propheta Esaias. Disce obseruare ac reuereri prædicatores Euangelij: & attentè auscultare verba Dei: quia prædicatores suos sequitur Christus: & omnes qui suscipiunt verba illius, dignam Deo habitationem præparant. *Beati* enim, vt Christus ait, *qui audiunt verbum, Dei & custodiunt illud.* Esai. 40. Luc. 11.

6. *Et dicebat illis: Meßis quidem multa; operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum meßis, vt mittat operarios in messem suam.*

Quid est hoc? Necdum soluta, necdum arata & subacta est terra, necdum semen iactum est in agro, & iam agitur de messione? Hæc sunt opera Dei. Quamuis enim præmitteret discipulos suos ante se; ipse tamē iam signatos & electos habebat omnes qui credituri erant; & inuisibiliter opera-

batur

batur in ipſis, diſponens corda illorum ad prædicationem ſuſcipiendam. Dicit igitur illis: *Ecce ego mitto vos*: vt vno eodemque tempore ſeminetis, & metatis, & colligatis: ne videlicet attribuerent ſibimetipſis fructum prædicationis. Homo foris loquitur, ſed Deus intrinſecus mouet cor. Nam *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus*. Intellige hinc, eiuſdem generis eſſe omnes noſtros labores: quamuis enim aliquid facere videamur, niſi Deus proſperitatem cœptis noſtris tribuat, parui pretij & vtilitatis ſunt omnia quæ agimus. Quòd ſi aliquod opus æternæ vitæ meritorium efficimus; non nos illud operamur, ſed gratia Dei nobiſcum: vt non in ſuperbiam erigamur, ſed humiliemus nos ſub potenti manu Dei.

7. *Meſſis quidem multa.*

Aſpice quanta ſit mundi infidelitas, quantæ hæreſes: quam multi mali Chriſtiani: quanta rerum cœleſtium ignorantia: quanta Dei obliuio: quanta quotidiè in mundo committantur ſcelera. Diſcurre per omnes ciuitates & loca: tranſi per omnes vicos & plateas; auſculta quid agatur in publico, quid in ſecreto: & videbis quanta in obliuione ſint apud homines virtutum ſtudia, quamq; floccifaciant negotium ſeruiendi Deo. Dole quod tantam in mundo videas confuſionem & inordinationem; ora Deum, vt medelam his malis adhibere dignetur. Tu etiam quantum

potes enitere, vt ex messe hac perdita manipulum aliquem eripias, diuinoque conspectui præsentes.

8. *Lætabuntur coram te*, inquit Propheta Esaias, *sicut qui lætantur in messe*: quando nimirum messis est copiosa. *Esa. 9.*

Agricola cùm seminat, non gaudet, quia frumentum optimum & purissimum in terram spargit, & qualem messem habiturus sit ignorat: timet enim ne totius seminis iacturam faciat: messis verò tempore, si ea fertilis & copiosa est, plurimùm lætatur. *Euntes*, inquit Propheta Dauid, *ibant & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Fœlices qui seminant cum lachrymis, quia metent cum incredibili gaudio. Noli quærere immodicè in præsenti vita gaudium; hoc enim est tempus serendi: semina, & lachrymis irriga, quæ seminaueris: quia *beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* *Psal. 125.*

9. Accidit sæpenumerò, quòd copiosa videatur esse messis: ad triturationem verò cùm peruentum fuerit, totum est palea, frumenti verò boni paucissima quantitas. *Multi*, vt ait Christus, *sunt vocati, pauci verò electi.* Si putas esse tibi multos manipulos bonorum operum, quos diuinæ Maiestati offeras; diligenter attende, ne in illis plurimum paleæ, & parum sit frumenti. Examina opera tua, & da operam, vt nihil illis insit vanitatis. *Concipietis ardorem*, inquit Propheta Esaias, *& parietis stipulam.* *Esa. 33.*

Prosi-

Prôspice tibi, ne opera tua sint similia: quia in granarium Dominicum non nisi purissimum frumentum inferetur.

10. Pauci sunt operarij, qui fideliter laborent in messe Domini, qui non sua commoda, sed animarum profectum quærant: qui non modò sua, sed etiam semetipsos parati sint impendere pro salute animarum pretioso sanguine Christi redemptarum. Conducit Dominus messis messores; ipsi verò comedunt & bibunt, & tempore messis dormiunt; messionis autem laborem alijs commendant, ne ipsi fatigentur. O
Zach. 11. Pastor & Idolum derelinquens gregem! labora sicut bonus miles Christi: & sicut bonus operarius considera cuius sint prouentus quos percipis: cogita Dominum messis operariorũ suorum labores intueri, & sub finem diei iubere, vt illis qui strenuè laborarunt merces numeretur; alijs verò qui tempus inutiliter consumpserunt, minimè.

11. *Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.*

Dei est messis: idem ipse mittit operarios: & eosdem, quos mittit, bonos operarios reddit, facitque vt labores eorum sint fructuosi: ac proinde ijsdem operarijs dicit, vt rogent *Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam*: vt hinc intelligant, quamuis ipse illos mittat, non tamen futuros dignos operarios, nisi, ab ipso tales efficiantur. Magnum est Dei beneficium, quando populo suo bonos largitur operarios:

rios: ſicut è contrario ingens eſt Dei flagellum, quando eoſdem tollit. *Mittam*, inquit Deus per Amos Prophetam, *famem in terram: non famem panis neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini:* eò quòd nemo futurus ſit qui illud populo prædicet: nec qui *paruulis*, vt inquit Ieremias, *panem petentibus, eundem frangat*. *Facit* Deus, teſtante Iob, *regnare hominem hypocritam propter peccata populi*. Roga igitur Deum: ne in populum ſuum hoc genere caſtigationis animaduertat: & vt te bonum faciat operarium in meſſe, quam collecturus eſt ex anima tua: cui, ſi non potes referre ingentes manipulos, vt minimum cum Ruth Moabitide ſpicas collige, & illi offer.

Amos 8.
Tren. 4.
Iob. 34.

12. Diuinæ voluntatis non eſt, vt inter miniſtros ſuos regnet inuidia, ita vt ſibi inuicem officia inuideant & auferant: ſed vt tantum meſſis Dominicæ profectum attendentes, multos operarios in meſſem mitti deſiderent, qui plurima colligant & ſe inuicem ad operandum excitent; deq́; aliorum in meſſe induſtria gaudeant. *Quis*, aiebat Moyſes hoc ſpiritu plenus, *tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus ſpiritum ſuum*. Charitas enim non æmulatur, neque vlli inuidet. Diſce hinc lætari ex donis quæ conſpicis in fratribus tuis: & non modò nullam ex eis ſentire moleſtiam, ſed etiam Deum precari vt eadem augeat & amplificet. *Soror noſtra es*, aiunt fratres Rebeccæ ad Rebeccam, *creſ-* Ioan. 24

cas

tas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum tuorum. profligando nimirum illos, & ciuitates eorum inhabitando.

13. *Ite. Ecce ego mitto vos.*

His verbis ad magnam illos excitat audaciam & confidentiam, quasi diceret: Sufficiat hoc ad vestri confortationem: sufficiat hoc vobis, vt spontaneè omnibus laboribus & molestijs quæ se vobis offerent, occurratis, difficultatesque omnes & aduersitates constanti animo sustineatis; neque enim deseram eos quos mitto. Ego ad quem finem vos mittam, noui: difficultates etiam quæ vobis occursuræ sunt, & auxilium quo egetis, non ignoro. Consolamini ergò, & magno animo estote qui mei causâ laboratis, qui mei estis ministri, quique imperium meum perficitis. *Pro*
2. Cor. 6. *Christo,* inquit S. Paulus, *legatione fungimur:* ex quo solo tantum animum capiebat, vt paratus esset non tantum vinculis constringi, sed etiam mortem subire pro nomine Domini nostri Iesu Christi. Hinc alibi dicit: *Omnia possum in eo qui me confortat:* qui me Apostolum constituit, & ad Euangelium annunciandum misit. Noli serui Dei animam abijcere, nec terreant te labores, qui se tibi offerunt in via Domini: considera cui seruias; atque in eo qui tibi voluntatem sibi seruiendi dedit, quique te elegit & posuit, vt fructum semper manentem adferres, totam spem tuam repone.

14. *Ecce ego mitto vos.*

Quasi diceret; Non vos moueat cupiditas, nec desiderium honoris vestri, quasi magni & honorati esse velitis in hoc mundo: hoc enim si egeritis, corruetis. moueat vos potius obedientia & imperium meum, quia *vir obediens loquetur victorias.* Considerate cuius sitis ministri, nec velint serui maiores esse domino suo: neque Apostoli maiores eo, qui misit illos. Ego sum pauper; ego humilis; ego patiens; ego obediens; ego veni in hunc mundum *ministrare, non ministrari, & dare animam meam pro ouibus meis:* tales si fueritis, fructus vester certus & præmium vestrum erit copiosissimum.

Prou. 21.

Iob. 13.

15. *Sicut agnos inter lupos*

Quod nouum hoc inuentum venator diuine? Quis vnquam vidit lupos agnorum operâ capi? Hæc sunt mirabilia Domini. *Tu es Deus, qui facis mirabilia.* Non vicit Christus mundum ingenti exercitu hominum armatorum, neque expugnauit eum tormentis bellicis, sed humilitate, mansuetudine, patientiâ, & virtute verborum suorum. *Arma militiæ nostræ,* inquit S. Paulus, *non carnalia sunt: sed potentia Dei, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Audi eundem S. Apostolum Paulum declarantem, quomodo hi agni à Christo missi cum lupis decertauerint. *Puto,* inquit

Psal. 36.

1. *Cor.* 10.

1. *Cor.* 4.

inquit, *quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit tanquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, Angelis & hominibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cadimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema vsque adhuc.* Hoc pacto agni Christi cum lupis decertarunt, illisq; deuictis, ex rapacibus lupis agnos reddiderunt. Magna est vis humilitatis & patientiæ, quæ mundum obstupefaciunt, hominumque mundanorum corda vincunt. Ita si decertaueris, etiam victus vinces: si verò semper malum pro malo reddideris, etiam vincens vincêris.

Esa. 11. 16. *Habitabit*, inquit Propheta Esaias, *lupus cum agno: & pardus cum hœdo accubabit: vitulus & leo & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.*

Hæc sunt mirabilia quæ Filius Dei in Ecclesia fecit, in qua nationes anteà mutuis se armis oppugnantes & interimentes, intestinisque odijs inter se diffidentes, nec simul pacem habere valentes, vni Euangelicæ legi subiecit, & mutuâ se charitate complecti, atque in vna domo, vnoque ouili pariter mansuefactus commorari fecit, ita

vt infans paruulus ad eorum gubernationem sufficere posset. Dicit igitur Christus ad discipulos suos: Nolite mirari, quòd vos mittam *sicut agnos inter lupos:* quia simul in vno ouili agnos cum lupis, & leones cum ouibus iungere cogito, efficereq́; ne alij alijs noceant. Noli excusare teipsum, per tuam ad malum pronitatem, quia Deus ex lupis agnos, & ex leonibus oues facere nouit. Si lupus es, accede ad Christum & disce ab illo humilitatem: si impatiens, disce ab illo mansuetudinem. Non est dignus numerari in ouili Christi, qui à fratrum iniurijs non abstinet, & pacem cum proximis conseruare nescit.

17. *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta: & neminem per viam salutaueritis.*

Dices fortè: cùm Christus discipulis suis non attribuerit ingentes exercitus ad mundum debellandum, illumq́ue ad suum imperium subiugandum: nunquid dedit eis ingentes opes ac diuitias, quas inter eos, qui legem Euangelicam susciperent, dispertirentur? Considera quos illis thesauros donauerit: cū præceperit eis ne portarent sacculum neque perã, in qua etiam si voluissent, ne modicum quid ad necessitatum suarum prouisionem secum ferre possent. Quasi dicere voluisset: Non vincetis Mundum, discipuli mei, potentiâ, neque diuitijs, sed humilitate, patientiâ, paupertate, & omnium quæ mundus adorat & magni æstimat, contemptu. Christia-

nus

nus qui cœlestes diuitias expectat, paruipẽdit terrenas; maximè si intelligat quanta cum difficultate diuites ingressuri sint regna cælorum. *Habentes*, inquit Apostolus,
1. Tim. 6. *alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.*

18. Non vult Christus prædicatores suos sollicitudine rerum temporalium distineri. *Ecce*, ait, *ego mitto vos*. Ego inquam, qui auibus cœli non seminantibus, nec metentibus, neque in horrea congregantibus cibum præbeo: qui pulchritudine flores campi vestio: quomodo igitur fieri poterit vt eorum qui mei causa laborarint obliuiscar? *Coruis*, inquit Deus ad Heliam, *præcepi,*
3. Reg. 17. *vt te pascant*. Et Danieli in lacu Leonum
Dan. 14. existenti misit prandium quod Habacuc operarijs suis deferebat. Ei qui aliud non quærit, quàm vitam sustentare, vt prædicationis officio satisfaciat, sufficit hæc consideratio: sed ei qui sua tantùm commoda venatur, & vt genio suo liberaliter indulgere possit, quærit: doctrina hæc dura & ingrata est. Refræna igitur tuam cupiditatem: abijce à te superfluam solicitudinem: quære primùm *regnum Dei & iustitiam*
Luc. 12. *eius, & cætera*, videlicet exteriora *adijcientur tibi*. Sicut enim nemo duobus dominis potest inseruire; ita fieri non potest, vt quis Deo simul seruiat & auaritiæ.

19 *Neminem per viam salutaueritis.*

Voluit in hoc Christus demonstrare quanta cum sollicitudine, diligentia & festinatione officium, quod illis iniungebat,

exequi

exequi deberent; ne ad aliquid quod ipsos vel impedire, vel ab opere incœpto posset abstrahere, se conuerterent. Magnum opus est intendere lucris animarum: nec assumendum est, tanquam parui momenti negotium; sed tanquam tale, à quo nulla obuia res quantacunque illa sit, eum, qui operi huic incumbit, prępedire debeat. *Euntes ibant & flebant.* Qui lachrymans, mœstus, & cogitabundus ingreditur, cum obuijs parum loquitur. Sic & bonus Euangelij minister dolere debet animarum perditionem, & coram Deo mœstus esse, seq; affligere pro illis quibus prædicaturus est: & ex consideratione magnitudinis officij sui cogitabundus ingredi. *Veritatem dico in Christo Iesu*, ait S. Paulus Apostolus, *non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu S. quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*. Idem scribens ad Galatas à falsis Apostolis seductos: *Filioli mei*, inquit, *quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis*. hoc est, donec perfecti efficiamini Christiani, atque instar pueri iam plenè conformati, omnia ad verum Christianum requisita habeatis. Quòd si hoc pacto se gerere debet, qui conuersioni aliorum intendit: quid censes vnumquemque facere debere pro salute animæ suæ, quâ nihil in hoc mundo charius & pretiosius habet.

Psal. 125.

Rom. 9.

Gal. 4.

20. *In quamcunque domum intraueritis,*

primùm dicite; Pax huic domui.

Hæ ſunt diuitiæ quas ſecum ferunt miniſtri & prædicatores Euangelij. Pacem nimirum Dei, cuius inimici ſumus cùm in peccatis viuimus. Princeps pacis mittit nuncios ſuos, vt in vniuerſa terra pacem
Eſa. 52. annuncient. Conſiderauit in ſpiritu Propheta Eſaias ſanctos hoſce Euangelij prædicatores, & plenus gaudio, ait: *Quàm pulchri ſuper montes pedes annunciantis & prædicantis pacem?* CONSIDERA quàm exi-
Phil. 4. mium bonum ſit hæc pax, quæ, vti S. Paulus ait, *omnem ſenſum excedit:* & tecum expende, quàm libenter eam Chriſtus nobis communicauerit, quia diſcipulos ſuos miſit, vt eorum, qui ea agebant, domos ingrederentur, illiſque hanc pacem offerrent.

Matt. 10. 21. *Non veni*, ait Chriſtus, *pacem mittere in terram, ſed gladium.*

Vt hinc intelligas, hanc pacem à diſcipulis Chriſti populis adferendam, non eſſe pacem cum vitijs & appetitionibus carnis: cum quibus præliaturus venit Chriſtus. *Qui enim*, S. Paulo atteſtante, *Chriſti*
Gal. 5. *ſunt, carnem ſuam crucifigunt cum vitijs & concupiſcentijs.* Sine hac pugna nemo de illa pace, quam Chriſtus nobis offert, gaudet.

22. *In quamcunque domum intraueritis, primùm dicite; Pax huic domui. & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra: ſin autem, ad vos reuertetur.*

Offerat Deus dona ſua: ſed neceſſarium

est vt nos dispositi simus ad ea percipienda. Inuitat medicus ad sanitatem; sed infirmus, ea quæ ipsi à medico præscribuntur, facere debet. Quòd si adeò mentis inops est, vt ostium medico claudi iubeat, eique parere detrectet, sanitatem nunquam recipiet. Quid faciet Deus illis, qui per summum scelus ipsum repudiant & à se repellunt; qui dicunt: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Non est pax impijs, dicit Dominus, sed tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* Iob. 21. Esa. 48. Rom. 2

23. *Requiescet super illum pax vestra.*

Magnus thesaurus est pax animæ, si permanens est: si autem statim amittitur, homoque, gratiæ quâ Deus eum decorauerat, adsciscendo illum in gratiam & amicitiam suam oblitus, bellum ei peccatis suis mouet, magnum malum est. Beati super quibus pax hæc requiescit, & in quibus perseuerat. *Dabit tibi*, inquit Propheta Isaias, *Dominus Deus tuus requiem semper, & implebit splendoribus animam tuam: & eris quasi hortus irriguus: & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* Isai. 58.

24. *Sin autem ad vos reuertetur.*

Id est, non amittetis fructum laborum vestrorum, neque charitatis vestræ atque animarum zeli: ipsis enim perditio sua imputabitur, postea quam vos officium vestrum peregeritis. Non te p apediat in operibus charitatis quæ proximis exhibes, quod videaris tibi nullum fructum facere,

aut quòd illis quibus ea impendis parum grata ſint: ſed pro omnibus hominibus ad Deum preces funde; omnibuſque quoad potes benefac. Oratio enim tua ſi illis, pro quibus oras, non profuerit, reuertetur in ſinum tuum: idem fiet de alijs charitatis operibus. Adeoque laborum tuorum nullam omnino iacturam facies, ſed omnium illorum remunerationem ſuo tempore à Deo percipies. *Non enim*, vti S. Paulus ait, *iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis & miniſtratis.*

Hebr. 6.

25. *In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos ſunt. Dignus eſt enim operarius mercede ſua. Nolite tranſire de domo in domum.*

Non modò, ait Chriſtus, nullas vobis opes aſſigno, quas inter illos quibus prædicatis diſtribuatis: ſed etiam volo vt ipſi vos ſuſtentent: quandoquidem illorum intereſt, vt vos Euangelium illis annuncietis, tantumque bonum, quantum eſt pax, ipſis adferatis: neque enim magnum eſt quòd vos qui ſpiritualia eis ſeminatis, carnalia eorum metatis. Conſidera quantâ grauitate & conſtantiâ velit Dominus diſcipulos ſuos præditos eſſe: quia prohibet, ne leuiter de domo in domum tranſeant: ſed in ea domo, quam ſemel ingreſſi fuerint maneant, & omnia quæ ipſis apponuntur, comedant: ſi etiam ille apud quem hoſpitati fuerint, tenuioris conditionis

1. Cor. 9.

tionis sit, ipsius paupertate, parcoque, quem suppeditauerit victu, contenti sint. Disce hinc stabilis & constans esse in tuis operibus: & similis non esse vexillis in templorum fastigijs collocatis, quæ ad omnem ventum conuertuntur. Vt enim Sapiens ait: *Homo sensatus in sapientia manet sicut sol, nam stultus vt luna mutatur.* Eccle. 27.

26. *Dignus est operarius mercede sua:* sed si operarius non fuerit, neque laborauerit, & tamen mercedem acceperit, væ longum & sempiternum erit illi.

CONSIDERA secundùm Christi doctrinam ministris Ecclesiæ deberi sustentationem, non minus quàm operarijs mercedem: sed fidelis Domini operarius, non tam in ipsam mercedem, quàm in Dominum, pro quo laborat, respicit. Da operam, vt eadem cum fidelitate Deo seruias, & pro ipso cum intentione pura & syncera labores: quia quantò in Dei seruitio minorem ad tua commoda respectum habueris, tantò apud ipsum maioris momenti erunt obsequia tua.

27. *Et in quamcunque ciuitatem intraueritis & susceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis. Et curate infirmos qui apud illos sunt, & dicite illis: Appropinquauit in vos regnum Dei.*

Dat illis potestatem infirmos curandi, in prædicationis suæ confirmationem. Talibus argumentis Deus fidem nostram roborauit: operibus videlicet admirandis, quæ aliâ, quàm diuinâ virtute effici non

poterant: cùm autē illa in testimonium nostræ fidei patrata fuerint, nec Deus testimoniū perhibere possit de re quæ vera nō sit, cùm ipse sit veritas summa: sequitur ea, in quorum testimonium miracula hæc Deus per ministros suos edidit, veritatis infallibilis extitisse. Aduerte hinc, quàm sufficienter Deus prouiderit ne fides meritum suum perderet, aut necessarijs auxilijs destitueretur: cùm enim præcipit nobis vt ea credamus quę omnem naturalem intelligentiam superant: operatur etiam in eorum confirmationem miracula omnem naturæ vim transcendentia.

28. *Appropinquabit Regnum Dei.*

O admirandas Euangelij diuitias! Aspice quàm ingentibus hi pauperculi & omnibus rebus egentes thesauris onerati veniant: corporibus sanitatem, quâ nihil pretiosius, quæque nullo nec auro nec argento comparari potest adferunt: animabus verò pacem & regnum Dei. Pauperes quidem sunt, sed omnes prædicationem suam suscipientes Reges efficiunt. Hoc pacto Deus cælorum diuitias sub terrena paupertate occultauit, & *per stultitiam prædicationis*, vti S. Paulus ait, *saluos fecit credentes*. Appellat autem Euangelij prædicationem *stultitiam*, quia talis videbatur esse mundo: cùm videlicet homines rudes, litterarum ignari, pauperes, & abiecti ea, quæ ab vniuerso mundo recepta, & à mundi sapientibus approbata erant, suâ prædicatione conuincere atque sub-

1. Cor. 1.

uertere

uertere conarentur. Regnat Deus in nobis per gratiam: hæc autem ad regnum gloriæ nos perducit, ideoque regnum Dei est lex gratiæ & status nouæ legis, hoc est, Euangelij, in quo nobis gratia per obedientiam confertur, & portæ regni cælestis per Christum Redemptorem nostrum, nouæ legis datorem, Deique & hominum mediatorem reserantur. Hic est enim, vti S. Ioannes ait, *testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ, qui dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & sacerdotes Deo & Patri suo, ipsi gloria & imperium in secula seculorum Amen.* *Apoc. 1.*

IN FESTO SS. PHILIPPI ET IACOBI.

Ioan. 14.  *Ixit Iesus discipulis suis: Non turbetur cor vestrũ. Creditis in Deum, & in me credite.*

Locutus anteà fuerat discipulis de passione ac morte sua, & S. Petro, qui maiorem præ cæteris animum demonstrauerat, quòd se negaturus esset, prædixerat. Cùm igitur intellexisset ex his verbis eos contristatos fuisse, vt mœrorem hunc ab animis eorum depelleret, ait: *Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me*, qui verus Deus sum, *credite*: quamuis enim vt homo moriturus sim, virtute tamen diuinâ resurgam, & ad vos reuisendos, quemadmodum pollicitus fui, redibo: nec verbis meis, quò minus illa reuerà perficiantur, deero. Fieri non potest, anima mea, quin in hoc mundo, inter tot pericula, occasiones & tentationes vitam agens, non sæpè turberis: verùm ad omnes has turbationes sedandas, remedium est, oculos animumque in Christum verum Deum, qui verbis & pollicitationibus suis deesse nequit

quit, dirigere. *Leuaui*, ait Propheta, *oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi: Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram* & Christus, *Omnis*, inquit, *qui audit verba mea & facit ea, aßimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram, quam neque flumina neque venti euertere potuerunt, eò quòd fundata esset supra petram.* Psal. 120 Matt. 7.

2. Qui flumen aliquod transit, si aquam respiciat, perturbatur: idem si oculos ad cælum erigat, à turbatione recreatur. Si intuita fueris, anima mea, aquas fluminis Babyloniæ, quæ magno cum impetu currunt: si varios huius mundi successus: si altitudinem illius & profunditatem: si rerum quæ in eo sunt inconstantiam & instabilitatem: si multorum qui magni esse videbantur, casum: si naturæ tuæ imbecillitatem, si carnis infirmitatem inspexeris: fieri non potest quin turberis. Sed transfer oculos tuos ab aqua, & dirige illos in cælum, & aspice Deum immutabilem, cuius verborum veritas in æternum manet: hic est qui te creauit, qui suâ prouidentiâ te gubernat, qui te ad se vocat, tibique vt ad se pertingere possis, manum auxiliatricem pollicetur. Non est illusor Deus, nouit imbecillitatem carnis tuæ, nouit naturæ inconstantiam: ipse vas hoc formauit, & quàm fragile sit exploratum habet. Recurre igitur ad ipsum, cum viua fide in omnibus necessitatibus & tribulationibus tuis, & ne dubites quin remedium in ipso

 inuen-

Psal. 72. inuentura sis. *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.*

3. Diligenter considera, num turbatio tua à mala conscientia ortum habeat: quia improbi pacem & quietem habere nequeunt, propter continuos conscientiæ remorsus: & si ita esse inueneris, purga animam tuam ab omnibus peccatis. Hic
Matt. 5. est enim ille aduersarius, cum quo Christus monet vt concordemus in via, ne tradat nos Iudici. Ne putes te pacem habiturum, si oculos claudas & surdus efficiaris ad stimulos & remorsus conscientiæ: quia qui viperam in sinu gerit, periculum suum diu dissimulare nequit: vult enim Deus, vt sibijpsi animus inordinatus & à Deo se separans, tortor sit. *Tradam*, inquit Deus,
Isai. 19. *Ægyptum in manu dominorum crudelium, qui non relinquant ei requiem die ac nocte.*

Prou. 12. 4. *Non contristabit iustum, quicquid ei acciderit.*

Considera, quàm fœlix sit sors iustorum, & quàm securus sit portus Deus omnibus ad ipsum confugientibus. *Fugit impius*, vti Sapiens ait, *nemine persequente:*
Prou. 28. *iustus autem quasi leo confidens, absque terrore erit.* Cùm nihil euenire possit homini, quod à Deo ordinatum non sit, qui in omnibus se diuinæ ordinationi subijcit, non habet quod turbetur; natura enim illius si turbata fuerit, spiritus statim eam quietabit. Agnosce igitur, quod omnes tuæ turbationes proficiscantur ex fidei & confidentiæ

fidentiæ defectu, atque ex paucitate spiritus, & irresignatione quoad diuinam voluntatem atque Dei circa nos dispositionem.

5. *Creditis in Deum, & in me credite.*

Hæc est victoria, inquit S. Ioannes, *quæ vincit mundum, fides nostra. Quis est autem qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est filius Dei!* Magni atque præclari sunt effectus fidei Iesu Christi. Quis enim à mundi vanitatibus se abripi & inescari patietur, si viuâ fide crediderit Iesum esse Dei filium, intellexeritque qualis ipsius in hoc mundo vita fuerit, quàm pauper, quàm humilis, quàm ab omni vanitate aliena? Quis in aduersitatibus deficiet, si cognouerit Christum Dei filium plurimas in hoc mundo persecutiones sustinuisse? Crede anima mea in Christum, non fide mortuâ sed viuâ: agnosce quid in ipso habeas, fiduciam tuam in ipso constitue, & ama illum tanquam Deum & Redemptorem animæ tuæ. 1. Ioan.

6. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* ait Christus.

Domus Patris cælestis est Ecclesia, in qua diuersi status sunt, alij alijs perfectiores, quia vult Deus omnes homines in hac Arca saluari, ac proinde diuersas in ea constituit habitationes. Considera quanto cum amore colligat Dominus omnes in hanc domum, accommodando se vniuscuiusque fragilitati melius quàm Patriarcha Iacob, qui tardiùs procedebat, ne paruulos Gen. 33

suos & pecora, plus quàm ferre possent vrgeret.

7. Domus Patris cælestis est cælum, vbi in æterna beatitudine multæ sunt mansiones, hoc est, diuersi gradus gloriæ, iuxta meritorum diuersitatem. Vt enim S. Paulus Apostolus ait, quemadmodum inter corpora cælestia magna est differentia.
Cor. 15. *Alia namq; est claritas solis, alia lunæ, & alia claritas stellarum. stella enim à stella differt in claritate*: ita etiam magna erit diuersitas in gloria beatorum. Considera qualis sit hæc domus, & quales eius mansiones quæ iustis præparatæ sunt: quibus etiam marmorea & inaurata Regum palatia comparata, viles rusticorúm casæ sunt. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria tua.* Psal. 83.

8. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

Ne timeas quòd tibi defuturus sit locus, time potius ne tu loco desis: infœlices erunt, qui à supernis hisce mansionibus excludentur. Virgines stultæ mansiones
Matt. 25. has ingredi cogitantes, ostium clausum repererunt, & pulsantibus ipsis atque clamantibus, responsum fuit, ipsas sponso incognitas esse. Fideles & boni serui intrant in gaudium Domini sui: improbus verò seruus & imprudens, qui talentum sibi commissum sub terra occultauerat, iubetur proijci in tenebras exteriores, vbi fit fletus & stridor dentium. O rem terribi-

ribilem!

9. *Si quo minus, dixissem vobis: quia vado parare vobis locum.*

CONSIDERA Christi amorem: Ego, inquit, pergerem ad præparandum vobis locum, nisi in domo Patris mei mansiones multæ essent. Quid amplius dicere potest? paratus erat locus, sed nos ad loca illa capienda dispositi non eramus, nisi idem Dominus prius nos disponeret: ac proinde ad mortem pro nobis oppetendam properabat, vt nos dignos regni cælestis habitatores efficeret. Ingens est, anima mea, desiderium, quo tui saluandi & ad domum patris sui perducendi Christus Redemptor tuus flagrat: prospice igitur ne tibimetipsi per tuam negligentiam perditionis caussa sis.

10. Noli esse ingratus; præpara Christo locum in anima tua, quandoquidem ille tam amanter dicit, quod perrecturus esset ad præparandum tibi locum, nisi in domo Patris eius mansiones multæ forent. Locus Christi est, cor mundum. Scopa igitur cordis tui habitaculum, scopis Confessionis: irriga illud lachrymis dolorosis, ex peccatorum recordatione profusis: adorna illud virtutum ornamentis, vt libens volensque veniat Christus ad illud inhabitandum: teque præsentiâ suâ nobiliter ac locupletet. Tulerunt Arcam Dei ad domum Obededom, *& benedixit Dominus Obededom & omnem domum eius.* 1. Reg. 6

11. *Et si abiero & præparauero vobis locum,*

cum, iterum venio, & assumam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis.

Quasi diceret; Vt vt sit, siue locus præparatus sit, siue iturus sim ad præparandum vobis locum, non relinquam vos: sed vbi sum ego, illic & vos eritis. Loquitur hoc pacto Redemptor mundi; quamuis enim secundùm æternam Dei prædestinationem determinatum sit, quem gradum gloriæ vnusquisque habiturus sit: necessarium nihilominus est, vt in hac vita primum vtatur quis medijs, per quæ gloria illa conquiri debet: inter quæ præcipuum fuit passio & mors Christi: in quo S. Paulus testatur, Deum Patrem omnes, quotquot prædestinati sunt, prædestinasse: & sic verum erat dicere, mansiones cælestes iam præparatas esse: verum etiam dicere, Christum ad illas nobis præparandas abiturum esse, quia id per mortem suam fecit. Considera, quantum debeas huic Redemptori tuo, per quem aditum habemus ad Patrem, & ad mansiones regni cælestis.

Ephes. 5.

12. Iterum venit Christus post mortem, & gloriosam resurrectionem suam, & discipulos suos visitauit: accepit etiam illos ad semetipsum, eo die, quo quisque illorum ex hac vita migrauit, illosque ad domum Patris sui cælestis tulit, vt vbi ipse semper fuerat, illic & ipsi essent. Non est oblitus bonus pastor ouium suarum, earum præcipuè quę cum illo permanserant in tentationibus ipsius: adimpleuit perfectissimè omnia quę illis promiserat, quia fide,

fidelissimus est in omnibus verbis suis: vt tu confidas, ipsum idem tecum facturum esse, si fidelis fueris in ipsius seruitio. Voluntatis ipsius est, vt vbi ipse est, illic & ministri ipsius sint. *Ego,* inquit, *dispono vobis regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno.* Quid autem ibi deesse poterit, vbi ille præsens est, qui omnium bonorum plenitudo est?

13. *Et quò ego vado scitis, & viam scitis.*

Proficiscebatur ad Patrem; iter autem erat passio & mors ipsius, per quam ad resurrectionis & ascensionis gloriam peruenit: & quia hæc iam antè prædixerat, ne forsitan illis obscuritatem generarent, affirmat, ipsos scire quò pergeret, eò quòd iam antè ex verbis ipsius hoc intellexissent. Disce hinc quò, & per quam viam ad cælestem Patrem, qui te sui solius causâ condidit, & extra quem cor tuum requiem inuenire nequit, tibi proficiscendum sit: nimirum per iter Crucis. Caue igitur ne ex oculis hunc scopum, ad quem pergis, amittas: ne forsitan à recta semita declines, & carnis tuæ appetitiones sequaris.

14. *Dicit ei Thomas: Domine nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire?*

Sciebant, & non sciebant; quamuis enim à Christo iam audiuissent, non tamen intelligebant. Noli contentus esse diuina mysteria ruditer tantùm nosse: sed da operam vt ea ex diligenti consideratione intelligas & penetres; vtque granum sinapis,

Iob. 14. quod intra se cæleſtem virtutem continet, bene maſtices. Scis, quòd DEVS, qui te creauit, quique omnia vitę tuæ momenta dinumerat, cui etiam omnes cogitationes & deſideria cordis tui patent, ac de omnibus his te aliquando ſeueriſſimè diiudicaturus erit: reuerà in rerum natura exiſtat. Hoc ſi rectè intelligeres, hoc ſi diligenti conſideratione penetrares, & cum animo tuo ponderares, fierinè poſſet, vt habenis diſruptis Dominum hunc tam
Gen. 39. impudenter offendere auderes? *Dominus meus* (ait caſtiſſimus Ioſeph, cùm à domina ſua ad nefarium concubitum ſollicitaretur), *omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua, nec quicquam eſt quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi, præter te quæ vxor eius es: quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in dominum meum?* Si tantum potuit in Ioſepho conſideratio obligationis, quâ obligatus erat domino ſuo, vt illum quaſi vinctum teneret, ne faceret rem hanc nefariam: quomodo fieri poteſt, vt non etiam te refrænet à peccatis, conſideratio immenſæ obligationis, quâ obligatus es Domino Deo tuo, niſi forſitan tigride immanior es?

15. *Dicit ei Ieſus: Ego ſum via, veritas, & vita; Nemo venit ad Patrem niſi per me.*

O verba æternâ memoriâ digniſſima! O doctrinam breuem & compendioſam! Diſce anima mea tria hæc verba; in illis totum

totum studium tuum sit, quia in illis cælestis sapientia continetur. *Ego sum via*, inquit Christus, ducens homines ad æternam beatitudinem: *Ego sum veritas*, animas, ne mundi deceptiones sequantur, liberans: *Ego sum vita*, homines ab æterna morte vindicans, & vitam sempiternam eis conferens. Si à Christo te separaueris, extra semitam aberrabis, in errore viues, & sempiternâ vitâ priuaberis, viuensque mortuus eris. Rectè igitur S. Paulus aiebat, se in nullo alio gloriari, *nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi*. Verè etiam sapientes sunt, qui solum Christum crucifixum norunt.

16. *Ego*, inquit Christus, *sum via*. Non lata illa quæ *ducit ad perditionem*, sed *angusta* illa *quæ ducit ad vitam*. *Via sancta vocabitur*, ait Propheta Isaias, & *non transibit per eam pollutus*. Via hæc, via est puritatis, sanctitatis, humilitatis, patientiæ, paupertatis & obedientiæ. *Dabo*, ait Deus per Prophetam suum Ieremiam, *eis cor vnum, & viam vnam*. Vna est, quia non est nobis salus in alio, quàm in Iesu Christo: nec aliud est *nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*, præter nomen IESV. Fides Christi & imitatio vitæ ipsius, iter est ad regnum cæleste. Et nunc cùm hæc ita se habeant, *quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquã fluminis* Babylonici? *Arguet te malitia tua*,

Esai. 35.
Ierem. 3
Act. 4.
Ierem. 2.

tua, & auersio tua increpabit te. Scito & vide quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum.

17. *Ego sum veritas.*

Psal. 4. Itaque filij hominum, *vt quid diligitis*
Psal. 42. *vanitatem, & quæritis mendacium. Emitte lucem tuam & veritatem tuam*, clamabat Propheta Dauid, & omnes iusti ante aduentum Christi: quod modò adimpletum est. Christus est enim lux. Christus est veritas. Hanc veritatem tu amplectere, & ne patiaris te ab hoste tuo, qui est mendax & pater mendacij, circumueniri. Veritas habet esse, mendacium verò nullum habet esse, sed tantum speciem aliquam siue apparentiam. Quę igitur amentia est vmbram sequi, & ipsam veritatem deserere?

18. *Ego sum vita.*

Esse sine Christo, est mori. *Nomen habes*
Apo. 3. *quod viuas, & mortuus es. Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus*, ait san-
Gal. 2. ctus Paulus. Toto tempore quo fuit sine Christo, viuens mortuus erat: desijt viuere, & Christus in eo viuere cœpit, & tunc primùm veram vitam habuit. *Quis est homo qui vult vitam?* Omnes quærunt viuere, & totus hominum labor in eo consumitur, vt diu viuant. Quærunt omnes vitam, sed qui extra Christum illam quærunt, non quærunt eam vbi inueniri possit. Quære illam in Christo, & inuenies in præsenti vitam gratiæ, & in futuro vitam sempiternæ gloriæ. *Qui biberit ex aqua*

quam

quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Desidera anima mea hanc vitam, & mortiferum reputa, quicquid ab illa te disiungit.

19. *Nemo venit ad Patrem nisi per me.*

Non tantùm Christus est via quâ pergitur ad Patrem, sed etiam vires præbet eandem viam perambulandi: nam *nemo venit ad Patrem nisi per ipsum.* Ideoque vocatur etiam panis vitæ, præbens vires & fortitudinem adambulandum. Comede ex hoc pane, & per hanc viam ambula, atque ad Patrem, in quo tota beatitudo tua consistit, perge. *Ioan. 4.*

20. *Si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis.*

Vnus Deus est Filius cum Patre, vnius eiusdemque cum ipso essentiæ, quem S. Paulus, *splendorem gloriæ & imaginem substantiæ Patris* appellat: quia gignitur à Patre, & ab eo eandem essentiam recipiens, perfectissimam Patris imaginem refert. & hac ratione, qui cognoscit Filium, cognoscit etiam Patrem. Profundissima sunt anima mea hæc mysteria. Desidera nosse Patrem & Filium, & illum, qui eiusdem cum vtroque substantiæ est, Spiritum sanctum, sanctissimam Trinitatem, & Vnitatem perfectissimam. *Hebr. 1*

21. *Et amodo cognoscetis eum, & vidistis eum.*

Talem habuerunt Apostoli de Patre & tota sanctissima Trinitate notitiam, qualis in hac vita haberi potuit; idque per aduentum

uentum & illustrationem Spiritus sancti: de quo Christus ait, quòd docturus & suggesturus eis esset omnia quæcunque diceret eis, eorumdemque perfecta intelligentia corda illorum illustraret. Viderunt etiam Patrem in Christo, qui gloriam suam, per miracula quæ edidit, manifestando, Patris gloriam simul manifestauit. *Vidimus*,
Ioan. 1. ait S. Ioannes, *gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Agnosce anima mea Patrem in Filio, & ex amore atque bonitate Filij, quæ illum permouit vt tui causa mortem subiret cognosce talem esse Patrem qualis est Filius: eiusdem bonitatis, clementiæ & benignitatis: & ex hac consideratione omnem pone diffidentiam, cuius peccata tibi causa esse possunt.

12. *Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.*

Psal. 16. CONSIDERA quàm rectè dicat: *& sufficit nobis. Satiabor*, inquit Propheta Dauid, *cùm apparuerit gloria tua.* Vnum ex nominibus Dei est SADAI, quod interpretatur *sufficiens*: quia Deus sufficit sibi, ita vt nullius rei egeat: sufficit etiam omni creaturæ, ita vt ipsum habens, omnium rerum abundantiā habeat. *Ostende mihi*, ait Moyses ad Deum, *gloriā tuā.* Cui Deus respon-
Exod. 33. dit: *Ego ostēdam tibi omne bonum.* quasi diceret: Noli putare quod parū aliquid postules. in eo enim quod petis vt ostendam tibi gloriam meam, omne bonum continetur: quicquid extra Deum quęsieris anima mea,
non

non tibi sufficiet: egens eris & famelica, quantislibet etiam diuitijs affluas, si Deo carueris. Quære Deum, & tibi monstrabit omne bonum, & satiaberis.

23. *Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis; Ostende nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est?*

Pudore suffundere, quod à tanto tempore profitearis te esse Christianum; scholam etiam Christi frequentes, & nihilominus Christum magistrum & Redemptorem tuum esse non cognoscas, non nudâ illâ cognitione, quæ per solam fidem habetur, sed illa quæ per considerationem acquiritur, & ad opus progreditur. Hoc pacto si Christum cognosceres, sequereris doctrinam ipsius; diligeres eum, & famularis ei, qui pro animæ tuæ redemptione vitam expendit. *Confitentur*, ait S. Paul. *se nosse Deum, factis autem negant. Stultus populus meus me non cognouit*, ait Deus: *Filij insipientes sunt & vecordes: sapientes sunt vt faciant mala, benè autem facere nescierunt.* Tit. 1. Ierem. 4.

24. *Verba quæ ego loquor, à meipso non loquor: Pater autem in me manens, ipse facit opera.*

Generatur Filius à Patre, & ab ipso recipit essentiam & sapientiam: ideoque Christus verba & opera sua Patri attribuit, tanquam principio à quo procedit. Pudefac istâ humilitate tuam arrogantiam: qui cùm ex nihilo conditus sis, nihilomi-

nus in superbiam erigeris, tanquam aliquid à temetipso habeas. *Vir vanus*, in-
Iob. 11. quit Iob, *in superbiam erigitur. & tanquam pullum onagri se liberum natum putat.*

25. *Non creditis quia ego in Patre & Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite.*

Miranda opera quæ Christus edidit, demonstrarunt ipsum esse verum Deum, & ex consequenti ipsum esse in Patre, & Patrem in illo, cùm Patris & Filij sit vna eademque essentia. Da operam vt operibus declares, Patrem & Filium & Spiritum
Galat. 5. sanctum in te esse per gratiam. *Manifesta*, ait sanctus Paulus, *sunt opera carnis. quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia*, & cætera, quæ ibi refert. & paulò pòst: *Fructus autem Spiritus est: Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Hi fructus, in quocunque reperiuntur, cum proculdubio Deus inhabitat.

26. *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.*

Hoc verò adimpletum fuit: nam Apostoli eadem miracula quæ Christus operatus fuit, & maiora etiam perpetrarunt:
Act. 5. quia legimus in Actis Apostolorum, Petrum etiam solâ vmbrâ infirmos curasse: hanc autem virtutem & gratiam miracula perpetrandi, dedit Christus Apostolis,

quando

quando ascendens in cælum, iuit ad Patrem: cùm sancti Apostoli prædicaturi essent fidem ipsius, per vniuersum terrarum orbem, quam talibus miraculis roborari oportebat. Quę omnia ad nostram vtilitatem facta sunt, vt, Ecclesiâ hac doctrinâ & hisce miraculis fundatâ, tu in eam ingredereris, teque, tanquam ad mensam præparatam collocares. Benedictus sit Deus qui nos elegit, & per misericordiam nos vocauit, vt in nobis diuitias bonitatis & clementiæ suæ demonstraret.

27. *Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.*

Pater rogatur, & Filius rogata concedit: quia quod facit Pater, facit etiam Filius. Quæ autem maiores his opes ab hominibus sperari aut expectari poterant? Clauis enim Thesaurorum Patris & Filij à Christo electis suis donatur, vt quicquid petierint in nomine ipsius, obtineant. Non est parcus Deus, affluenter dat omnibus: tua culpa erit, si talem Dominum habens in egestate vixeris. Pete in nomine Saluatoris, ea quæ tibi ad salutem necessaria sunt, gratiam & virtutes, vt semper possis viuere cum illo, in gloria ipsius. Amen.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS.


Rat homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus, quia à Deo venisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.

De nocte venit, quia paucissimi sunt, specialiter ex illis, qui opibus aut honoribus clari sunt, qui omnem respectum mundanum abijciant, quique vexillum Christi palàm ostendant & erigant. Imò quod peius est, infame iam esse censetur, seruire Christo, & illius castra sequi, indiscretio. Dies mundi vanitatibus impenduntur, & clarâ luce, illa quæ ad mundi seruitia spectant, in oculis atque conspectu omnium aguntur: ea verò quæ ad Dei ministerium pertinent, in angulis fiunt: quòd si propter fugam vanæ gloriæ fuga fieret, reprehendendum forsitan non esset: non aliam ob caussam id fit, quàm quòd homines virtutum opera fugiant: Ita infirmus est mundus. Et vtinam de nocte saltem

tem ad Christum veniremus: in hoc enim perseuerando, tandem à nobis omnem auferret humanum timorem, audaciamque præberet ad lucem veniendi.

CONSIDERA, num timor hic mundanus tui dominetur, & da operam vt illum à te expellas. *Si hominibus adhuc placerem*, ait S. Paulus, *Christi seruus non essem.*

2. De nocte venit, quia nondum exortus erat illi sol perfectæ cognitionis, Christi. Agnoscebat illum esse Magistrum à Deo missum: sed non agnoscebat eum esse verum Dei filium. *Qui dormiunt*, ait S. Paulus, *nocte dormiunt, & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt.* Roga Dominum, vt oriatur animæ tuæ sol veræ cognitionis diuinæ maiestatis; hac enim si illustratus fueris excitaberis à somno negligentiæ, & digeres nimium illud vinum sensibilium voluptatum, quod bibisti, quodque te ratione spoliauit.

3. Christus venit in mundum, vt esset magister hominum. *Filiæ Syon exultate & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ.* Scientiam quam Magister hic docet, est iustitia & Sanctitas. Fœlices discipuli qui magistrum hunc audiunt & scientiam quam docet, edi-scunt. Ioel. 2.

4. *Nemo*, ait Nicodemus, *potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*

CONSIDERA eos, qui opera Christi sine inuidia considerabant, per ea in illius

cognitionem deueniſſe: nam illos, qui ex eorum inſpectione, Chriſtum non agnoſcebant, propria malitia excæcabat. Expende tecum, Chriſti & ſanctiſſimæ vitæ ipſius opera: & videbis confeſtim oculos tuos multò magis illuſtrari, quàm Ionathæ ex guſtu mellis.

5. *Reſpondit Ieſus Nicodemo & dixit ei: Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei.*

Monſtrat ei his verbis oſtium, per quod ingrediendum ei erat, ſi intrare cuperet regnum DEI: hoc eſt, ſacrum Baptiſma quamuis ſubobſcurè, vt eum ſuſpenſum teneret, & vt ſciret, multa ſibi addiſcenda eſſe ab hoc cœleſti magiſtro, quæ priùs ignorauerat. Vetus Adam non admittetur in Regnum Dei ſi in vetuſtate ſua permanſerit. *Primus* enim *homo de terra fuit & terrenus*. Quid autem terræ commune cum cœlo? Expolia igitur te veterem hũc hominem, vt nouo ſuperueſtiri, & aditum ad cœleſte regnum conſequi poſſis.

6. *Dixit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo renaſci cùm ſit ſenex: nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire & renaſci?*

Verum eſt, eos qui in peccatis & mala vita inueterati ſunt, magna cum difficultate ad virtutem ſe conuertere. *Oſſa* enim
Iob. 20. *eorum*, vt S. Iob ait, *impleta ſunt vitijs adoleſcentiæ ipſorum, & cum ipſis in puluere*
Tren. 3. *dormient*. Et ideò *beatus homo qui portat iugum Domini ab adoleſcentia ſua.*

7. Reſ-

7. *Respondit Iesus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.*

Loquitur ei apertiùs, & declarat quomodo fieri possit, vt, quemadmodum dixerat, homo denuò nascatur; non redeundo in ventrem matris suæ & iterum nascendo: sed per aquam Baptismatis & Spiritum Sanctum, qui in eadem aqua operatur, renascendo.

CONSIDERA magnitudinem huius beneficij: quod Deus nobis fontem hunc cœlestem, sacrum videlicet baptismi lauacrum contulerit: vbi veteri Adamo submerso, per Spiritum Sanctum in Christo renascimur, efficimurque nouæ creaturæ, & relictis antiquis Adami vestibus, hoc est, peccatis, nouâ & candidâ gratiæ veste donamur, quâ vestiti ad nuptias Agni admittimur. O ingens beneficium! *Dilexit Christus Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata.* Ephes. 5.

8. *Quod natum est ex carne, caro est.*

Quid miraris, cogitationibus immundis te sæpè molestari? adhuc in carne viuis. mirum igitur non est, quod hæc ab eadem carne proficiscantur. Abhorre & detestare illa, & non te commaculabunt. *Caro enim,*

S. Paulo attestante, *concupiscit aduersus Spiritum.* In hac lucta carnis & Spiritus virtus tua perficietur, si fortiter certaueris, & appetitus ac tentationes superaueris. Caue tamen, cùm ex carne constes, ne tibimetipsi confidas, & periculis peccandi te sponte offeras; sufficit tibi tentatio quæ ab eadem carne nascitur: igni huic per se satis magno alia ligna subministrare opus non habes si comburi non vis.

9. *Quod natum est ex spiritu, spiritus est.*

Aduerte hic defensionem contra carnem, nempe spiritum quo mortificantur opera carnis. *Spiritus* enim, vti S Paulus ait, *concupiscit aduersus carnem.* Nihil tibi metuendum est: maiores sunt vires pro te, quàm contra te: si superatus fueris, culpa nullius nisi tua erit, quia armis spiritus vti renuis: *Sufficit tibi*, ait DEVS ad S. Paulum, *gratia mea.* Quod & ipse agnouit, cùm interrogans, quis eum liberaret à corpore mortis huius, id est, à violentia appetituum carnalium, respondit sibimetipsi: *Gratia DEI per Iesum Christum.* Noli facere iniuriam Spiritui sancto, dicendo, te legem obseruare non posse, quia spiritualis sit, & tu carnalis: quia idem Spiritus te de carnali spiritualem faciet. quod autem ex Spiritu nascitur, Spiritus est.

Gal. 5.

10. *Non mireris*, ait Christus, *quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo. Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde*

vnde veniat, aut quò vadat.

Declarat ei his verbis, quòd mirari non debeat Spiritus sancti opera secretissima esse, & intellectu difficilia: quale hoc erat, quod opus esset ipsum nasci denuò, quòd per Spiritum Sanctum fit: quia si aërem omnia penetrantem audimus, nec tamen vnde veniat aut quò vadat exploratum habemus, mirum non est, Spiritum Sanctum occultissimè in animabus operari. *Vbi spiritus Domini*, ait Apostolus, *ibi libertas.* Ipse enim liberat nos à peccati, vitiorum, cæterarumque malarum inclinationum seruitute, & hinc est quod is qui Spiritum DEI habet, pergat quocunque vult, hoc est, operetur cum libertate virtutem: ita vt nihil ipsum distineat, aut impediat, à virtutum operibus, quia iam catenas & vincula, quibus antè ligatus erat, dirupit.

11. Secreta sunt opera Spiritus Sancti, nec possunt ea cernere, qui oculis carnalibus eadem intuentur. *Animalis homo*, ait S. Paulus, *non percipit ea quæ sunt spiritus DEI*, imò stulta ei videntur, cùm enim spiritu examinanda sint, ea intelligere nequit. 1. Cor. 2.
Indignum ac turpe videbatur Michol filię Saul cùm videret Dauid ante Arcam Domini saltitantem: *Nos insensati*, dicent Sap. 5.
impij, *vitam illorum*, videlicet iustorum, *æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore.* Honores fugere, de iniurijs illatis lætari, diuitias contemnere, in me-

dio voluptatum plorare, mundo videtur esse stultitia: sed hæc sunt secreta opera Spiritus sancti. Beati qui ab hoc diuino Spiritu se duci permittunt, & quemadmodum
Ezech. 1. sancta Ezechielis animalia, *vbi spiritus est, illuc gradiuntur.*

12. *Respondit Nicodemus & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus & dixit ei: Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia credetis.*

CONSIDERA, exteriora verba ad cœlestium mysteriorum intelligentiam non sufficere: nisi Deus aperiat oculos cordis & præbeat intelligentiam. Roga igitur Dominum humillimè, vt velum ignorantiæ ab oculis tuis auferat, vt possis considerare mirabilia legis ipsius. *Erunt*, ait Dominus, *verba mea sicut verba libri signa-*
Esa. 29. *ti, quem cùm dederint scienti literas, dicent: Lege istum: & respondebit: Non possum, signatus est enim.* Parum prodest nosse literas, si liber clausus est & signatus. Erat Nicodemus magister in Israel, & tamen non intelligebat quæ à Christo dicebantur, quia liber erat sigillatus. Quamdiu non fueris factus discipulus, nec te humiliaueris, non aperiet tibi librum Deus, qui abscondit secreta sua à prudentibus & sapientibus, & reuelat ea paruulis.

13. *Quod scimus loquimur & quod vidi-*

mus testamur.

Benedictus sit Deus qui misit vnigenitum suum, vt reuelaret nobis secreta cœlestia; quæ non ex auditu, sed visu didicit. *Deum* Ioan. 1.
nemo vidit vnquam: vnigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Magni doloris materia est, quod huic vnigenito Dei filio fides ab hominibus non adhibeatur, neque testimonium eius, quamuis certissimum sit, suscipiatur. Dole atque ingemisce anima mea, de mundi infidelitate: desidera oculos omnium in tenebris errorum existentium aperiri, vt videant lucem Solis iustitiæ, qui sole, mundum hunc illuminante, multò splendidior est.

14. Noli esse facilis in affirmandis quæ ignores: magna enim hæc leuitas est, quæ seruum Dei valdè dedecet. Loquere quæ scis talia esse, vt digna sint quæ dicantur, & testimonium perhibe de his quæ vides. sapiens videbit aliquid fieri, & vix audebit affirmare se conspexisse: stultus autem si vel somniauerit, asseret se vidisse.

TERRENA, dicit, vel quia vsus fuerat comparationibus ex rebus hisce infimis petitis, vel quia ea quæ hactenus dixerat de iterata natiuitate, in terris fiant, quamuis eadem Spiritus Sanctus operetur. Si terrena consequi, imò ne comprehendere quidem sufficis, quomodo putas te intellecturum & adepturum cœlestia? Humilia igitur temetipsum, & noli velle res diuinas stupido tuo intellectu mensurare. *Qui* Prou. 2
enim scrutator est Maiestatis, opprimetur à

 gloria.

gloria. Disce intellectum tuum submittere fidei, quia si non credideris, non intelliges.

16. *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.*

Quasi diceret: Solus ego, & non alij, loqui possum de rebus cœlestibus, quia nemo alius præter me fuit in cœlis qui eas inspexerit. Descendit Christus de cœlis, vt homines ad cœlum perduceret: nec quisquam eò ascendere potest, nisi Christo incorporatus, & viuum ipsius membrum per fidem & charitatem effectus fuerit. Ille ascendit, quia humiliauit se vsque ad infima terræ: qui ergò cum ipso cœlum scandere voluerit, opus est vt priùs per humilitatem, subter omnes creaturas se humiliet.

17. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis; vt omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

1. Cor. 3. Hoc est eximium Crucis Christi mysterium, quod *pereuntibus quidem stultitia est, ijs autem qui salui fiunt, id est, nobis, DEI virtus est.* Exaltauit Moyses serpentem æneum in deserto ex DEI mandato: & qui serpentem hunc aspiciebant, à serpentum morsibus curabantur. Serpens æneus figuram quidem habebat serpentis, sed non venenum. Momorderat nos antiquus ille serpens, quando primos parentes ad diuini præcepti transgressionem impulit, & per

hunc

hunc morsum introiuit mors in mundum. CHRISTVS autem naturam nostram assumpsit & in Crucem sublatus fuit, tanquam peccator, figuram quo ad hoc habens serpentis, sed non venenum peccati. Illum quicunque oculis viuæ fidei aspiciunt, à morsibus serpentis antiqui, hoc est, à peccatis sanantur, & vitam corporis & animæ recipiunt. CONSIDERA quàm ingens sit hoc beneficium, & gratias Deo refer.

18. Exaltationem vocat Christus crucem suam, quia per illam exaltatus fuit, & comparauit sibi nomē quod est super omne nomen. Tu etiam si exaltari vis cum Christo, cum ipso crucifigi non erubesce. *Si enim*, vti S. Paulus ait *compatimur, & conregnabimus*. 2. Tim.

19. Vocat etiam Christus Crucem exaltationem suam, quia in ipsa manifestata fuerunt vniuerso mundo, tanquam è loco sublimi, immensa bonitas, misericordia & clementia Dei: quia vt seruum redimeret, Filium crucifigi voluit. Venite homines & videte quàm bonus sit Deus; qui, cùm nos essemus peccatores & inimici ipsius, mori voluit; vt nobis vitam largiretur. *Cæli*, Psal. 1 ait Propheta Dauid, *enarrant gloriam Dei.* Eximij sunt hi præcones, voces, quæ per vniuersum terrarum orbem exaudiri possint, emittentes, & tamen muti sunt, si conferantur cum Cruce Christi. Hęc enim multo excellentiùs, quàm cœli, quàm Sol, Luna, & Stellæ, gloriam Dei prædicat: quia Deus sine labore, vnico tantùm verbo, cœlos

cœlos condidit: in cruce verò plenus doloribus hominum causâ mortuus fuit.

20. Vocat etiam Christus Crucem exaltationem suam, propterea quòd ex ea diuina iustitia emicuerit, quæ nunquam ita se manifestauit quàm in puniendo proprio filio, permittendoque vt propter humani generis expiationem, Cruci affige-
Isa. 53. retur. *Propter scelus populi mei percußi* filium meum dilectum, & ad talem illum statum perduxi, qualem ipsum in Cruce cernitis. Deleuit Deus mundum diluuio, sed illud meruerant homines peccatis suis. Eiecit Deus Luciferum è cœlo, & Adamum è Paradiso propter vnius superbiam & alterius inobedientiam. Pentapolim illam ignominiosam igne cœlitus immisso in cineres redegit, sed impuritatibus multis contaminata erat. Et denique, qualicunque castigatione Deus in hominem animaduertat, ad suæ iustitiæ manifestationem, exercet eam in creaturas suas: sed quod in vnigenito filio suo peccata, non ipsius sed nostra, quæ ille expianda susceperat, tam seuerè punierit, hoc maximè diuinam iustitiam commendat, & vnum-
Luc. 23. quemque tremere facit. Quia *si in ligno viridi* ignis diuinæ iustitiæ ita hæret, *in arido quid fiet?*

21. Exaltatio fuit Crux Christi: quia in ipsa exaltauit Deus regale illud vexillum, quod omnes qui Deo militant, sequi debebant. *Leuabit Dominus*, ait Propheta Esaias, *signum in nationes, & congregabit*

pro-

profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ.

22. *Vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Magnum beneficium esset, facere, ne illi perirent qui hoc peccatis suis iustè meruerant: sed ita Deum Patrem mors filij placauit, & iram ipsius tam perfectè mitigauit, & iustitiæ ipsius tam integrè satisfecit, vt non solùm liberauerit nos à morte æterna quam pro peccatis nostris merebamur; sed etiam vitam æternam nobis contulerit, quam nunquam mereri potuissemus, si Christus pro nobis mortuus non fuisset. O Crux altissima, mundi reparatio, pretium nostræ Redemptionis, vita mortis nostræ, lapsus nostri remedium, scala cœli, triumphus nostræ victoriæ, arbor vitæ, virga Agni immaculati sanguine consecrata, baculus peregrinationis nostræ, arca per quam homines à diluuio saluantur, & nauis tutissima, quâ ad æternæ beatitudinis portum fœliciter nauigamus.

DE S. BARNABA APOSTOLO.



Oc est praeceptum meum, ait Iesus discipulis suis, *vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*. CONSIDERA, quàm sanctum sit hoc prçceptum: vtpote quod inuidiam profligat, inimicitias tollit, odia & rancores è cordibus mortalium extermi- nat, Respublicas conseruat, bona omnia facit communia, rapinas & iniustitiam submouet, pacem & tranquillitatem tribuit, & cœlestis cuiusdam concordiæ, per quam cuncta crescunt, causa est: quinetiam si hoc præceptum ab hominibus sedulò custodiretur, congregationes eorum exemplar quoddam & specimen cœlestis vitæ præberent. Amplectere igitur sanctum & religiosum hoc præceptum, idque in opus conferre omni contentione satage, quandoquidem in eo, animæ & corporis salus sita est.

2. CONSIDERA Deum non sua, sed nostra commoda spectare: quandoquidem ea præcipit quæ nobis vtilia & proficua sunt,

imò ad quæ implenda, ipso etiam non pręcipiente, omne studium operamque conferre deberemus. *Dixi Domino*, dicit David, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, sed ego tuorum: atque idcirco non tua, sed nostra emolumenta & commoda spectas, in eò quod vis voluntatem & desideria nostra in hoc maximè versari, vt sanctis & iustis succurramus, illisq; in cunctis benefacere studeamus: hacque ratione nos inuicem complectamur, atque de nobis inuicem benè mereamur. *Psal. 15*

3. *Hoc est præceptum meum*: quandoquidem in hoc omnium aliorum mandatorum summa comprehensa est.

Qui proximum propter Deum diligit, Deum amat & quicquid lex præcipit adimplet. Hinc S. Paulus Apostolus ait, *Rom.* *eum qui proximum diligit, legem adimplere*. Non est igitur quod conqueri possis, Deum tibi difficilia pręcipere. Verè namq; vt prædilectus ille Christi discipulus ait, *Mandata eius grauia non sunt*. Molestiæ & *1. Io.* grauitatis plenæ sunt factiones & inimicitiæ: graue est odia & rancores in corde nutrire, inuidiæ & irę facibus ardere, semper de proximi insidijs sollicitum esse, nec semetipsum posse fratri suo tutò committere. At iucundissimum & suauitate plenum est, omnes diligere, bonis eorum congaudere, atque per veram charitatem alijs vnitum & conglutinatum esse.

4. Quid æquius erat eum, qui venerat vt sanguinem suum & vitam nostri causa,

pro-

profunderet, nosque, quantum in ipso erat, ad cœlum omnes perduceret: præcipere, nisi vt nos inuicem diligeremus? *Deus enim* Ioan. 4. *charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Neque immeritò præceptum hoc suum appellat: quia nemo illud perfectiùs ipso adimplenit: quandoquidem nullâ compulsus necessitate, neque alicuius commodi aut vtilitatis spe illectus, sed tantùm, vt effusissimam suam charitatem manifestam faceret, vitam pro inimicis obtulit.

5 Hoc est præceptum, quod speciatim suis maximè discipulis dat. Cùm enim totius mundi conuersioni operā daturi, atque in hoc opere multas & maximas difficultates deuoraturi, grauissima etiam quæque passuri, & tandem vitam & sanguinem profusuri essent: id tolerare haud quaquam potuissent, nisi ardentissimâ erga proximos charitate flagrarent. Neq; enim Prælatus vnquam officium suum ita vt par est exequetur, qui oues suas non complectitur, sed solam lanæ commodorumque suorum rationem habet. Hinc fit quòd tam citò fatigeris, nec possis proximorum tuorum importunitatem sustinere, defectus patienter tolerare, infirmitatibus compati, xenodochia inuisere, quia proximos debitâ dilectione non prosequeris. *Abundabit iniquitas, quia refrigescet charitas multorum.* In illis precipuè, quibus prima hæc cura esse debebat, vt scelera authoritate suâ comprimerent,

merent, & vindicarent.

6. Christus vult, vt quemadmodum ipse dilexit nos, ita & nos mutuam nobis dilectionem impendamus. ipse nos dilexit sanctè, vt omne à nobis peccatum auferret, sanctitatemque nobis largiretur. Ipse nos absque vllius emolumenti spe dilexit: ipse dilexit perseueranter, quia vsque ad mortem in nostri dilectione perstitit. Ipse denique fortiter nos dilexit, quandoquidem mortem nostri causâ subijt. Hinc animaduerte, quomodo tibi sit diligendus proximus. Si autem Deus ita te dilexit, parum certè est quod præcipiat, vt eâdem ratione proximum diligas, qui frater tuus est, Dei æquè filius, eodemque tecum sanguine in libertatem vindicatus?

7. *Maiorem charitatem nemo habet quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis:* Quasi diceret: Quandoquidem vos adeò dilexi, vt vitam meam vestri causâ profundere non dubitem; vobis minimè molestũ esse debet, vos inuicem arctissimo amore complecti. Mortem excepit Christus pro illis, qui sibi propter scelera erant inimicissimi, quos nihilo seciùs amicos appellat, eò quòd illos dilexerit, ac de inimicis amicos effecerit. CONSIDERA quàm ingens ac effusa charitas hæc fuerit: & diligenter tecum expende quis fuerit qui amauit: nempe Deus, nullius rei indigens, qui offensus & contemptus fuerat. Quos amauerit: creaturas suas ex nihilo

nihilo conditas, quæ illum offenderant & contemptui habuerant. Quid eis donauerit: vitam, non qualemcunque, sed vnigeniti Dei filij, quæ omnibus omnium hominum & Angelorum vitis simul iunctis pretiosior, plurisque æstimanda est: adeò vt si Deus Angelos ad nihilum redigeret, cœlos dissolueret, atque vniuersam hanc mundi machinam destrueret, tanti nondum esset, quanti vitam suam profundere, & mortem oppetere. Hoc si ita vt æquum est tecum pertractaueris, mentique infixeris, tam exigua tibi videbuntur ea, quæ Deus tibi præcipit, quòd te tuimetipsius pudebit pigebitque, quod hactenus tam negligenter & imperfectè eadem impleueris, imò nihil omninò videbitur tibi, quicquid in huius Domini gratiam efficere potueris.

8. Expendit Deus vitam tui causa, & tu tibijpsi mortem adfers, vt eum offendas, & ea quæ Dæmon, Dei & tuus inimicus, tibi suggerit, perficias, idque propter vilissimam honoris fluxi & fallacis vmbram, quam tibi offert, & propter iniuriarum quas tibi factas esse quereris, vltionem. O cæcitatem filiorum Adam! O mentis duritiam! O amentiam inauditam! homines sibimetipsis caussam mortis esse, vt in infernum ac extremam pestem præcipites ruant, nec velle amanter inter sese viuere, vt cœlos possint conscendere.

9. Vos, ait, amici mei estis, si feceritis

quæ præcipio vobis.

Sufficiſſet quòd ſeruos nos appellaſſes, quando omnem curam & diligentiam in beneplacito tuo exequendo collocaſſemus: idque magni à nobis faciendum fuiſſet. Attamen ea eſt bonitatis tuæ magnitudo, vt etiam amicorum tuorum numero eos aſcribas, qui ſerui haud quamquam appellari merentur *Nimis honorati ſunt amici tui Deus.* Agat cum Regibus & Principibus mundi, quicunque volet, eorumque gratiam ſibi adiungere laboret: mihi, ô Domine, vnicum hoc da, vt amicus tuus ſim & dicar. Pſal. 138

10. Magnæ fœlicitatis & opulentiæ eſt, eſſe amicum Dei: & contrà, maximæ miſeriæ eſt eius eſſe inimicum: *Quia ecce inimici tui Domine peribunt.* Vel auditu ſolo horrendum atque contremiſcendum eſt, quòd homo inimicitias auſit exercere cum Deo, *qui reſpicit terram & facit eam tremere. Tu terribilis es & quis reſiſtet tibi?* ait Propheta. Quando homines inimicum aliquem habent, tectis domorum ſuarum ſe defendunt; vel ſi valdè potens eſt, ne in domibus quidem ſuis ſe tutos eſſe arbitrantur: Inimicum verò habentes Deum, comedunt, bibunt, iocantur, quaſi nihil eſſet inimicitias exercere cum Deo. Pſal. 91. Pſal. 75

11. *Si feceritis quæ præcipio vobis*, ait Chriſtus.

Chriſtus præcipit vt nos inuicem diligamus. Si ergo dilexeris fratrem tuum. Deus te viciſſim habebit amicum. *Charitas operit* 1. Pet.

operit multitudinem peccatorum. *Nos*, ait
1. Io. 3. S. Ioannes Apostolus, *scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Constituto tam insigni præmio, quis non diliget fratrem suum?

12. *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.*

Omnia, puta, quæ acceperat vt hominibus communicaret. Hæc fuit dignitas Apostolorum, quòd audiuerint ex ore Christi altissima fidei mysteria, quodque ipsis tanquam amicis intimis, communi-
Ioan. 1. nicata fuerint secreta cœlestia. *Vnigenitus filius, qui est in sinu Patris*, ait S. Ioannes, *ipse enarrauit*, omnia quæ scribimus & prædicamus de ipsius diuinitate. Si fœlicissimum te putes, quòd fueris hominis alicuius doctissimi discipulus, illiusque prælectiones audieris; quam fœlices æstimandi sunt qui pro magistro habuerunt ipsum Dei filium, & ex ore ipsius doctrinam vitæ perceperunt? Amicis & familiaribus suis reuelat Dominus secreta sua, & his eis gustandam præ-
Psal. 30. bet dulcedinem supernæ patriæ. *Quàm*
Psal. 18. *magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te! Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est, super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui.*

13. Non habebunt hoc priuilegium,

qui intelligere noluit, ne ad benè operandum excitentur: imò cuperent Christum non tam claris & apertis verbis veritatem nobis manifestasse, vt ipsis dubitandi locus esset, & conscientiæ remorsus aliquatenus quietari posset. *Venit lux in* Ioan. *mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem; erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui malè agit odit lucem & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.*

14. CONSIDERA, quàm perfectè manifestaturus sit Deus secreta sua electis in æterna beatitudine: vbi sine velo videbunt omnia, vbi fidei respondebit clara visio: vbi in verbo diuino quilibet quę statui suo conueniunt intuebitur. *Videmus*, ait Apostolus, *nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex* 1. Co *parte: tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Verè Deus aget cum electis suis tanquam cum veris amicis & maximè intimis.

15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.*

Ne forsitan sibimetipsis attribuerent, quòd tam amicè ac familiariter à Christo tractarentur, dicit, non se ab ipsis electum, sed ipsos à se ab æterno electos fuisse, nec ipsos vllam in hac electione partem habere. Elegit autem eos, quando vocauit ad Apostolatum: ad quam electionem quamuis concurrerit voluntas eorum, qua diuinæ vocationi obtemperarunt: nihilominus præcessit vocatio Christi: nam nisi

gratia & auxilio suo illos præuenisset, vocationi eius respondere atque consentire non potuissent. CONSIDERA, quàm nihil habeat homo vnde gloriari possit: & quàm sit obligatus Deo, de cuius manu prouenit ei omne bonum: ille dat voluntatem benè agendi, & eandem voluntatem adimplendi. Sine illo nihil nec ordiri, nec ad optatum finem perducere possumus. *Quis prior dedit illi*, ait S. Paulus Apostolus, *& retribuetur ei?* Quasi diceret, nemo: quia primùm accipimus omnia à Deo, antequam aliquid ei gratum præstare valeamus.

Rom. 11.

16. CONSIDERA misericordiam, quâ Deus in te vsus est, quod te elegerit, vt tibi vnigenitum filium suum reuelaret, vt esses de numero fidelium & membrum Ecclesiæ ipsius, extra quam non est salus. Circumfer oculos tuos per totum terrarum orbem, & aspice quàm ingens sit infidelium multitudo: qui beneficium illud, quo tu, à Deo affectus es, non perceperunt. Pudore suffundere, quòd videas te tam parui æstimare hanc gratiam, nec gratum te probare Deo, pro tam insigni beneficio.

2. Pet. 1.

17. *Fratres*, ait S. Petrus, *satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Quanto ad maiorem statum te Deus elegerit, tanto maior erit damnatio tua, si statui tuo operibus non responderis. quia maior futura est ingratitudo tua. *Omni enim cui multum datum est*, ait Christus, *multum quæretur ab eo; & cui commendauerunt multum, plus petent*

Luc. 12.

petent ab eo.

18, *Posui vos vt eatis & fructus adferatis, & fructus vester maneat.* Non patitur Deus in domo sua homines inutiles, nec vult dona sua otiosa esse. *Exhortamur vos,* ait S. Paulus, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* CONSIDERA igitur an subsistas, quia in via Dei non progredi regredi est. CONSIDERA, num bonorum operum fructus proferas, num in anima tua & proximis bono exemplo & doctrina fructum facias iuxta statum tuum: quia palmes qui non fert fructum *excidetur, & in ignem mittetur.* CONSIDERA num fructus tuus durabilis sit, quia qui perseuerauerit vsque in finem, hic tantummodò coronam consequetur. *Ita currite,* ait S. Paulus, *vt comprehendatis.*

2. Cor. 6

1. Cor

19. Væ illis quorum pedes currunt ad malum: quique cùm Deus illos eum in finem creauerit, vt ambularent de virtute in virtutem, spontaneè ad æternam damnationem properant.

20. Laborat qui currit, sed si bene cucurrerit, absoluto cursu, magna cum voluptate requiescit, deque adepto præmio gaudet. CONSIDERA, quanta cum voluptate atque iucunditate requieturi sint sancti in æterna gloria, quantumque ex præteritorum laborum recordatione gaudium percepturi sint. O quàm pauci videbuntur ipsis labores præteriti. Quàm perfecta requies quam adepti; & quàm copiosum præmium quod consecuti fuerint. *Gaudete*

Mat

te & exultate, ait Christus, *quia merces vestra copiosa est in cœlis.*

25. CONSIDERA, quàm durabilis fuerit fructus sanctorum Apostolorum. Illi enim per totum terrarum orbem Euangelium annunciando, Ecclesiam fundarunt: atque hæc plantatio in hunc vsque diem incorrupta permansit. Quis dixisset, quòd pauperes piscatores nouam legem in mundo promulgaturi atque homines à legibus, in quibus maiores eorum vixerant, abstracturi essent: quodque Apostoli huius sui conatus optatum exitum adipiscerentur: quòd denique hoc opus, etiam post mortem eorum, qui illud exorsi fuerant, perduraturum esset. Solus ille hoc dicere potuit, qui illud dixit & fecit: in cuius virtute Apostoli omnia quæ operati sunt, fecerunt: & per quem firmiter stat ædificium quod ipsi fundarunt, tanquam domus fundata super firmam petram.

22. *Vt quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Hæc fuerunt arma sanctorum Apostolorum: oratio. Hęc fuit fortitudo quam Christus eis consulit, quòd DEVM haberent protectorem & defensorem. Hæ fuerunt diuitię illorum, quòd diuitiarum cœlestium claues haberent. Orationibus eorum curabantur infirmi: visum recipiebant cæci: ad vitam redibant mortui: dæmones in fugam vertebantur; & denique quicquid petebant obtinebant à Deo per orationem: postulando in nomine Christi, qui hoc promeruerat. Hæc eadem

sunt

sunt arma, quibus tibi decertandum est contra inimicos, hęc est refugium ad quod tibi confugiendum est in necessitatibus; in qua enim consilium inuenias in omnibus dubietatibus & perplexitatibus: nec nō solatium in afflictionibus: pete & accipies; quęre & inuenies: pulsa & aperietur tibi.

IN FESTO
NATIVITATIS
S. IOANNIS
BAPTISTÆ.



Lisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Proprium est iustorum, omnia facere suo tempore. *Erit*, ait Propheta Dauid, *tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Omnia tempus habent*, ait Sapiens, *tempus flendi, & tempus ridendi: tempus tacendi, & tempus loquendi.* Prius dicit *flendi*, quàm *ridendi*: quia, vti Christus testatur, *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Et priùs *tacendi* quàm *loquendi*, quia nemo nouit rectè loqui, qui non priùs didicerit tacere.

Luc. 1. *Psal. 3.* *Eccl. 3.*

2. Peccator nunquam inuenit tempus bene

bene agendi: semper habet quæ ipsum perturbent, & à conuersione distineant, ideoque de die in diem illam differt, quousque superueniat in eum ira Dei. Non te igitur circumueniat inimicus, dum tibi suggerit, quod postea te faciliùs ad Deum conuertere poteris quàm modò: cùm manifestum sit, quantò diutius in peccatis perseueras, tanto magis te separari à Deo, tantoque difficiliorem conuersionem tuam reddi: præsertim cùm nec diem, nec horam vllam certam habeas.

3. Sterili adimpletur tempus pariendi: vt tu non desperes, etiamsi iamdudum tibi in bonis operibus sterilis esse videaris. Perseuera in Deo inuocando, & gratia illius feruenter imploranda: ipse enim
1. Re. 2. est qui dat partum sterili. *Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est.*

4. Nascitur S. Ioannes à matre sterili: vt hinc intelligamus, naturam nostram esse à diuina gratia sterilem: gratia enim est donum Dei gratuitum: quantumuis natura laboret, à semetipsa fructum hunc nun-
Psal. 122. quam proferre sufficiet. *Expandi manus meas ad te*, ait Propheta, *anima mea sicut terra sine aqua tibi.* ideoque cœlestem imbrem expectat, qui eam fertilem reddat.

5. *Peperit filium.* Magna Domini gratia, quòd sterilis pariat, & pariat masculum. Non est omnium habere firmum propositum, & voluntatem in bonis operibus

con-

constantem. Agnus qui à Deo sacrificari *Exod. 12.* iubebatur, masculus esse debebat, non fœmina: & cùm Deus populum numerari pręciperet, viri soli numerabantur, non mulieres. *Num. 3.* Sis masculus in rebus & propositis tuis; tales enim vult Deus suos esse.

6. *Audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa.* CONSIDERA, omnes agnouisse, Dei hanc esse misericordiam, eamque minimè vulgarem, quòd Elizabeth peperisset. Noli extolli ex prosperis successibus. Leua oculos ad Deum, & fontem illum, vnde omnes gratiæ promanant, agnosce. Misericordiæ Domini est, quòd non consumpti simus, quia nos clementiæ suæ pallio protexit & saluauit.

7. Lętantur omnes de natiuitate pręcursoris: quemadmodum angelus prædixerat, quòd multi in natiuitate illius gauisuri essent. Qui solis aduentum desiderant, lætantur cùm auroram appropinquare conspiciunt. Christus qui Sanctum. Ioannem in præcursorem suum elegerat, corda ipsorum ad singularem lætitiam permouebat, vt esset occultum quoddam præsagium eorum, quæ postea euentura erant.

8. Natiuitas iustorum est bonum commune, ac proinde non immeritò causa est communis lætitiæ. Illi enim sunt qui mundum sustinent; qui instar murorum se inter Deum & homines interponunt: qui bra-

chia Dei tenent, ne in populum seueriùs animaduertat: qui cùm manus expandunt in bellis contra hostes fidei, victoriam: in siccitate aquam: in sterilitate fructus terrę obtinent. Quorum si vel decem tantummodo reperti fuissent in Sodomis, pepercisset Deus quinque ciuitatibus: nec eas in cinerem redegisset, quamuis nefandis
4. Reg. 10. sceleribus contaminatæ essent. *Protegam*, ait Deus, *vrbem hanc, & saluabo eam propter me & propter Dauid seruum meum.*

9. *Congratulabantur ei.* Charitas omni caret inuidia: aliorum bona sua esse putat, & idcirco de illis lætatur non aliter ac de suis: cum è contrario inuidi bonis aliorum crucientur: & ex illorum gaudio tri-
Prou. 14. stentur, & affligantur: *Putredo ossium inuidia*, ait Sapiens. Fuge igitur perniciosum hoc vitium.

10. *In die octauo venerunt circumcidere puerum.* Sanctificatus fuerat antequam nasceretur: & tamen circumciditur, vt legi à Deo satisfieret. Vt hinc intelligas, te, quantauis etiam iustitia & sanctitate præditus fueris, ad legem sub pœna amissionis iustitiæ obligari: specialiter ad illam de spirituali circumcisione, quæ iubet, vt omnia superflua à te abscindas, & à rerum sensibilium cupiditate abstineas: quia tam est necessaria hæc lex, vt Sapiens affirmet, eum, qui carni suæ omnia quæ appetit, concesserit, hostibus suis in prędam cessurum esse.

11. CONSIDERA, quàm multa in te cir-

cumcidenda sint, cùm plenus sis propriâ voluntate. Durâ ceruice & incircumcisis cordibus & auribus semperque resistentes Spiritui sancto appellat S. Stephanus Iudæos. Cor incircumcisum est: cor durum & rebelle. Aures incircumcisæ sunt, quæ ad voces diuinas obsurdescunt: à quibus aliud nihil sperari potest, quàm æterna perditio. *Act. 7.*

12. *Et vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater eius dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes.* In Circumcisione imponebatur nomen filio: quia antequam signum, quo populus Dei à cæteris populis distinguebatur, acciperet, non habebat nomen in cœlis; vt hinc intelligas, te non habiturum nomen coram Deo, nisi secundùm carnem viuere desieris, & secundùm spiritum vitam instituere cœperis. *Qui enim sunt Christi, crucifigunt carnem suam cum vitijs & concupiscentijs.* *Gal. 5.*

13. CONSIDERA S. Ioannem natum fuisse ex speciali dono Dei, & ab ipso electum fuisse, vt esset præcursor Christi: accepisse etiam nomen de cœlis, officio suo conforme: nimirum Ioannis, quod interpretatur *gratia Dei.* vel *donum, & misericordia Dei.* CONSIDERA eum qui præparaturus erat viam Domino, appellari Ioannem, vt hinc instruaris, non propter nostra merita, sed ob solam misericordiam suam venire ad visitandos nos orientem ex alto. *Luc. 1.*
Misericordia & veritas praecedent faciem *Psal. 88*

 tuam,

tuam, ait Propheta Dauid. Eodem modo venit ad animas noſtras quia ad ipſius aduentum nos dignè præparare non poſſumus, ſine ſpeciali ipſius auxilio. *Miſericordia eius*, inquit idem Propheta, *præueniet me.*

Pſal. 58.

14. Qui Dei myſteria ignorant, parentes tantùm carnales conſiderant, nec alio nomine puerum appellare nouerunt, quàm nomine patris ſui Zachariam. *Beatus es*, ait Chriſtus ad Petrum, *quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.* *Cùm*, ait S. Paulus Apoſtolus, *placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me, vt euangelizarem illum in gentibus, continuò non acquieui carni & ſanguini.* Nimis demiſsè & humiliter ſentiunt caro & ſanguis, ac proinde neceſſarium eſt ei, qui ad Deum volaturus ſit, ab omnibus carnalibus affectibus liberum ac ſolutum eſſe.

Matt. 23. Gal. 5.

15. *Et dixerunt ad illam: Quia nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem Patri eius quem vellet vocari eum, & poſtulans pugillarem ſcripſit, dicens: Ioannes eſt nomen eius.* Tale eſt certamen mundi aduerſus illos, qui perfectionis ſemitam perambulant: qui ſingulares ſunt, & quæ alij derident, faciunt. Quibus ſæpè ab alijs obijcitur, cur hoc vel illud agat: melius eſſe communem ſemitam tenere, & alijs ſe conformare. Sed qui diuino lumine illuſtratus eſt, in his quæ

incepit perseuerat, nec præbet aures his sermonibus. *Tanquam prodigium*, ait Propheta, *factus sum multis, & tu adiutor fortis.* Noli, ait Sapiens, *esse humilis in sapientia tua.* Quod ille facit, qui ea quæ Deus suæ voluntatis esse docuit, relinquit & implere negligit, sub falsa quadam humilitatis specie, quo se nimirum conformet cæteris: cùm tamen Christus dicat: *Contendite intrare per angustam portam, quam pauci inueniunt.* Psal. 7 Eccl. 1

16. Pudore suffundere: quòd tam sæpè à falsis hisce persuasionibus te superari passus sis, nec in virtute constans & immobilis esse potueris: dum colorares, hoc quasi prætextu, tepiditatem tuam.

17. Recordatus est Zacharias eorum, quæ Angelus dixerat: quamuis enim antea promissioni eius incredulus extetisset, attamen cùm tam mirabiliter omnia hæc impleri cerneret, credidit verbis Angeli, & voluit filium suum appellari Ioannem, iuxta Angeli prędictionem. CONSIDERA, quomodo præualeat in cunctis diuina ordinatio: & quomodo eidem se submittant, qui ei maximè videntur esse contrarij: reddanturque promptissimi, ad ea quę Deus ordinauerat efficienda. *Non est*, Domine, *qui tuæ possit resistere voluntati*: nec homo causam habet, cur tibi non obtemperet, quia *fidelis es in omnibus verbis tuis, & sanctus in omnibus operibus tuis.*

18. CONSIDERA, Mariti & Vxoris concordiam, in his quæ diuinæ voluntatis

 sunt,

ſunt, multorum bonorum cauſam eſſe. Quamuis alijs præſis, attamen quando ſubditi voluntatem diuinæ conformem eſſe cognoſcis, illius iudicio ac voluntati te ſubmittere debes. Hinc enim præcipit Deus
Gen. 21. Abrahamo, vt vxoris ſuæ voluntatem in Iſmaele, & matre illius Agar è domo pellenda perficiat.

19. CONSIDERA, turpe & valdè indecorum eſſe, quòd maritus vxoris, & prælatus ſubditi ſui voluntatem ſequatur, quando eam diuinæ voluntati contrariam eſſe nouit, cùm ſuperioris officium ſit, ſubditum inſtruere, corrigere, &, cùm à rectâ ſemita aberrat, ad eandem reducere. Valdè inepta videbatur Deo Adami reſponſio quando
Gen. 3. ait: *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Et ideo dixit ei: *Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.*

20 Iuſtum eſt, quòd maritus obediat carni, hoc eſt, vxori, quando neceſſaria ad naturæ ſuſtentationem poſtulat, quia Deus id præcipit: quando verò ſuperflua & quæ contra Dei mandatum ſint exigit, debet ei contradicere, & arguere illam, ne appetitiones illius inordinatas ſequendo,

incurrat

incurrat in maledictionem Dei. *Qui* enim, vti Sapiens ait, *delicatè à pueritia sua, nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.* Prou. 13.

21. *Ioannes est nomen eius.* Quasi diceret: Nos ei nomen non imponimus, sed ille qui nobis eum miraculosè donauit, tale quale ipsi conuenire iudicauit, ei nomen imposuit. Non vulgaris futurus est filius hic, sed super parentes & cognatos suos exaltabitur, & inter natos mulierum nullus eo maior erit, & ideo non est imponendum ei nomen aliquod cognatorum ipsius. Ille qui cùm nobis largitus est, sibi eum assumpsit, & nomen illi imposuit. CONSIDERA, quàm sublimia sint singula hæc, quæ ad mysterium Redemptionis nostræ pertinent: quia præcursori Christi non imponitur nomen patris sui, sed nomen è cœlis transmissum.

22. *Et mirati sunt vniuersi.*

Si nominis impositio illis admirationis caussa est, quantæ admirationis causa erit vita ipsius? quantæ ministerium ipsius? Magna ædificia iam inde à fundamentis indicant quanta futura sint. Obstupesce, quòd videas eum à pueris in deserto perseuerantem vsque ad tempus illud, quo à Deo præceptum accepit, vt populo prædicaret. Obstupesce de pœnitentia & asperitate vitæ ipsius. Obstupesce, quòd conspicias illum manibus suis baptizantem Agnum sine macula, qui maculas peccatorũ nostrorũ ablururus erat. Obstupesce,

quòd videas illum tam humilem & fidelem Domino, vt cùm tantus esset vt Messias putaretur, atque à Iudæis idcirco interrogaretur quis esset, non inaniter sibi arrogauerit, quod non erat, sed confessus fuerit, se dignum non esse, qui corrigiam calciamentorum Christi solueret: quem etiam digito demonstrauit, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Illum oportet crescere, me autem minui.*

Hoc fuit ædificium, cuius fundamenta locabantur, quando imponebant illi nomen: & ideo iure mirabantur vniuersi. Ei autem, qui tam mirabilis futurus erat, rectè nomen Ioannis imponitur: quia magnam partem gratiæ, misericordiæ, & bonorum diuinorum, percepturus erat.

OBSTVPESCE, quòd videas hunc tam admirabilem tantique à Deo æstimatum & omnibus prælatum, ita parui fieri à mundo, vt propter puellam, quæ delicato suo tripudio Herodi placuerat, caput ei præcidatur. Hinc intellige, quàm stultus & infœlix sit mundus in iudicijs suis.

24. MIRABANTVR: sed videntes concordiam inter Elizabeth & Zachariam, cœleste negotium & diuinum consilium esse cognoscunt, ideoque cessant contradicere, & potius, quod nihil obtinere potuissent, admirantur. Tace & noli contradicere Deo: esto subiectus diuino consilio, & si votorum tuorum compos non efficeris, obstupesce, lauda eum, qui magnus,

gnus & terribilis est in omnibus operibus suis.

15. *Apertum est autem illico os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum.*

Iustum est, quòd natâ voce, restituatur loquela muto. *Tacui*, inquit Deus, *semper silui.* Quamuis enim locutus fuisset nobis olim multifariè multisque modis in Prophetis, nunquam tamen locutus fuit nobis per vnicum filium, præterquam in nouissimis diebus, quibus homo factus, *in terris visus, & cum hominibus conuersatus est*, præmisso Præcursore Ioanne. Benedictio & gloria sit ei in sempiternum. *Esa. 42.* *Baruc. 3*

26. Incredulitas fecerat Zachariam mutum, & fides restituit ei loquelam. *Credidi*, ait Propheta, *propter quod locutus sum. Et nos credimus, propter quod & loquimur. Bonus homo*, ait Christus, *de bono thesauro profert bona. Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Vbi est vera & viua fides, lingua muta esse non potest: sed benedicit & laudat creatorem suum, & glorificat eum, qui se præuenit in benedictionibus dulcedinis. Vtinam non aperiretur os nostrum, nec moueretur lingua nostra, nisi ad laudandum Deum. *Psal. 11* *2. Cor.* *Matt. 1*

27 *Peccatori dicit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Et Sapiens ait: *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Ideoque bene mutus loquitur statim, nato Ioanne, id est, adueniente diuinâ gratiâ. *Psal. 49* *Eccles. 1*

28. Noli esse velox in affirmandis, quæ non gustasti; malè enim dicuntur illa, quæ non intelliguntur. Nascatur primo Ioannes: suscipe primùm gratiã & dona Dei, & confestim loqueris: sed vide vt eadem loquaris, quæ Zacharias, videlicet, vt laudes Deum: non tibi ea attribuendo, sed agnoscendo illa ex gratia & dono Dei, non ex tuis meritis aut laboribus prouenire.

29. *Et factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc: & posuerunt omnes in corde suo dicentes: Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.*

Erat timor iste reuerentiæ, profectus ex magnitudine mysteriorum quæ videbant; quasi dicerent: Qualis hic futurus est, in cuius conceptione & natiuitate tantoperè manifestatur magnitudo & potentia Dei: cui nomen nouum imponitur: cuius pater hactenus mutus, Dei magnitudinem nunc loquitur & prædicat. Humiliemus igitur nos coram illo, & parati simus ad omnia quæcunque nobis imperare placuerit. Hac ratione suscipienda sunt diuina mysteria.
1. *Re.* 16. Illi enim qui arcam Domini sine metu
2. *Reg.* 6. aspexerunt, confestim perierunt. Et Oza qui manum ad arcam Domini casum minantem extenderat, statim cecidit mortuus.

30. Angelus dicit, quòd multi in natiuitate pueri huius gauisuri essent; Euangelista verò dicit, quòd factus sit timor super omnes

omnes vicinos, quia gaudium Spiritus sancti sēper est mixtū cùm timore sancto: non enim est gaudium illud vanum, sed plenum reuerentiâ. Ac proinde Spiritum sanctum, qui vocatur consolator, appellat Propheta Isaias, spiritum timoris. *Seruite* Esa. 11. *Domino in timore, & exultate ei cum tremo* Psal. 2. *re*, ait Propheta Dauid.

31. *Quis putas puer iste erit?* Quis hoc Luc. 1. comprehendere, ne dicam, explicare sufficiat? Angelus cùm nunciaret natiuitatem ipsius patri, de illo dicit, ipsum magnum futurum esse coram Domino, vinum & siceram non bibiturum, & Spiritu S. replendum esse ex vtero matris suæ: & multos filiorum Israel conuersurum ad Dominum Deum ipsorum: & præcessurum ante ipsum in spiritu & virtute Heliæ, vt conuertat corda patrum in filios, id est, vt filij corda obedientia & fidelia, quemadmodum patres eorum, videlicet S. Patriarchæ, accipiant: & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam. Quibus omnibus Christus sigillum apposuit, quando ait, neminem inter natos mulierum maiorem surrexisse Ioanne Baptista.

CONSIDERA singula hæc attentè, quia consideratione dignissima sunt: & ex illis videbis qualis fuerit puer hic, quamque admirandus. Magnum enim voluit Dominus esse illum, qui de ipso perhibiturus erat testimonium hominibus: ne quicquam posset opponi testimonio ipsius. Præcla-

rum est, iam inde à puero sanctitatis indi-
Thre. 3. cijs clarere. *Beatus* enim *homo, qui portat iugum Domini ab adolescentia sua.* Pannus qui in lana tingitur, colorem suum diutiùs conseruat.

32. *Manus Domini erat cum illo.* Hinc enim intelligebant, quòd magnus futurus
Psal. 84. esset. *Beatus homo*, ait Propheta, *cuius est auxilium abs te.* tali enim auxilio suffultus, hanc vallem lachrymarum sine offensione perambulabit. Nemo magnus efficitur, nisi à Deo adiuuetur: nec quisquam ascendere potest, nisi Deus illi manum porrigat. Roga igitur Dominum, vt manum suam extendat, teque de puluere & humilitate tua erigat.

33. *Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto, & prophetauit dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ.*

CONSIDERA quàm liberalem ostenderit se Deus in natiuitate Præcursoris sui: quemadmodum enim Pater, qui ex natiuitate filij magnam lætitiam capit, multa dona suis distribuit: sic & Pater cœlestis in natiuitate S. Ioannis, qui futurus erat Præcursor Christi filij sui, cui omnia hæc debebantur, valde liberalis extitit. Iamque dat indicia inæstimabilium diuitiarum spiritus, quæ per Christum communicanda erant Præcursori suo.

34 CONSIDERA, quàm bene Zachariæ repensum fuerit, quòd à conceptione filij vsque ad eius natiuitatem mutus extiterit,

terit, quia impletus fuit Spiritu sancto, & altissima redemptionis nostræ mysteria per Christum confecta, prophetauit. Disce hinc patienter sustinere flagella à Deo tibi immissa: hac enim ratione disponeris ad percipienda maiora dona. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*, ait Propheta Dauid. Psal. 9

35. *Benedictus Dominus Deus Israel.* Est Dominus & Deus omnium, sed quia in Iudæa tantùm pro Deo agnoscebatur & adorabatur, & propter specialem curam quam de illo populo susceperat, & innumerabilia beneficia quibus eos ornauerat, & quia pollicitus fuerat, Messiam de stirpe eorum descensurum esse: vocatur Deus & Dominus Israel. Est etiam specialiter Deus verorum Israelitarum, qui viuâ fide in spiritu & veritate illum adorant. Hi enim sentiunt illum benignum & liberalem; in his gubernandis, fouendis, & ornandis ita distinetur, vt cæterorum omnium oblitus esse videatur. *Rex meus & Deus meus*, ait Propheta Dauid, quasi alios subditos præter ipsum non haberet. Psal. 5

36. Benedic anima mea & glorifica Dominum & Deum tuum, cui soli debetur omnis laus & benedictio. Roga illum, vt repleat te Spiritu S. quod illum dignè laudare & benedicere possis. *Sicut adipe & pinguedine*, orat Propheta Dauid, *repleatur anima mea: & labijs exultationis laudabit os meum.* Hic est enim diuini spiritus effectus Psal. 62

excitare

excitare nos ad diuinas laudes: ideoque Zacharias Spiritu sancto repletus, statim benedicit Dominum. *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula.*
Psal. 106.

37. *Visitauit & fecit Redemptionem plebis suæ.*

CONSIDERA qualis fuerit hæc visitatio. Venit summus Medicus, ad visitandum desperatum infirmum iacentem in terra. Visitauit Dominus potentissimus miserum & incarceratum, *sedentem in tenebris & umbra mortis, vinctum in mendicitate & ferro.* Visitauit bonus pastor oues suas derelictas, & à lupis infernalibus dissipatas. Quid ageret infirmus, si Medicus hic eum non visitasset? Quid ageret incarceratus, si potens hic Dominus non contriuisset *portas æreas & vectes ferreos* confregisset? Quid agerent oues, si pastor hic non liberasset eas de manibus & ore luporum atque leonum? Cœlestem hanc visitationem desiderabat Propheta David, cùm diceret: *Visita nos Domine in salutari tuo.* Infœlix est infirmus, qui post hanc visitationem non curatur: miser incarceratus, qui post potentissimi huius Domini aduentum à vinculis non expeditur. Nullius spei est ouis illa, quæ post huius pastoris visitationem, in luporum potestate manet.
Dan. 3.
Psal. 108.

38 *Fecit redemptionem plebis suæ.* Loquitur tanquam de re præterita, iuxta consuetudinem Prophetarum, quia ille qui futurus erat nostra redemptio, iam conceptus

tus, & homo factus erat, quasi diceret; Iam perfectum est mysterium Incarnationis filij Dei, & Verbum diuinum humanam carnem assumpsit: hoc autem Deus simul & homo, est mundi Redemptio. Hoc est thesaurus ille infinitus, quo diuinæ iustitiæ satisfaciendum est.

CONSIDERA, quàm copiosa fuerit Redemptio, & glorifica Redemptorem tuum, qui post hanc redemptionem sub tyrannide Diaboli, & peccati seruitute permanserit, quod aliud pretium expectat quo redimatur? *Quid est Israel quòd in terra inimicorum es? inueterasti in terra aliena: coinquinatus es cum mortuis. deputatus es* Baruc. 3 *cum descendentibus in infernum.* Cognoscam Domine, hanc redemptionem, quam mei caussâ operatus es: sciam magnitudinem huius gratiæ, & de illa gaudeam, vt liber ab omni timore, & ab inimicis meis, seruiam tibi in sanctitate & iustitia, gradiendo de virtute in virtutem omnibus diebus vitæ meæ, per merita & intercessionem sanctissimi Præcursoris tui. Amen.

IN FESTO SANCTORVM APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI.



Enit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse filium hominibus?

CONSIDERA Christi sapientiam, vt manifestaret fidem Petri, & ex confessione illius cæteri instruerentur, interrogat, quem dicerent homines esse filium hominis. Aduerte hîc stupendam docendi methodum, liberamque ab omni arrogantia: quamuis enim in CHRISTO superbia locum habere non posset, rationem nihilominus gerebat fragilitatis discipulorum suorum. Disce hinc omnia tua prudenter & discretè tractare: vult enim Deus, seruos suos prudentes & sapientes esse.

2. Qui alienos docebat, discipulorum suorum non obliuiscebatur: sed illorum specialiorem præ cæteris curam agit, vt cæteris perfectiùs instruerentur. Disce hinc eorum, qui tuæ curæ traditi sunt, saluti specialius inuigilare: & præ omnibus animæ tuæ, quâ nihil tibi coniunctius esse

potest, singularem curam impendere. *Qui alium doces*, ait Apostolus, *teipsum non doces*? Charitas ordinata incipit à seipso. Rom. 2.

3. *Quem dicunt homines esse filium hominis*? Homines sunt qui loquuntur de filio hominis: illi verò qui loquuntur de filio Dei, & in homine Deum agnoscunt, plusquam homines sunt. *Dedit eis potestatem*, ait S. Ioannes, *filios Dei fieri: his qui credunt in nomine eius*. Roga Dominum vt te à terra exaltet, vt cœlestia, non terrenis sensibus, sed cœlesti lumine illustratis, cognoscas. Qui de terra est, de terra loquitur: & vti terrenus cogitat: sed qui diuina sapientia imbutus est, diuina veris, vti par est, sensibus apprehendit. Ioan. 1.

4. Disce à Christo, curare quid homines de te sentiant. Amor enim proprius, non patitur vt nosmetipsos cognoscamus: amici autem sæpè decipiunt nos, atque ad voluntatem nobis loquuntur, ne molestiam aliquam nobis creent. Quod Regibus, Principibus, alijsque Dominis specialiter aduertendum esset, qui adulatoribus faciles aures prębent: Eos verò, qui veritatem dicunt, à se repellunt, & malè mulctant.

5. Duo extrema sunt, quæ ab omnibus vitari debent: vnum est; flocci facere, quid homines de nobis loquantur. Alterum est; immoderatè formidare iudicia & dicta hominum mundanorum: quo fit vt plurimi viam Dei ingredi non audeant. Caue igitur,

tur tibi, ne homines iustè meritoque de te malè loquantur. ideoque omnem ipsis occasionem quoad potes tolle. Satage ita viuere, vt & Deo placeas, & proximum nulla in re offendas: & tum nihil pende dicta hominum: loquatur mundus de te, quod vult; modò facias quæ debes: quia Sanctus Paulus dicit: *Si adhuc hominibus*
Gal. 1. *placerem, Christi seruus non essem.*

6. *Responderunt ei discipuli: Alij Ioannem Baptistam, alij Heliam, alij verò Ieremiam aut vnum ex prophetis.* Hæc dicebat communis plebs, nullâ malitiâ stimulata: quæ quamuis veritatem non agnouerit, nihilominus operibus & doctrinâ Christi conuicta, existimabat ipsum esse virum sanctum aut magnum aliquem Prophetam. Sed Pharisæi, alijque, malitiâ, inuidiâ & ambitione pleni, dicebant, eum esse voracem, bibulum, amicum publicanorum & peccatorum, seductorem populi, Samaritanum, dæmonium habentem, & in virtute Beelzebub principis dæmonum, dæmonia eijcientem. Hi non erant homines, sed filij diaboli per imitationem: desideria enim patris sui, qui fuit homicida, à principio perficere cupiebant, vt videlicet Christum morti traderent.

Res admodum detestabilis est malitia: ne patiaris eam in corde tuo dominari: quia illa facit apostatare à Deo, ipsumque negare.

7. CONSIDERA, quàm stultè mundus, in iudicijs de Christo ferendis, aberret.

Benè ait S. Ioannes Baptista: *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis*. Magna est miseria, quod infirmus habeat medicum & medicinam ante se, nec tamen agnoscat. Intellige, quòd eâdem ratione mundus in iudicijs de rebus diuinis & virtutum operibus ferendis variet, & hallucinetur. Humilitatem censet abiectionem. Patientiam putat socordiam. Paupertatem existimat stultitiam; & sic de cæteris. Contrà verò superbiam dicit esse, magnanimitatem: impatientiam, dicit esse animum virilem: studium cumulandi opes, & honores captandi dicit esse prudentiam: & denique malum, bonum, & bonum malum: dulce amarum, & amarum dulce putat. *Vani filij hominum, mendaces filij hominum, in stateris*. Precare Dominum, vt te has deceptiones cognoscere faciat: & deplora tempus illud quo his erroribus inuolutus fuisti. Psal. 61.

8. Auditis varijs hominum opinionibus dicit Christus ad discipulos: *Vos autem quem me esse dicitis*? Non numerat suos inter homines, sed inter eos, qui erant plusquam homines: quia illos elegerat, & cœlesti doctrinâ & præceptis imbuerat, quò hominum sapientia pertingere nequit. *Ego dixi*, ait Propheta, *Dij estis & filij excelsi omnes*. Quod Christus exponens, dicit illos hoc loco Deos appellari, ad quos Dei sermo factus fuerat. Discipulis igitur, quibus Christus Deus loquebatur, quique eundem Deum Magistrũ habebant, Psal. 81. Ioan. 10.

cum

cum quo agebant & conuersabantur familiarissimè, rectè à cæteris hominibus segregati fuerunt. Agnosce anima mea, quàm ingens sit dignitas, pro magistro habere Deum: & quantoperè nobilitetur virtus & gratia Dei. Erubesce quòd ad hanc dignitatem & nobilitatem vocatus, ad peccati vilitatem te demittas.

9. Aliquid profectò potuit vobis prodesse, ait Christus, quòd scholam meam frequentaueritis, doctrinamque meam perceperitis; iustum ergo & rationi consentaneum est, vt meliorem quàm cæteri de me & rebus meis opinionem habeatis, cùm cæteris meliùs instructi sitis, ad iudicandum de me & illis. *Cui multum donatum est, multum quoque requiretur ab eo.* Si Deus tibi plus ingenij & lucis quàm alijs contulerit, & non superaueris eos, qui tantam lucem & gratiam non acceperunt, puniet te tanquam seruum infidelem & inutilem.

10. *Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei viui.* Respondet pro omnibus, tanquam qui esset os, & futurus esset caput omnium. Vbique sanctus hic discipulus pro honore Magistri sui primus respondet. Cùm quidam discipuli Christum reliquissent, & ipse ad cæteros conuersus dixisset: *Nunquid & vos vultis abire?* Respōdit ei Petrus: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei.* Hac ratione disponebat eum Christus,

Ioann. 9.

ſtus, ad officium quod ei collaturus erat; nempe vt eſſet Paſtor ouium ſuarum, & caput Eccleſiæ. Deus enim non largitur dona ſua, niſi priùs debita in nobis diſpoſitio fuerit. Diſce ex huius Apoſtoli zelo, Diuinum honorem magno ſtudio zelari.

11. *Tu es Chriſtus*: verus nimirum Meſſias vnctus oleo lætitiæ, copioſâ videlicet Spiritus ſancti gratiâ præ participibus tuis, tanquam Rex regum & ſummus Sacerdos, qui vnicâ ſolâ oblatione quam obtuliſti, noſtræ redemptionis opus perfeciſti, vitamq́ue æternam nobis lucrifeciſti. Curre anima mea in odorem ſuauiſſimorum vnguentorum Chriſti huius à Patre vncti: quia ex plenitudine ipſius, accipimus omnes gratiam & ſanctitatem.

12. *Filius Dei viui.* CONSIDERA quàm ſublimis fuerit hæc confeſſio: quandoquidem confitetur eum eſſe naturalem Dei filium, quem Deus viuens generauit: cùm nemo, niſi vitam habeat, generare poſſit. Filius igitur Dei viui es: quia in te vita Dei monſtratur, qui te filium ſuum genuit. Alij vocabantur filij Dei, propter ſingularia quædam dona, quæ à Deo acceperant, per doctrinam, idque in virtute mortis Ieſu Chriſti: ideoq́ue rectè vocari poterant filij Dei mortui: ſed ſolus Chriſtus eſt filius Dei viui, generatus à Patre actu vitali, tanquam filius naturalis. Amplectere hanc confeſſionem, & adora hunc Dei viui filium, qui morte ſuâ, nos Dei filios

red.

reddidit.

1. Tim. 6. 13. *Solus Deus*, teste S. Paulo, *habet immortalitatem*. ideoque solus appellari potest viuus, tanquam qui habeat vitam omnis principij & finis expertem. Quicquid habet vitam, aliquando eadem caruit. Solus Deus ita habet vitam, vt nunquam non eam habuerit: vitam nulli mutationi subiectam. *Ego sum Dominus & non mutor*, ait Deus per Malachiam Prophetam: ac proinde solus ipse perfectam habet immortalitatem, & immutabilitatem. Omnis mutatio est quædam effigies mortis, quia desinit esse quod prius erat. Si anima mea, illa quę mutantur amplexata fueris, mutaberis & tu cum illis, & caduca eris. Amplectere Deum immutabilem, & stabilis ac firma eris. Deus viuit & est fons vitæ: bibe ex hoc fonte, & in æternum viues.

Mal. 3.

14. CONSIDERA anima mea, qualis vita sit Deus. Vita beata, vita gloriosa, vita omnibus bonis affluens, & immensæ iucunditatis. Hac vita viuit Pater, Filius, & Spiritus sanctus in omnem æternitatem: & tamen ille qui tali vità viuit, tui amore se humiliauit vsque ad gustandas & experiendas molestias miseræ humanæ vitæ: & immortalis pro te mori dignatus est, vt tu semper viueres, atque ab æternæ mortis sententia, ad quam condemnatus eras, liberareris. Benedictio, gloria, & gratiarum actio sit tam clementi Deo.

15. Hic Deus viuens, mortua detestatur.

Trans-

Transiens per te, ait per Prophetam, *vidi* Ezec. 16.
te conculcatam in sanguine tuo: & dixi tibi cùm esses in sanguine tuo; Viue. Discedant à te opera mortua. Viuat in te fides: viuat spes: viuat & ardeat charitas: viuat in te feruor proficiēdi: viuat in te zelus diuini honoris, & salutis animarum: expelle à te omnem tepiditatem, & negligentiam: regnet vbique in te gratia, quæ est vita animæ, per quam viuit Deus in ea: qui tanquam Deus viuus illam viuificat & disponit ad æternam vitam.

16. *Respondens Iesus dixit ei: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi: sed Pater meus, qui in cœlis est.* Laudat Christus Discipuli de diuinitate sua confessionem: tanquam qui magnum in Schola Christi & Spiritus sancti profectum fecisset. Donum Dei erat fides & confessio Petri: & nihilominus laudat eum in his, quæ de suo ad hoc contulerat, nimirum quod se à Spiritu sancto doceri passus esset. Honorat Deus creaturas donis suis, & qui solus laudari mereretur, laudat creaturas; vt hinc discas honorem proximi tui desiderare & de bonis eius gaudere; non autem obscurare famam illius; quemadmodum faciunt inuidi & superbi, qui omnem honorem & gloriam sibimetipsis cupiunt.

17. Vocat Christus Petrum filium Ioannis, vt significet; quemadmodum Petrus erat filius Ioannis secundùm naturam, ita Christum esse Dei viui filium secundùm

dùm naturam: ſicque manifeſtiùs cerneretur hanc confeſſionem non eſſe (vti dixerat) carnis aut ſanguinis. Vnde enim Simoni piſcatori Ioannis filio, qui nihil aliud didicerat, quàm in mari Galilææ piſcari, vt notitiam tam ſublimem haberet de Chriſto, & confeſſionem tam admirabilem proferret. Si Diabolus propter dona à Deo tibi collata, in ſuperbiam te erigere voluerit, recordare te filium eſſe Adami, proditorem Dei, conceptum in peccatis, & plenum malis inclinationibus: & ex hac conſi-
Pſal. 113. deratione humiliare & dic: *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Nobis enim nihil niſi confuſio & verecundia pro peccatis debetur.

18. *Non reuelauit caro & ſanguis:* quia tota naturæ vis, quidcunque agat, non ſufficit ad obtinendam fidem & cognitio-
Eph. 2. nem Chriſti. *Gratia eſtis ſaluati*, ait S. Paulus, *per fidem: & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt, non ex operibus, vt ne quis glorietur.* Gratias refer Deo, quod donis ſuis ſupernaturalibus te exaltet & diuinæ
2. Pet. 1. naturæ conſortem faciat. *Maxima & pretioſa*, inquit S. Petrus, *nobis promiſſa donauit, vt per hoc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.* Væ nobis ſi Deus nos reliquiſſet in humilitate noſtræ carnis & ſanguinis.

19. Pudore ſuffundere, quòd te tam carnalem, & carni ac ſanguini tantopere affi-
Gen. 6. xum, appetitionumque tuarum ſeruum eſſe
1. Cor. 3. conſpicias. *Non permanebit*, ait Deus, *ſpiri-*

tus meus in homine in æternum, quia caro est. Cùm sit inter vos zelus & contentio, inquit S. Paulus, *nónne carnales estis?* Quid potest sperari de illo, qui in rebus suis consilium capit à carne & sanguine: qui Spiritui sancto portas occludit: quique ea tantummodo sectatur, quæ ipsi voluptatem adferunt, tandemque indomitæ & effrenatæ bestię similis efficitur, ita vt nulla sit impuritas, in quam se non conijciat, nec vlla vilitas, ad quam se non demittat?

20. *Sed Pater meus qui in cœlis est. Omne datum optimum & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum*, ait S. Iacobus Apostolus. Vocat Deum, *Patrem luminum*, quia ab illo prouenit omne lumen, illud maximè quo mysteria supernaturalia, ad quæ lumen rationis naturalis non pertingit, cernuntur. Roga hunc Patrem luminum, vt conseruet in te lumen fidei, quo illustrauit cor tuum, & illud indies magis & magis augeat: atque ignorantiæ & errorum tenebras è corde tuo fuget, faciatque, vt tandem videre merearis in lumine ipsius lumen increatum, ipsum videlicet Deum. *Iacob. 1.*

21. Hic est Pater, de quo idem Christus ait: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui me misit traxerit eum.* quod hîc vocat trahere, in Euangelio præsenti vocat *reuelare.* Trahit enim per fidem: fidem autem animabus nostris infundit per cœlestium mysteriorum reuelationem, & inte-

riorem mentis ad eadem cognoscenda, il-
Psal. 118. lustrationem. *Reuela oculos meos*, ait Propheta, *& considerabo mirabilia de lege tua.* Oculi enim intellectus nostri ad considerandа cœlestia mysteria, sicut oculi noctuæ ad conspiciendam lucem solis, nisi Deus supernaturali lumine illos illustret. Refer gratias benignissimo huic Patri, qui tam benignè communicat se creaturis suis: & desidera, vt ad Christum trahat omnes qui eum deseruerunt, illisque immensas diuitias & thesauros in Christo conclusos reuelet, vt ipsum adorent, eique soli seruiant.

22. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hãc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.*

VERE diues est Deus in misericordijs & liberalissimus in donis suis. CONSIDERA quàm ingentes diuitiæ contineantur in his verbis, quamque liberalem declaret se Christus erga discipulum, propter eam quam de se protulerat confessionem. Si pauper & egena es anima mea in donis Dei: si Dominum erga te liberalem esse non sentis, culpa tua est, cùm habeas Patrem liberalissimum, diuitias suas illis, quos dispositos esse videt, affluenter distribuentem.

23. Tu mihi dixisti, & ego dico tibi, sed valdè

vallè differenter. Tu mihi dixisti quis sim, quidque mihi per naturam conueniat, & ego dico tibi qualem te facturus sim. Non est sermo meus inanis, & qui tantum consistat in verbis, sed dicere meum, facere est. *Ipse dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt.* In principio mũdi dixit Deus: *Fiat lux, & facta est lux.* & in Ecclesiæ fundatione dixit Filius Dei discipulo suo, ipsum esse Petrum: & super hanc petram ædificaturum se Ecclesiam suam. & ita factum est. Adora hanc Dei potentiam, qui tam facilè omnia quæ vult facit. *Dic* Domine *animæ meæ: Salus tua ego sum:* quia si dixeris facies. *Psal. 148.* *Psal. 34.*

24. Non vocat Petrum hoc loco Simonem Ioannis filium, quemadmodum suprà, sed Petrum, quod nomen Christus ei imposuerat, quo significare voluit, qualis futurus esset: vt ex omnibus his intelligeretur, esse hæc mera Dei dona, & in illis nullam partem habere carnem & sanguinem. Quatenus Simon eras piscator, cuius officium erat retia iacere & piscari: quatenus Petrus, id est, quatenus electus à me, & in misericordijs & benedictionibus meis præuentus, constituam te fundamentum Ecclesiæ meæ, & primum huius ædificij lapidem. Nihil habes hîc de tuo, totum est donum meum: & vt nihil eorum, quæ tua sunt, tibi remaneat, ne nomen quidem antiquum te retinere volo, sed nomen nouum tibi impono, ne quicquam in hoc opere tibi attribuas. In hoc ædificio nouo,

 nihil

nihil de veteri superesse debet, ipsa etiam fundamenta eruenda & noua effodienda atque locanda sunt: ne supra debile fundamentum ædificetur, quod debet fortissimum & permanens esse. *Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* expolia te veteri homine, & superuesti te nouo: noli putare quòd vestis noua veteribus & laceris pannis superinduenda, nec quòd à Christo aliquid supra veterem Adamum ædificandum sit.

25. *Tu es Petrus*, quod interpretatur petra, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Petra fuit Petrus, quia Christus illum talem fecerat. *Ego pro te*, inquit, *rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.* Et quamuis Christus sit petra firmissima, supra quam ædificata est Ecclesia, iuxta illud Pauli: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Fuit tamen Petrus primus lapis, qui positus fuit super hoc fundamentum, & super hunc ædificata fuit Ecclesia, quia fuit caput eiusdem Ecclesiæ, & primus eiusdem moderator & ouium Christi pastor. Fideles huic capiti suo, per fidem, & obedientiam vniti atque coniuncti ita sustinent & conseruant hoc ædificium, vt segregans se quis ab hac petra, & à Christi in terris vicario, id est, à Romano Pontifice S. Petri successore, atque illum pro capite agnoscere detrectans, ac debitam ei obedientiam negans, excludatur ab admirabili hoc ædificio. Ita verum est Ecclesiam esse fun-

fundatam supra Christum; & supra confessionem sancti Petri: & supra sanctum Petrum, non quatenus hominem fragilem, sed quatenus factum petram stabilem ab eo, cui ipsum talem facere potuit. CONSIDERA quantopere honoret Deus creaturas suas, quantique faciat homines post humanæ carnis assumptionem. Non constituit Christus Angelum huius Ecclesiæ fundamentum: valdè honorificum sibi putat, quòd ædificij huius adiutor & salutis fidelium promotor sit: sed hominem, quem Petrum nominari voluit: quod tamen mirum non est, *nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Sit ei benedictio in omne æuum. *Hebr. 2.*

26. Supra Petram ædificat Christus Ecclesiam, non super arenam, quia vult vt stabilis sit. Tu verò cur ædificas super arenam, cùm omne id quod superędificaueris ruiturum sit? Arena est vana confidentia in semetipso, in hominibus & in bonis caducis præsentis vitæ. *Maledictus homo qui confidit in homine & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius.* *Iere. 17.* Ad Ægyptum ait Deus: *Homo est & non Deus: & equi eorum caro, & non spiritus: & Dominus inclinabit manum suam, & corruet auxiliator, & cadet cui præstatur auxilium, simulque omnes consumentur.* *Isai. 31.*

27. Esto petra, sis constans in bonis operibus, sustine ictus malleorum quibus te feriunt persecutiones huius mundi: præbe faciem, non tergum aduersitatibus &

laboribus: alioqui enim non poterit in anima tua ædificari ædificium alicuius momenti. *Quid faciam tibi Ephraim?* dicit
Ose. 6. Deus. *Quid faciam tibi Iuda? Misericordia vestra quasi nubes matutina*: quæ statim vt sol exoritur dissipatur: *& quasi ros nocti s manè pertransiens.*

28. *Ædificabo Ecclesiam meam*: quæ ædificatur viuis ex lapidibus, viuâ fide, & vinculo perfectæ charitatis inter se conglutinatis.

CONSIDERA quàm pulchrum sit hoc
Apoc. 21. ædificium. *Vidi*, ait S. Ioannes, *sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* De cœlo eam descendisse dicit, quia ad imitationem cœlestis & Angelicæ
Psal. 86. Hierarchiæ, ædificatur Ecclesiastica. *Fundamenta eius*, inquit Dauid, ædificium hoc in spiritu præuidens, *in montibus sanctis*: quod idem est cum illo quod per Apostolum dicitur. *Ædificati super fundamentum*
Ephes. 2. *Apostolorum & Prophetarum.* Cùm enim scientissimum habeat architectum, quid nó potest de pulchritudine huius ædificij ex-
Psal. 86. pectari? *Fundauit eam*, inquit Propheta Dauid, *Altissimus.* Gratias age illi anima mea, quòd domum hanc & sanctam ciuitatem fundauerit, vt eam cum hominibus inhabitaret; & adimplendo eam benedictionibus, magnificentiam & bonitatem suam in ea demonstraret.

29. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*

Flauerunt venti, ingentes procellæ ac tempestates exortæ sunt, & tamen domum hanc euertere non quiuerunt, eò quòd fundata esset supra firmam petram. Portas inferi vocat hic potestatem diaboli, qui quantum potuit, laborauit, vt ædificium hoc per Imperatorum & Principum huius mundi persecutiones, per Philosophorum & Sapientum argumentationes & sophismata, per hæreses, scismata, atque omnia peccati genera subuerteret;& tamen semper stabile permansit ędificium hoc, & in æternum manebit. Quis affirmare ausus fuisset, quòd ædificium tanta cum paupertate & fragilitate ædificari cœptum, talem habiturum esset firmitatem: & quod pauperes piscatores soli resisterent vniuersę mundi potentię,& plus virium haberent, quàm tota fortitudo inferni. *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Valdè confirmat fidem nostram, quòd videamus Christi promissa quæ extra omnem rationem esse, & impleri non posse putabantur, re ipsâ completa esse: & apertè ostendit Ecclesiam Romanam, quæ retinet continuã suam successionem à sanctis Apostolis, esse Ecclesiam à Christo fundatam: quia in ipsa videmus adimpletam esse& quotidie adimpleri hanc ipsius promissionem. Ex horum consideratione viuifica fidem tuam, & maiorem accipe confidentiam in Deo, qui est fortitudo fragilium: cumque Deum habeas protectorem, noli timere potestates inferni.

30. *Et tibi dabo claues regni cœlorum.* Benedictus Deus qui talem potestatem dedit hominibus. Ego, dicit, ædificabo hanc meam ciuitatem,&ego eam muniam: tibi autem dabo claues illius: tu supremum illius imperium obtinebis tanquam caput omnium: tu aperies & claudes: dignos admittes & indignos reijcies. Regnum cœlorum est Ecclesia, in qua regnat ipse Deus, quæque gubernatur potestate cœlitus collata, legibusque cœlestibus vtitur quâ continentur omnes qui in cœlis habitaturi,& cum Deo perpetuò regnaturi sunt. Claues illius sunt scientia, ad discernendos ab indignis, & potestas, ad alios admittendos, alios verò excludendos: & ad constituendas leges in administratione sacramentorum, & in Sacrarum literarum expositione, atque in omnibus quæ ad bonam ciuitatis huius gubernationem necessaria sunt, obseruandas. Diuina enim Sapientia ædificauit sibi hanc domum,ideoq; prouidit ei de omnibus ad bonam gubernationem necessarijs: voluitque homines ab hominibus regi, subiectosque esse his clauibus, vt per illas portæ cœlorum ipsis reserarentur.

31. *Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.*

Approbat Deus in cœlis, quæ S. Petrus in terris agit cum potestate clauium, quas illi & successoribus eius contulit. Ligat

Præ-

Prælatus Ecclesiæ per leges & præcepta, ligat per censuras; ligat non absoluendo illos qui indigni sunt; soluit autem absoluendo à censuris & peccatis, & dispensando in legibus & votis, & omnia quæ facit, approbantur à Deo in cœlis, modò fiant cum clauibus, quarum vna est scientia, quâ discernat quid sibi faciendum sit: altera est potestas: & si non errauerit in discernendo, nec limites potestatis suæ excesserit, firma & stabilia erunt omnia quæ fecerit: quia, S. Paulo teste, Deus in Ecclesia sua reliquit potestatem, non ad destructionem, sed ad ædificationem. Lauda anima mea Dominum, qui hanc potestatem in Ecclesia reliquit, & noli sustinere vt vel vnico temporis momento peccatorum vinculis constricta tenearis: quandoquidem potestatem soluendi habet Ecclesia. Confessus est S. Petrus Christum esse Dei viui filium; talem autem se Christus esse demonstrauit, quando tali cum liberalitate & authoritate thesauros cœlestes & claues regni cœlorum dispensauit. Pro quo sit ei benedictio, laus & adoratio in sæcula sæculorum, Amen.

IN FESTO VISITATIONIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.



Xurgens *Maria*, post Angeli videlicet discessum, *abijt in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth.* Non hoc fecit quòd dubitaret de his, quæ Angelus ei de Elizabethę sterilis conceptu nunciauerat: sed mota ab illo, quem iam conceperat, iter hoc arripuit, vt sanctificaretur Ioannes in vtero materno. CONSIDERA flagrantissimum in Dei Filio salutis hominum desiderium, quia eodem momento quo conceptus erat, matrem permouit ad visitandam Elizabeth cognatam, vt præcursorem suum Ioannem sanctificaret. Quemadmodum Sol statim vt exoritur, radios emittit: ita & Christus Sol iustitiæ, & vera lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, confestim vt venit, illuminare cœpit homines.

2. Non

2. Non conferuntur Dei dona, vt otiosa sint. Aspice Mariam sanctissimam, quæ priùs sola in conclaui sedebat, hominumq; congressus fugiebat, statim vt se matrem Dei esse sensit, surgere, & foras egredi, vt quantum posset, opus saluationis animarum, ad quod conficiendum Dei filium in visceribus suis conceptum esse intelligebat, promoueret. Bona est solitudo & cordis ab omnibus rebus abstractio; quam, nosmetipsos quod attinet, fragilitatis nostræ conscij quærere debemus: sed quando Deus vel charitatis aut officij obligatio nos vocat, melius est egredi, & animarum saluti inuigilare. *Væ mihi*, ait S. Paulus à Christo in Apostolum electus, *si non euangelizauero*. Magni æstima igitur salutem animarum, cui tam feruenter Dei filius, & mater illius sanctissima incubuerunt. 1. Cor.

3. De sanctis animalibus, quæ Ezechiel Propheta vidit, ait idem Propheta: *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Ezech.

Maria plena Spiritu sancto, graditur quo eam idem Spiritus impellit, & pergit in montana: quia proprium diuini spiritus est, nos à terrenis & infimis hisce rebus, ad cœlestia erigere: facere vt terrena omnia fastidiamus: cœlestia verò diligamus & desideremus. Examina igitur desideria cordis tui, & si animaduertis ea in terrenis rebus versari, à Spiritu sancto illa non proficisci intellige. *Spiritu ambulate*, ait S. Paulus, *& desideria carnis non perficietis.* Galat.

Ephes. 5. 4. Surgit Maria. *Surge* & tu, *qui dormis*, ait S. Paulus, *& illuminabit te Christus. Hora enim est iam nos de somno surgere.*
Prou. 24. *Vsquequò piger dormies? vsquequò de somno consurges? Parum inquam dormies: modicum dormitabis, pauxillum manus conseres & quiescas: & veniet tibi quasi cursor egestas tua, & mendicitas quasi vir armatus.*

Psal. 126. 5. *Vanum est vobis*, ait Propheta, *ante lucem surgere*: quia, vti Christus ait, in nocte nemo potest operari. *Surgite postquam sederitis.* Non surrexit Maria ante lucem: quia iam conceperat lucem in vtero suo: & plena erat lumine Spiritus sancti. Nec surrexit antequam sedisset: quia dicit in Canticis, se sub vmbra illius quem desiderauerat sedisse: in cuius confirmationem dicit ei Angelus, quòd virtus Altissimi eam obumbratura esset: ideoque non fuit vana nec inutilis Mariæ surrectio. Sed væ illis, qui antequam lucem cœlitus acceperint, surgunt vt aliorum magistri sint, animarumque curam suscipiant, qui antequam ad pedes Christi, vt verba illius audiant, se collocauerint: antequam etiam in suæ humilitatis & paruitatis consideratione sederint, pleni magnâ de semetipsis opinione ac vanâ præsumptione & confidentiâ surgunt, & velociter currunt, vt sedeant in cathedris, & assumant officia, quibus onusti, ruunt, & in profundo abyssi submerguntur. *Et tu Capharnaum,*
Luc. 10. *vsque ad cœlum exaltata, vsque ad infernum*

fernum demergeris.

6. *Cum festinatione* iter facit Maria. Quia gratia Spiritus sancti non nouit tarda molimina. Quando Christus Zachæum vocauit, *Zachæe*, ait, *festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et* ille *festinans descendit, & excepit illum gaudens.* Sponsa quia dilecto pulsante paululum tardauerat in surgendo & aperiendo, ille, cùm aperiret, declinauerat atque transierat: illumque postea non nisi magno cum labore reperit. *Si impiger fueris*, & omnem à te pigritiam expuleris, *veniet*, ait Sapiens, *vt fons messis tua, & egestas longè fugiet à te.* Luc. 19. Prou. 6.

7. *Pedes impiorum*, ait Sapiens, *ad malum currunt & festinant vt effundant sanguinem.* Stultus impudicam mulierem ad carnis voluptatem se inuitantem, sequitur tanquam auis festinans ad laqueum. Auarus diuitias insectatur, nec vllam potest inuenire quietem in mensa vel in lecto, propter cupiditatem cumulandarum opum. O quantus pudor & confusio est, quòd homines ad infernum festinent: ad cœlum verò admodum lento pergant gressu. Prou. 5. Prou. 7.

8. Cum festinatione graditur Maria. Nullam moram facit in aspiciendis mundi vanitatibus, quia non placebat ei mundus, & omnia quæ mundi sunt. Illa quæ sola esse, & raro in publicum venire solebat, festinanter iter suum conficit, vt tanto citiùs ad solitudinem redeat. Discant Vir-

gines

gines ab hac sanctissima Virgine solitudinem & abstractionem diligere, non in plateis oberrare, mundique vanitates oculis &
Thren. 3. animo haurire. Discant ab eadem, omnes congressus hominum vitare, & occasiones quæ nobis distractionis causa esse possint,
Ier. 9. fugere quia Propheta conqueritur oculos deprædatos fuisse animam ipsius, & mortem intrasse per fenestras suas. Auis quæ velociter præteruolat, difficilè feritur: ea verò quæ moram facit, vel in rete, vel in laqueum cadit, vel auciata moritur.

9. Non terretur Maria asperitate montium, nec viæ longitudine. Amor Dei & desiderium placendi Deo vincit omnia: animo determinato & feruido omnia videntur fa-
Psal. 17. cilia. *In Deo meo*, ait Propheta, *transgrediar murum.* Animo verò tepido & pigro,
Prou. 28. cuncta videntur impossibilia. *Dicit piger: Leo est foris, in medio platearum occidendus sum.* Trepidans muscas Leones esse putat; sed feruens & diligens Leones muscas esse
Rom. 18. censet. *Spiritu feruentes*, ait S. Paulus, *Domino seruientes.* Roga Deum vt accendat in corde tuo sui amoris ignem, quo difficultates omnes in diuino seruitio tibi occurrentes superare valeas.

10. Ad ciuitatem Iuda pergit, quæ Leonem de tribu Iuda vtero conceperat. Hoc est primum iter quod fecit Christus, quamuis vtero matris adhuc conclusus esset: ac proinde leniter illud transilire non debes. Magna enim in eo proculdubio mysteria includuntur, si Dominus ad ea consideranda,

da, oculos tibi aperuerit. Ascendit Mariæ in montana: vt hinc intelligas, idcirco Redemptorem mundi aduenire, vt te ad sublimem gloriæ montem exaltaret. Cecideramus omnes in Adamo, sed per Christum erigimur, & exaltamur. *Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem!* O gloriosam captiuitatem, quâ liberamur à captiuitate Diaboli, & æternam libertatem adipiscimur. Duxit autem nos Christus: quia iusto certamine, quod cum hoste nostro inijt, & è quo victor ac triumphans rediijt, nos sibi acquisiuit: nobisque dulces atque suaues legis suæ catenas inijciens, secum nos duxit ad altissimum supernæ gloriæ montem. Et à *Galilæa*, quod interpretatur *volubilis*, videlicet à mundo hoc instabili, axaltauit nos ad montem *Iuda*, quod interpretatur *Laudatio*: ad cœlestem nimirum gloriam vbi Deus perpetuo laudatur.

11. In territorio Iudæ erat Hierosolyma, in qua erat Dei templum, & mons Caluariæ, vbi Christus crucifixus fuit. Vt igitur intelligas flagrans illud desiderium, quo Christus mortem pro tua redemptione subire cupiebat; statim posteaquam conceptus fuit, pergit versus locum illum vbi moriturus erat, dicens intra se: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te*. Quando veniam ad locum hunc crucem baiulans? Quando me despoliabunt, & nudum cruci affigent? Quando exaltabunt me in ea, vt omnia traham ad meipsum? Quando Psal. 41.

do moriar in ea, vt hominibus vitam conferam? Quando latus meum lanceâ confodient, vt tanquam ab altero Adamo, formetur mea dilecta Eua, hoc est, Ecclesia? O amorem immẽsum! O charitatem infinitam!

12. *Intrauit in domum Zachariæ.* Mater summi sacerdotis ingreditur domum sacerdotis: & quod facere nequit sacerdos secundùm ordinem Aaron cum omnibus sacrificijs suis, facit sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, materno adhuc vtero conclusus: videlicet sanctificare Ioannem adhuc in matris visceribus existentem, Genuerat eum Zacharias in peccato: Christus autem gratiâ suâ sanctificauit illum. CONSIDERA quanta differentia sit sacerdotis à sacerdote. *Impossibile est*, inquit S. Paulus, *sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum* (videlicet Christus) *dicit* (ad Deum Patrem:) *Hostiam & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi; Ecce venio.* Venit igitur ad domum sacerdotis, vt faciat quod nec sacrificia, nec oblationes facere potuerant. *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus qui non habet necessitatem quotidie, (quemadmodum sacerdotes) priùs pro suis delictis, hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel se offerendo. Lex enim homines cõstituit sacerdotes infirmitatẽ habentes: sermo autem iurisiurandi,*

Hebr. 10.

qui

qui post legem est, Filium in æternum perfectum: iuxta illud quod Dauid ait: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Benedictus sit hic sacerdos: Benedictus & ille, qui eum sacerdotem esse iussit.

13. *Et salutauit Elizabeth.* Prior salutat eam tanquam virgo humilis, & quæ nihil superbiret ex eo quòd Filij Dei mater esset. *Quanto maior es, humilia te in omnibus*, ait Sapiens. Grata est humilitas in omni homine, sed in illis, quorum dignitas maior est, magis elucet. CONSIDERA præterea, quàm hęc salutatio fuerit sancta: quàm differens ab illa, quâ hodie mundus vtitur, quæ plena est vanitate & adulatione. Disce igitur ab hac virtutum Magistra, quomodo in cunctis te gerere debeas.

14. *Et factum est vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius: & repleta est Spiritu sancto Elisabeth, & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* CONSIDERA quantæ virtutis & efficaciæ fuerit Mariæ salutatio. Puer gaudio exultat in maternis visceribus: Elizabeth Spiritu sancto repletur, & Mariam Dei Matrem esse, quem iam vtero concepisset, prophetat. Sis deuotus beatissimæ Virgini Mariæ,

quandoquidem Deus propter illam tam insignia dona Elizabethæ præstat. Vult enim Deus, matrem suam super omnes creaturas honorari, tanquam omnibus in gratia & sanctitate præcellentiorem: ideoq; gratiæ suæ dispensatricem illam constituit. Fœlices qui ab ea salutari merentur, quia verè consequentur salutem. *Pete mater*
3. Re. 2. *mea*, inquit Salomon ad matrem suam, *neque enim fas est vt auertam faciem tuam.* Quanto magis dicet hoc Christus sanctissimę Matri suæ?

15. CONSIDERA ordinem mysterio plenum. Elizabeth audit vocem Mariæ, & statim Ioannes Domini & Saluatoris sui præsentiam sentit, & Spiritu sancto repletus, gaudio exultat. Mox etiam Elizabeth Spiritu sancto repleta cognoscit, quē Beatissima Virgo Maria vtero gestet, altaque voce prophetat; vt hinc intelligas omnia hæc propter præcursorem Christi S. Ioannem Baptistam, facta fuisse. Illum enim Christus honorare volebat, in matris adhuc visceribus existentem: vt iam tum inciperet monstrare Christum, & cùm se per ipsum sanctificatum esse animaduerteret, quando aliter non poterat, insolito intra materna viscera gaudio, & motu ostenderet, illum esse Agnum Dei, tollentem peccata mundi. Ideoque mater etiam Spiritu sancto impleta fuit, vt quod ipse verbis efferre non posset, illa proferret, nimirum, quis esset, qui vtero B. Mariæ Virginis gestabatur. Adora sublimia hæc myste-

mysteria, quibus significabatur, qualis futurus esset fructus incarnationis filij Dei, quidque operaturus esset in mundo, benedictus ille ventris Mariæ fructus: quandoquidem statim vt conceptus fuit, tam mirabilia operatus est.

16. *Abraham, pater vester*, inquit Christus, *exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauisus est.* Si solum desiderium tot antè annis permouit Abrahamum Patriarcham, vt præ lætitia exultaret; quomodo non exultabit Ioannes, qui eum quem Abraham videre cupiebat, præsentem esse sentiebat? *En ipse stat post parietem nostrum*, in sanctissimo videlicet vtero Matris suæ. Pudore suffundere, ob tepiditatem tuam quòd tam parui æstimes, quòd Redemptor tuus iam venerit, redemptionemque tuam in Cruce operatus fuerit. *Ioan. 8.* *Ioann. 1?*

17. *Repleta fuit Spiritu sancto Elizabeth.* Hæ fuerunt cœlestes diuitiæ, quas Christus Redemptor noster in mundum attulit, nimirum: Spiritus sanctus, gratia & sanctitas. *Verbum Dei caro factum est, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. De cuius plenitudine nos omnes accepimus* Spiritum sanctum, gratiam, & sanctitatem. CONSIDERA, quantarum opum sit Spiritum sanctũ non tantum accipere, sed eo repleri. Contemplare, quàm liberalis veniat Christus, quãdoquidem tam citò dona sua eaque tam *Cant. 7.*

eximia

eximia & tanta in abundantia distribuit. Desidera particeps esse harum cœlestium diuitiarum: terrenæ enim nihil nisi lutum sunt.

18 Elizabeth Spiritu sancto repleta, voce magnâ pronunciauit beatissimam Virginem Mariam esse inter mulieres benedictam, & benedictum esse fructum ventris illius. quia cum feruore spiritus annunciandæ sunt Verbi diuini incarnati & sanctissimæ matris eius excellentiæ. non voce submissa. *Exalta*, inquit Propheta Esaias, *in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem*, qui ei Saluatoris aduentum annuncias: *exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iudæ: Ecce Deus vester*. Pudore suffundere, propter tepiditatem tuam: quia potissimùm laboras in diuinis laudibus & quando in oratione cum Christo & sanctissima ipsius matre loqueris.

Esa. 40.

19. *Benedicta tu inter mulieres.*

Ad omnes mulieres pertinet maledictio primæ parentis Euæ: sola Maria fuit exempta & loco maledictionis fuit præuenta in benedictionibus dulcedinis. Benedicta fuit in conceptione, quia concepta fuit sine peccato: benedicta in natiuitate, quia plena gratiâ nata est: benedicta in vita, quia nunquam, ne venialiter quidem peccauit: benedicta in conceptione filij, quia concepit eum ex opere Spiritus S. obumbrante illam virtute Altissimi: benedicta in partu, quia sine dolore & virginitatis dispendio peperit: benedicta in morte, quia

quia corpus illius corruptionem non sensit, sed resuscitatum in cœlos cum ingenti gloria ascendit, vbi super omnes choros Angelorum exaltatum est. Ex omnibus his considera, an non iustam causam Elizabeth habuerit, voce magnâ exclamandi: Benedicta tu inter mulieres? Verè benedicta, per quam nos omnes benedicimur.

20. *Et benedictus fructus ventris tui.*

Benedictus super omnem benedictionem: per quam Maria & omnes gentes benedictæ fuerunt. *In semine tuo*, ait Deus ad Abraham, *benedicentur omnes gentes.* quod S. Paulus Apostolus declarans, ait: *Non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed, quasi in vno, & semini tuo qui est Christus.* Gal. 3. Fructus arboris scientiæ boni & mali, attulit nobis maledictionem, quia primi parentes nostri ex ea, contra diuinum præceptum, manducauerant. Sed fructus benedictus vteri Mariæ, longè maioris virtutis & excellentiæ, quàm fructus arboris vitæ, abstulit à nobis maledictionem, mortemq; nostram perimens, vitam æternam nobis largitus est. Benedictus sit hic fructus, & benedicta arbor ex qua collectus fuit.

21. *Vnde hoc mihi vt veniat Mater Domini mei ad me.*

Hæc est vox iustorum qui se omnibus rebus indignos putant, nec meritis suis quicquam attribuunt. *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos*, ait S. Paulus, *sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit.* Tit. 3.

Cen-

Centurio indignum se esse confitetur, sub cuius tectum Christus ingrediatur. S. Petrus indignum se æstimans qui cum Christo cõuersaretur, ait: *Exi à me Domine, quia homo peccator ego sum.* Maria venit ad Elizabethã; & Christus venit ad nos in sanctissimo altaris Sacramento. CONSIDERA igitur, quanta cum humilitate & nostræ vilitatis atque indignitatis agnitione à nobis suscipi debeat. Vnde nobis tantum bonum, vt Rex cœlorum ad nos peccatores, viles, immundos, & multis peccatorum maculis contaminatos veniat?

Matt. 8. Luc. 5.

22. Responde his verbis; *vnde mihi hoc?* Hæc sunt dona à Deo profecta. Quando comedis dic Vnde mihi hoc? vt Deus creaturis suis me nutriat, cùm promeruerim vt illæ insurgerent contra me? Quando consolationem aliquam à Deo accipis, dic statim: Vnde mihi hoc? vt mei recordetur Deus, cùm ego ipsius oblitus sim? Si te diligunt & benignè tractant homines, dic: Vnde mihi hoc? vt homines mihi benè velint, meque lautè tractent, cùm ego infernum millies commeruerim? Si te malè tractant, dic similiter, Vnde mihi hoc? vt Deus præbeat mihi calicem suum epotandum, meq; vestimentis suis vestiat, & signo suo consignet? vt hac ratione indignum te æstimans donis Dei, per humilitatem, maiorũ donorum capax reddaris. *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.*

23. Et

23. *Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino.* CONSIDERA, Mariam sanctissimam non dubitasse, sed credidisse omnia quæ Angelus dixerat: discretè tamen & prudenter, quemadmodum decebat virginem prudentissimam. Placet valdè Domino, quòd creatura subijciat ipsi intellectum suum, in rebus naturalem intelligentiam excedentibus, & rationi impugnantibus. Credidit Abraham Deo qui promiserat ei, quòd multiplicaturus esset semen ipsius sicut stellas cœli, & fuit ei, vt sacræ literæ testantur, reputatum ad iustitiam. In hoc enim demonstrauit iustitiam suam, quòd se tam facilè Deo subiecerit & verbis illius, quamuis contra omnem rationem esse viderentur, eò quòd ipse cum vxore sua consenuisset, nec vllam ex ea prolem sustulisset, fidem adhibuerit. Crede anima mea Deo, & secura esto de promissionibus eius, quia *fidelis est in omnibus verbis suis.*

24. *Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo.*

CONSIDERA, quàm benè instructa fuerit Beata Virgo Maria, in omnibus ad Deum referendis. Magnificat ipsam S. Elizabeth, & benedictam inter mulieres altâ voce pronunciat; ipsa verò magnificat Deum, quasi diceret: Si aliquid est in me, quod me magnam constituat, donum est Dei mei, illiusque magnificentiæ est, quòd

quod creaturam, à seipsa humilem & exiguam, extollat. Et ideo *magnificat anima mea Dominum. Magnus Dominus & laudabilis nimis: & magnitudinis eius non est finis.* Quantumuis ipsum magnificemus, maior tamen est, & tamen affectum hunc à creatura sua gratanter suscipit, vt, quantum potest, magnitudinem ipsius prædicare ac celebrare conetur. Vtinam Domine præditi essemus intellectu & amore Seraphinorum, vt magnificentiam tuam dignè laudare valeremus.

25. Magnificat anima Dominum, quando gratiâ ipsius adiuta, magna in Diuino seruitio operatur. Hac enim ratione magnificarunt Dominum sancti Martyres, qui vitam & sanguinem suum pro eo effuderunt: & sancti Confessores, qui in seruitio ipsius ita profecerunt, vt mundum contempserint & appetitionibus carnis bellum indixerint, in summa paupertate vitam exegerint, & pro salute animarum suarum infa-
Matt. 5. tigabiliter laborauerint. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Pudore suffundere, considerando quomodo hactenus dixeris, videlicet offendendo Deum & transigendo sanctissimam legem ipsius; ideoque non modo non magnificasti eum tuis bonis operibus, sed etiam minorem reddidisti: & quantum in te est, occasionem præbuisti, vt sanctum ipsius nomen blasphemaretur: quia profitens te esse Christianum, vixisti vt Ethnicus,

chus, sine Deo.

26. Exultauit spiritus Mariæ in Deo salutari suo; non in proprijs laudibus, quas commemorari, tanquam verè humilis molestissimè ferebat; nec in re aliqua caduca huius mundi; hæc enim omnia pedibus suis subiecerat & conculcauerat; sed tantum in Deo qui erat salus & gloria ipsius *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. Exultabimus & lætabimur in te,* ait sponsa ad sponsum, *memores vberum tuorum super vinum.* Fœlix anima, quę non lætatur in vlla re fluxa præsentis vitæ, sed tantùm in Deo suo. *Psal. 72.* *Cant. 1.*

27. *Lætantur cùm malè fecerint & exultant in rebus pessimis.* In quo exultas peccator infœlix, num in eo quòd ea quæ concupiueras, obtinueris? Num in eo quòd vt satisfaceres appetitionibus sensualitatis tuæ, Deum offenderis? O te stultum & amentem! non vides in hoc te perimere animam tuam? *stipendia* enim *peccati*, vt ait Apostolus, *mors.* Quæ igitur dementia est, quòd ex morte tua voluptatem capias. *Prou. 2.*

28. Exultat spiritus Mariæ in Deo salutari suo. Salus & Saluator totius mundi est Christus Redemptor noster verus Deus & homo. Sed vocat illum Maria salutare suum, quia filius suus erat, illumque in visceribus suis clausum gestabat: & quia multo sublimius in ipsa diuitias suas, quam in vlla alia pura creatura manifestauit;

dum eam ab omni peccato præseruauit, & in gratia ita confirmauit, vt nunquam peccatum aliquod admiserit! O summum saluatorem! O salutem ineffabilem! Venite omnes gentes & consolemur in Domino: Cantemus cantica laudis & iubilationis Deo saluatori nostro, cui sit gloria per sæcula sæculorum, Amen.

IN FESTO S. MARIAE MAGDALENAE.



Rogabat IESVM quidam de Pharisæis, vt manducaret cum illo, & ingressus domum Pharisæi, discubuit.

Ex eo quòd Pharisæus hic Christum reprehenderit, quòd à muliere peccatrice se tangi permitteret, manifestum est conuiuium hoc fuisse alicuius Pharisæi, qui occasionem quæreret calumniandi Christum. O quàm detestabilis res est malitia & inuidia, quæ oculos ad malum semper intentos habet, & in ipsa luce quærit tenebras, in ipsa bo-
Psal. 51. nitate quærit quod calumnietur. *Dilexisti malitiam super benignitatem*, ait Propheta,
Eccl. 1. *iniquitatem magis quàm loqui æquitatem.*

Dile-

Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa. Cor superborum, ait Sapiens, *sicut prospector videns casum proximi sui; bona enim in mala conuertens insidiatur, & in electis imponet maculam.*

2. O quàm malè conueniunt, foris amorem ostendere, & intus cor inuidiæ veneno infectum habere. *In ore suo*, ait Propheta Ieremias, *pacem cum amico suo loquitur; sed occultè ponit ei insidias. Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut in gente huiusmodi non vlciscetur anima mea? Deponentes*, ait S. Petrus, *omnem malitiam & omnem dolum & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones sicut modò geniti infantes, rationabile, & sine dolo lac* Euangelicæ doctrinæ, quæ charitatem & veritatem & synceritatem sine omni fraude cum omnibus conseruandum esse docet, *concupiscite, vt in eo* virtute *crescatis in salutem.*

Iere. 9.

1. Petr. 2.

3. Inuita tu Christum, non tanquam Pharisæus, sed tanquam discipulus humilis, vt aliquid discas ab eo. *Veniat dilectus meus*, inquit sponsa, *in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum.* Ipsius est hortus & ipsius sunt fructus, & tamen ad ipsos inuitari vult. *Præcoquas ficus*, ait Deus, *desiderauit anima mea.* Beatus qui offert Deo primitias vitæ suæ, & portat iugum Domini ab adolescentia sua.

Cant. 4.

Mich. 7.

4. Pudore suffundere, quoniam pro eo, quod Christum inuitare debueras, illum dimisisti & foras è domo tua expulisti, inui-

tans è contrario Diabolum, cui conuiuium exhibuisti, malis cogitationibus, peruersis desiderijs, & sceleritatis operibus tuis, qui consumpsit omne bonum quod
Osee 7. erat in anima tua. *Comederunt*, inquit Propheta Oseas, *alieni robur Ephraim, & ipse nesciuit.*

5. Innitant Christum, qui cibum præbent
Matt. 25. pauperibus. *Esuriui*, dicet Christus in die nouissimo, quando rationem ab hominibus repetiturus venerit, *& dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: quamdiu enim fecistis vni de his fratribus meis, mihi fecistis.*

6. Gratam habuit Christus inuitationem Pharisæi, vt curaret illum ab infirmitate sua, si se curari pateretur. CONSIDERA benignitatem & mansuetudinem Christi, qui cum perspecta haberet intima se inuitantis, paruit nihilominus inuitanti: & quod Pharisæus ad calumniandum ipsum
Eccl. 2. ordinabat, ad bonum ipsius retulit. *Benignus & misericors est Deus*, ait Propheta Ioel, *patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.* Disce non reddere malum pro malo, sed potius illorum qui tibi malè volunt, salutem desiderare.

7. *Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod Iesus accubuit in domo pharisæi: attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes eius lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.*

Sub-

Subminiſtrauit animum huic mulieri, quòd videret ipſum non renuiſſe in domo Phariſæi cibum ſumere, *curremus in odorem vnguentorum tuorum*. Noli timere peccator accedere ad Chriſtum, quantumuis abominabilis tibi eſſe videaris, propter immunditiam peccatorum tuorum: inuitet te immenſa bonitas, miſericordia, & benignitas ipſius, quâ omnes amplectitur, & neminem à ſe repellit.

8. Tanquam rem valde notabilem proponit nobis Euangeliſta conuerſionem huius mulieris peccatricis. Mirabile namque opus eſt conuerſio peccatoris; per quam ille, qui diaboli ſeruus & captiuus erat, vinculiſque illius conſtrictus tenebatur, catenas illius diſrumpit, & è manibus ipſius elabitur, atque ad beatam ſortem filiorum Dei tranſit: quâ ille, qui mortuus erat in anima, ad vitam gratiæ reſurgit. Opus Altiſſimi eſt hoc, quod omnes naturæ vires excedit.

9. Mulier erat hæc: vt nemo impoſſibilem putet ſuam conuerſionem, cùm etiam fœminas fragiles, Deo adiuuante, laqueos dæmonis euadere, & vincula ipſius perrumpere videat. *Mulier*, inquit, *quæ erat in ciuitate peccatrix*, quæ non tantum timorem Dei, ſed etiam verecundiam apud homines perdiderat. *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi: noluiſti erubeſcere*. Difficilis eſt conuerſio talium, non tamen impoſſibilis, vti ex *Iere. 3.*

hoc exemplo cernitur. Sed diligenter considera quos passus fecerit hæc peccatrix, quam Christus ad se traxit.

10. *Attulit alabastrum vnguenti.*

Ita fœtebant ei peccata sua, postquam Christus ei oculos, ad considerandam eorum immunditiam, aperuisset, vt existimaret neminem eorum fœtorem tolerare posse; ideoque secum fert vas vnguenti fragrantissimi. Mirabile & valdè odoriferum vnguentum est contritio, detestatio, & horror peccatorum. Sacrificium suauissimi odoris est Deo spiritus contribulatus & mœstus, propterea quod illum offenderit. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*, ait Propheta Dauid.

Psal. 50.

11. Suauissimum & pretiosissimum vnguentum ad peccatorum nostrorum medelam, est sanguis Christi: nec quicquam est, quo magis fœtor scelerum nostrorum temperetur, quàm odore pretiosissimi huius vnguenti. *Lauit nos Christus*, ait Ioannes, *à peccatis nostris in sanguine suo.* Offer igitur Deo Patri sanguinem vnigeniti filij sui, effusum pro te, cum vera gratiarum actione, quæ huic beneficio debetur; & noli timere quod ex fœtore peccatorum tuorum fastidium aliquod concepturus sit.

Apoc. 1.

13. *Et stans retro secus pedes eius.* Quia ex peccatis suis pudore suffusa, ante faciem illius se præsentare non audebat. *Operuit confusio faciem meam*, ait Propheta. Illa quæ prius in peccatis suis gloriata fuerat & sine pudore eadem commiserat, nunc verecun-

Psal. 68.

recundia plena est. *Quem fructum*, ait. S. Pau lus, *habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Fœlix confusio, quæ ab æterna confusione liberat. Rom. 6.

13. Collocat se ad pedes Christi, tanquam quæ ipsi omnino subiecta esset. *Inimici eius*, ait propheta Dauid, *terram lingent*. Illa quæ prius erat inimica, & Deo peccatis suis bellum mouebat, nunc ad pedes illius se prosternit, quasi diceret: Ecce Domine tibi me subijcio, fac de me, quid volueris: non resistam deinceps voluntati tuæ: sed eam in omnibus adimplere parata sum. Ecce Domine pedibus tuis me substerno: conculca & fac de me quod animo tuo collibitum fuerit, nihil reluctabor. Hactenus extra semitas tuas ambulaui: deinceps verò Domine, pedibus tuis adhærebo, & vestigia tua sequar. Psal. 71.

14. *Lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Quam benè conueniunt lachrymæ peccatori: *Lauabo*, inquit Dauid pœnitens, *per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Irrigamus pedes Christi lachrymis, quando eam ob causam quòd ipsum offenderimus, quòd vestigijs illius non inhæserimus, quòd viam mandatorum eius deseruerimus, lachrymas fundimus. Plora igitur, non tam propter confusionem, & iacturam plurimorum bonorum, quam peccando incurristi: quàm quòd Deum, quem diligere, & cuius mandatis obtemperare debueras, offenderis: & irrogabis lachrymis pedes Christi.

15. *Et capillis capitis sui tergebat.* Quibus antea vanitati seruierat, ea nunc in peccatorum suorum satisfactionem, ad Christi obsequium confert. CONSIDERA quanto melius fuerint hi capilli nunc ad Christi pedes tergendos impensi, quàm antè, cùm essent rete Diaboli, ad animas illaqueandas. O fœlices capillos, qui sanctissimos Christi pedes absterserant. Illi tergebant pedes Christi, & Christus Magdalenam ab animæ maculis emundabat.

16. *Et osculabatur pedes eius.* Os illud, quo antea vana & impura verba protulerat, modò in Christi pedibus osculandis impendit: quorum attactu sanctificatur. Coniungit summum quod habebat, cum infimo Christi, vt sic perfectissimè se coram illo humiliaret. Prosterne te ad Christi pedes, & noli superbia contra Deum efferri, ne in profundum inferni te præcipitet.

17. *Et vnguento vngebat.* Vnguentum quo antea corpus ad Dei offensam inungere solebat, nunc supra Christi pedes effundit, & tanquam verè pœnitens omnibus delitijs carnis renunciat: quasi diceret: Deinceps carnem meam non molliter, & indulgenter tractabo: sed duris pœnitentiæ operibus eam affligam, quia instrumentum mihi fuit ad creatorem meum offendendum. Gal. 5. *Qui Christi sunt, carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifixerunt.* Valdè malè succedit pœnitentia & emendatio vitæ, si homo carnem suam lautè ac molliter tractet, delicatè comedendo, bibendo,

bendo, & vnguentis se vngendo.

18. Qui se alterius potestati tradit, omnia arma sua ad pedes illius deponit. Et Magdalena, tanquam, quæ se totam Deo traderet, ponit ad pedes illius vnguenta, hoc est, arma, quibus antea eum oppugnauerat. *Non regnet*, ait S. Paulus Apostolus, *peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius: sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes: & membra vestra arma iustitiæ Deo.* Rom. 6.

19. Vngit pedes Christi: qui doloribus eius, quos in passione sua pro nostri amore sustinuit, compatitur. *Fasciculus myrrhæ*, ait sponsa, *dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Tota vita Christi fuit, quidam fasciculus myrrhę, hoc est, amarissimorum dolorum: quem animæ sanctæ in sinubus, & cordibus suis, per continuam meditationem ferunt: cumque ex commiseratione lachrymas fundunt, vnguēto odorifero, Christi pedes perūgunt. Cant. 1.

20. Vngimus pedes Christi, quando ærumnis & necessitatibus pauperum condolemus, illisque quoad possumus, succurrere nitimur: omnia pro Christi amore liberaliter eis administrando.

Qui habuerit, ait S. Ioannes, *substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Væ illis, annūciat Amos Propheta, qui *bibentes vinū* 1. Ioan. Amos. 6.

in phialis & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph.

21. *Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est.*

Lauda anima mea Deum, qui tibi talem medicum contulit qui non horreret putrida & fœtentia vulnera tua: si enim similis esses huic Pharisæo, de sanitate adipiscenda desperare posses. Cur non permitteret se tangi à muliere peccatrice, qui venerat vt vitam & sanguinem pro illa expenderet? Qui venerat vt ouem perditam requireret, vulnera illius proprijs manibus obligaret, & humeris suis eam ad ouile referret? cur repelleret illam à se, quam ad pedes suos prostratam esse conspiciebat, quamuis innumeris vulneribus sauciata esset? Noli timere peccator ad hunc medicum accedere quantumlibet multis vulneribus plenus fueris: vulneratos enim quærit, & vt illis sanitatem restitueret in mundum venit. Non te ad desperationem adducat peccatorum tuorum multitudo, & fœlicitas: talibus enim peccatoribus bonitatis & misericordiæ suæ diuitias ostendit. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Hos vocat, ab his se tangi patitur, vt ex contractu suo sanctificentur.

22. Si Pharisæus hic semetipsum considerasset, peccatricem hanc mulierem non

spre-

spreuisset. Hæc enim licet peccatrix, talem se esse agnoscebat, & scelera sua deflens, veniebat vt earum à Christo veniam obtineret, animæque suæ sanitatem reciperet cùm è contrario Pharisæus superbia tumidus, licet peccator esset, iustum tamen se putaret: falsaque iustitia sua contentus infirmitatem suam incurabilem redderet. *Væ vobis*, inquit Christus, *Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis: quæ à foris parent hominibus speciosa: intus verò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia.* Caue ne aliquem, quālibet sceleratus tibi esse videatur, contemnas: sed tua peccata incessanter præ oculis habe, & propter illa humilia te in conspectu Dei. Caue etiam ne de altero malè loquaris: cùm scias te peccatorem esse, & an peccata tibi dimissa sint ignores.

23. Vera charitas compassionem habet, non indignationem: falsa verò, facilè peccatoribus indignatur. Si frater tuus in peccatum aliquod lapsus est, compatere illi, ora Deum pro illo: adiuua illum vt surgat, noli eum spernere, noli confundere, noli peccatum admissum improperare, ne deterior fiat & desperet. CONSIDERA quomodo tu, si in peccatum aliquod incideres, tractari velles, & eodem planè modo tracta proximum tuum. *Fratres*, ait S. Paulus, *& si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans* Gal. 6.

teipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi: qui præcipit vt nos inuicem diligamus. *Nam si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* Ita & Pharisęus hic seductus fuit, qui se aliquid esse putabat, & peccatricem præ se contemnebat.

24. *Et respondens Iesus dixit ad Pharisæũ: Simon habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon, dixit: Æstimo, quia is cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquã pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intrauit, nõ cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meũ non vnxisti: hæc autẽ vnguento vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multũ. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* His verbis Christus innuere voluit, Pharisęum hunc, qui se iustum, nec tot debitis, quot Mariam Magdalenam obstrictũ esse reputabat, non existimasse Christo se plurimum obligari, nec illum ex animo dilexisse: ideoque ipsum sine vllis beneuolentiæ signis excepisse: cùm è contrario Maria Magdalena se peccatricem esse, Christoque, à

quo

quo peccatorum suorum veniam sperabat, obligatissimam esse agnosceret: ideóque feruenter illum diligeret, cuius amoris in officijs quæ Christo exhibuit, manifesta dedit indicia: propter quem etiam à Christo omnium scelerum suorum remissionem meruit obtinere. Agnosce anima mea, quantum obligata sis Redemptori tuo, & ardentissimo amore dilige illum, & in obsequijs ipsius liberalis esto. Quid est, Domine, omnium rerum creatarum, quod non expendere debeam pro te: cùm tu vitam & sanguinem tuum effuderis pro me? Quis mihi det, vt & ego moriar pro te Redemptor animæ meæ?

25. Debitores cùm non haberent vnde redderent, à creditore totius debiti sui remissionem acceperunt. Qua ratione poterit peccator offensam, quâ Dei debitor factus est, persoluere: cùm Deus offensus, infinitæ sit maiestatis, & ex consequenti, offensa etiam infinita: & debitum, quod per illam incurrit, infinitum? *Gratis*, inquit sanctus Paulus Apostolus, *iustificati sumus per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. Gratis*, ait, quia sine omni merito nostro, quamuis non sine dispositione. Quicquid enim agere potest homo, non sufficit ad promerendum ipsius iustificationem: sed gratia Dei quã Iesus Christus Redemptor noster nobis lucrifecit, nos iustificat: quæ non esset gratia, si pro nostris meritis conferretur. Quis igitur hunc creditorem non diligat, qui

non modò dimittit nobis debitum quod soluere non poteramus, sed etiam vt pro nobis illud soluat, sanguinem suum profundit?

Iere. 3. 26. Pudore suffundere, quòd videas te in amore summi huius benefactoris tepidum & negligentem: quia lachrymis pedes eius non abluis, nec oscularis eos osculis gratiarum actionis, quod pro te clauis cruci affixi fuerint: nec vnguento compassionis, propter illa videlicet, quæ tui caussa passi sunt, iungis.

27. *Dixit autem Christus ad Magdalenam: Remittuntur tibi peccata.* O verbum dulce! O nuncium fœlicissimum! Fac Domine vt vocem hanc ex ore tuo audiam. Teneant reges regna sua, cæterique Domini mundi, dominia sua: mihi tantum da hoc, vt audiam ex ore tuo, dimissa mihi esse peccata mea; hoc enim vno locupletior ero; quàm si totius mundi dominus essem. O fœlicem Magdalenam quæ tale verbum audire meruit!

28. *Et cœperunt, qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Non turbat hoc Magdalenam, cui Spiritus S. oculos aperuerat, vt agnosceret hunc esse *Agnum Dei, qui tollit peccata mundi.* CONSIDERA quantæ offerant se illi contrarietates. Pharisæus putat Christum pati non debere vt ab illa tangatur, quia peccatrix sit: cæteri fiduciam quam in Christo habebat, illi eripere conantur, in dubium vocando num peccata

dimit-

dimittere possit: vt hinc intelligas: si Deo seruire cupis, necessarium esse, vt ad tentationes quæ tibi plurimæ occurrent, te præpares. *Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me: multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo eius. Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea & exaltans caput meum.* Psal. 3.

29. *Dixit autem Christus ad mulierem: Fides tua te saluam fecit. Vade in pace.* Firma & immobilis permansit in fide: & confidentiam suam in Iesu Christo Saluatore suo constanter retinuit: atque hac fide, caritate ac operibus tam insignibus sociatâ animæ suæ salutem obtinuit: non quòd illam meruerit, quia Christus iam dixerat creditorem debitoribus suis debitum condonasse, eò quòd non haberent vnde redderent: sed quia per illa se disposuit ad consequendam gratiam, quam nisi à Deo adiuta fuisset, obtinere non potuisset. Habe fidem in Deo: non sit autem fides tua mortua, sed viua per charitatem, quæ te faciet operari magna si vera est, non etiam otiosa manere potest, & salutem consequeris. 4. Re. 1.

30. *Vade in pace.* CONSIDERA, qualis Magdalena venerit, & qualis reuersa fuerit. Venerat mortua, recessit viua. venerat ancilla diaboli, recessit filia Dei: venerat peccatrix, recessit iustificata & sanctificata: venerat inimica Dei, recessit sponsa Christi. *Tu fornicata es cum amatoribus multis,* Prou. 14.
tamen

tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te. Reuersa est Magdalena ad illum: & ipse suscepit eam, & margaritis, ac vestibus multicoloribus, quas ei largitus est, adornauit eam. Illa quæ primò bellum mouebat Deo, & iustè formidare poterat, quod creaturæ omnes in ipsum insurrecturæ essent, nunc redit cum illo in pacem, & omnem formidinem deponit, cùm Deum protectorem & Saluatorem

Phil. 4. habeat. CONSIDERA qualis sit hæc pax, *quæ exuperat omnem sensum:* pax, quæ animam peccatis, quę inter nos & Deum diuisionem faciunt, mortuam reddit: pax, quæ animam à potestate diaboli eripit, atque à vinculis, quibus ab illo constricta tenebatur, absoluit. pax, quæ animam in gratia & amicitia Dei constituit, Deumque defensorem habet. Hic est pœnitentiæ fructus. Fœlices lachrymæ, quæ talē adferunt serenitatem. Fœlices capilli, non similes

2. Re. 18. capillis Absalonis quibus cùm in quercu suspensus mansisset, à Ioab lancea confossus

Cant. 4. fuit: sed similes capillis sponsę, quæ vulnerant cor sponsi, faciuntque vt obliuiscatur adulteriorum à sponsa admissorum, & cum ipsa reconcilietur. Fœlicia oscula quę placant iram Dei. Fœlix vnguentum, quo ira diuina mitigatur, & minæ in blanditias, atque inimicitiæ in pulchritudinem pacis conuertuntur

IN FESTO S. IACOBI APOSTOLI.



Ccessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.

Sermonem habuerat iam antè Christus de passione ac morte sua: & sub finem sermonis adiūxerat se post crucifixionem suā tertiâ die resurrecturū. Ex hisce verbis occasionem capientes, dum putant eum post resurrectionem suam temporaliter regnaturum, mater & filij exarserunt ad honoratissimi in regno Christi loci obtinendi cupiditatem. Attende hinc conditionem carnis nostræ, quæ crucem execratur, & honores ac requiem cupidissimè appetit. Non desiderabant cum Christo flagris cædi, aut probris & ludibrijs onerari, aut cum ipso cruci suffigi, sed gloriæ tantùm & triumphi socij esse, cæterisque anteferri cupiebant, nullâ habitâ considerætione, num alijs meritis præstarent. Agnosce hinc vim inordinatarum cupiditatum naturæ nostræ corruptæ, quam iam inde-

inde à primo parente, qui Deo similis esse concupierat, profectam, in temetipso circumfers. Itaque operam da, vt eam reprimas, & rationis fræno modereris, ne te in profundum malorum aliquando præcipitem agat.

2. Expende, cuiusmodi sint desideria parentum carnalium: videlicet vt filios suos honoratos, & diuitijs ac dignitatibus inclytos in hoc mundo conspiciant: qui verò solliciti sint, quid eis in futura vita euenturum sit, paucissimi sint; ij nimirum, qui omnem affectum carnalem exuentes, spiritualem erga filios effectum induunt, in illis animarum magis salutem, quàm corporis prosperitatem diligentes. Qualis erat S. Tobias, qui suâ paupertate contentus, aiebat filio: *Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.*

3. Animaduerte carnis astutias: quomodo se demittat, vt nequiter humiliet, vt id quod cupit, assequatur. Adorat mater filiorum Zebedæi Christum, vt voluntatem eius permoueret, citiusque ab eo, quod vellet, impetraret: foris humilitatem ostendebat, & è contrario dignitatem & altitudinem postulabat. Noli credere tuæ sensualitati, nec ei in quoquam fidem habere: fingit necessitatem vbi nulla est, falsam præ se fert humilitatem, & id quod maximè appetit, se minimè facere mentitur.

titur. Sed humiliare ex intimo cordis coram Deo, & dic ei: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: Neque ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus super me.* Psal. 130

4. Attende quàm longè alij fuerint SS. Apostoli post aduentum Spiritus sancti, quàm antè fuerunt: quandoquidem antea magni & honorati esse in mundo cupiebant: postmodum verò de sui contemptu gloriabantur, & omnes mundi dignitates pro nihilo ducebant. Desidera hunc eundem Spiritum tibi à Deo dari, vt omne desiderium carnale & inordinatum in te occidat, & in anima tua, noua rerum cœlestium desideria excitet, amoremque Crucis Christi, quem omnes, quotquot veri eius discipuli sunt, imitari debent, pectori tuo inserat.

5. *Nescitis quid petatis*, respondit Iesus. Hæc sententia, ęterna Dei Patris sapientia, omnem mundi ambitionem condemnauit. Idque quod mundus summę sapientiæ loco habet, videlicet in curandis officijs & dignitatibus industrium esse, maximam stultitiam esse docuit. Verùm tantæ potentiæ est hic affectus, vt quamuis à Christo apertissimè & clarissimè id dictum fuerit, nihilominus naturæ humanæ vitiatæ cupiditas præualeat: eamque plurimi sequantur, perpauci verò ita de mundi honoribus vt Christus ipse, sentiant. Itaque suppliciter eum roga, vt verâ luce cor tuum illustret, quâ illustratus, omnes mundi honores contem-

nere

nere valeas.

6. Si petere à Christo locum honoris est non intelligere quid petamus: quid erit, eundem locum illicitis medijs, & nonunquam cum manifesto periculo salutis animæ nostræ, ambire.

7. Nesciebant quid peterent, quia priusquam laborassent, quiescere cogitabant. Tempus enim præsens, tempus est ambulandi, currendi, & laborandi, non quiescendi. *Bonum certamen*, ait S. Paulus, *certaui, cursum consummaui, fidem seruaui; in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quā reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Si ergo non certasti nec cucurristi, quomodo requiem speras?

2. Tim. 2.

8. *Potestis*, ait Christus, *bibere calicem, quem ego bibiturus sum.*

Retrahit bonus magister discipulos suos à desiderio honorum temporalium, & inuitat illos ad calicem suum, vtpote qui nosset, securius nobis esse in hac vita pati & contemni, quàm esse in delitijs & magni fieri. In persecutionibus Dauid conseruat innocentiam, & inimicum suum quem in potestate sua habebat, liberum dimittit: in prosperitate verò alienam vxorem rapit, & Vriam fidelem interficit. In persecutionibus enim anima humiliatur; compungitur, exulem se agnoscit, ad cœlestem patriam suspirat, appetitus carnis profligat, seipsam agnoscit & mundi tædio affecta, ad Deum accedit.

1. Reg. 24. & 26. 2. Re. 11.

9. *Potestis*, inquit, *bibere calicem?*

Omnia

Omnia quæ in hac vita tolerantur, ita se habent sicut si quis potionem aliquam amaram ebibat, cuius amaritudo statim transit. Hinc S. Paulus momentaneas & leues vocat præsentes vitæ tribulationes. 2. Cor. 4.
Claude igitur oculos, & ebibe hanc potionem, quamuis enim amarissima sit, animæ tuæ nihilominus salutem confert.

10. Calix Babyloniæ forinsecus est deauratus, intrinsecus verò veneno refertus: Calix verò Christi foris asper, intus verò suauitate, & liquore vitam conferente, plenus est. *Calix meus*, inquit Propheta Dauid, *inebrians quàm præclarus est!* Inebriat enim ebrietate, plenâ sobrietatis. Ebrij videbantur esse martyres, cùm currerent ad mortem, sed summa erat sapientia, vitam mortalem cum immortali commutare.

11. Suum vocat hunc calicem, vt eos efficaciùs inuitaret. Quomodò enim non biberent discipuli calicem, quem biberat Magister, & serui calicem quem bibit Dominus! Pudendum est quod sub sacratissimo capite spinis coronato, membra velint esse delicata. Præcepit Rex Dauid Vriæ venienti de prælio, vt iret in domum suam & cum vxore sua requiesceret. Cui Vrias respondit: *Arca Dei, & Israel & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & serui domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domũ meã, vt comedam & bibã & dormiã cum vxore mea? per salutem tuam & per salutem animæ meæ, non* 2. Re. 1[1]

faciam

faciam rem hanc. Pudore igitur suffundere, quod delitias quæras, cùm Christus acerba tormenta pro te sustinuerit.

12. CONSIDERA quàm longè diuersus fuerit calix Christi ab illo quem nobis bibendum præbet. Ipse bibit calicum purum nullâ consolatione permixtum, quia Pater dereliquit eum in tormentis, sed suis dat calicem multis & magnis consolationibus mixtum: astans illis qui pro se patiuntur, eorumq; dolores & tormenta imminuens.

Act. 7 Vidit Protomartyr Stephanus, cùm à Iudæis lapidaretur, Iesum stantem à dextris Dei stantem vidit, quia pro pugile suo decertabat, eique in passione vires subministrabat.

13. Christus neminem decipit, vocat omnes ad ferendam crucem & ebibendum calicem suum. Non facit quemadmodum mundus, qui requiem promittit & dat labores: qui ad honores inuitat & dat ignominiam: qui denique, tanquam altera Iaeli *Iud.* 4. dat Sisaræ potum lactis, & clauum per tempora eius transadigit: & ideo tam paucos habet Christus sectatores: quia amaritudinem calicis sui non abscondit. Sed regnum cœlorum non acquiritur sine laboribus, non enim delicati, sed violenti rapiunt illud.

14. *Respondent ei discipuli: Possumus:* putantes se hac ratione adepturos quod desiderabant. Ignorabant quid dicerent, sed ex desiderio, quo petitionis suæ compotes fieri cupiebant, ad omnia se offerunt.

15. Offi-

15. Officiorum & dignitatum onera tam grauia sunt, vt etiam Angelorum humeris formidabilia futura sint si eis imponerentur. Et tamen homines miseri, peccatis operti, qui nihil aliud didicerunt, quàm genio suo indulgere, & propriam voluntatem perficere: quique animarum propriarum curam nunquam habuerunt, oculos claudunt: & vt honorem quos ambiunt adipiscantur, dicunt se illis posse satisfacere, nescientes quid animarum cura postulet: sicque semetipsos cum gregibus sibi commissis in infernum spontè præcipitant.

16. Non sufficiunt vires naturæ ad ebibendum calicem Domini. *Omnis sufficientia nostra ex Deo est*, ait Apostolus. *Calicem salutaris accipiam*, ait Propheta, *& nomen Domini inuocabo*: vt nimirum fortitudinem mihi præbeat ad illum ebibendum. Noli ergo dete inaniter præsumere. CONSIDERA fragilitatem tuam & inuoca Deum in tentationibus, vt te adiuuet, ne offendas aut eis succumbas. 1. Cor. 3. Psal. 115

17. *Possumus*, aiunt.

Noli esse pusillanimis, bono animo esto, & confidens in Deo, aduersitatibus & tentationibus non dorsum, sed faciem præbe. Quemadmodum nomen Deus non vult te vanè præsumere, aut confidere in temetipso, ita non vult te nimis angusto & imbecillo animo esse, sed dicere cum S. Paulo: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Phil. 4.

18. *Possumus*, dicunt duo fratres.

Multum

Multum possunt fratres, simul per ve-
Prou. 18. ram charitatem coniuncti. *Frater qui ad-
iuuatur à fratre, quasi ciuitas firma*, ait
Sapiens. Conserua igitur charitatem &
amorem fraternum, vt habeas cum quo con-
silium capias, qui te moneat, excitet, &
adiuuet sermonibus & orationibus. hac e-
nim ratione plurimum poteris.

19. Quàm sæpè Deo idem quod hi fratres
respondisti, & in medio conatuũ tuorũ de-
Psal. 78. fecisti? *Filij Ephrem intendentes & mittentes
arcum*: & quasi demonstrantes, quòd ma-
gnam inimicorum suorum stragem facturi
essent: *conuersi sunt*, in terga verterunt *in
Psal. 43. die belli. Non*, ait Propheta, *in arcu meo spe-
rabo, & gladius meus non saluabit me.* Tu
confidis in gladio, in arcu, in sapientia, &
in viribus tuis, & ideo cecidisti.

20. *Calicem quidem meum*, ait Christus,
*bibetis, sedere autem ad dexteram meam &
sinistram, non est meum dare vobis, sed qui-
bus paratum est à Patre meo.* Concedit illis
magna cum liberalitate, quòd bibituri es-
sent calicem suum: quamuis non dicat
quòd possint bibere quemadmodum ipsi di-
xerant, sed quòd bibituri essent: quia noue-
rat fragilitatem & imperfectionem in qua
tunc erant, & ad fortitudinem illam, quam
à Spiritu S. accepturi erant, respiciens
dicebat quòd bibituri essent, hoc est, quòd
martyrium subituri essent pro se. Tan-
tum enim bonum est, pati pro Christo, vt
tanquam singulare priuilegium concedat
Roma. 5. illud discipulis suis. *Nos*, inquit S. Paulus,
glo-

gloriamur in persecutionibus. Roga Dominum, vt te faciat agnoscere diuitias crucis suæ, vt pro illo pati, & calicem eius bibere desideres. Rom. 5.

21. Erige oculos mentis ad patriam cœlestem, & vide quanto nunc gaudio repleãtur hi duo discipuli, & omnes alij qui pro Christo passi sunt, quòd calicem ipsius ebiberint, quantasque nunc Deo gratias persoluant, quòd participes eos fecerit calicis sui. vident enim quantum mereatur summus Rex gloriæ, pro quo aliquid pertulisse valdè gloriosum est. O quàm admirandam dulcedinem adfert eis paruum illud amaritudinis, quod in præsenti vita gustatur. *Inebriabuntur* enim *ab vbertate domus tuæ Domine, & torrēte voluptatis potabis eos*. in hac vita calicem bibunt perexiguam continentem potiunculam : cui respondet in altera vita torrens voluptatis, qui numquam finem habiturus est. Psal. 35.

22. Væ infœlicibus illis qui renunciantes calici Domini, malunt bibere calicem Babylonis, quia *ignis & sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum erit.* Psal. 10.

23. *Sedere ad dexteram meam, & sinistrã non est meum dare vobis. Vobis*, dicit, quia simul cum matre prætexebant sibi, quandoquidem essent cognati Christi, hanc petitionem negari non debere. Christus verò respondit illis, hunc honorem nemini conferri propter affinitatem carnis, sed iuxta dispositionem Dei Patris, qui ab æterno prædestinatum habuit

vnumquemque ad gloriam, quam habiturus est: quique gratiam donat, quâ gradus gloriæ, ad quem ipsum prædestinauit, acquiritur. CONSIDERA quàm iustus & rectus sit Dominus, qui merita solùm considerat, & vnicuique secundùm opera sua retribuit. Nihil prodest coram illo caro, sanguis, diuitiæ aut potentia, sed sola virtus & opera bona. Qui maior fuerit in charitate, maior erit in gloria, quantumcumque abiectus, & pauper in hoc mundo fuerit.

24. Pudore suffundere, quod tam sæpè ab hac rectitudine declinaueris, magnam rationem habendo, carnis, sanguinis & mundi. Audi ad confusionem tuam S. Iacobum Apost. dicentem: *Si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens, in veste candida; introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: Tu sede hic bene. pauperi autem dicatis: Tu sta hic, aut sede sub scabello pedum meorum. nónne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis Iudices cogitationum iniquarum.* (Iacob. 2.)

25. CONSIDERA Deum in hac responsione, qua filijs Zebedæi respondet, reprobare vanam præsumptionem suiipsius; nemo enim plus iuris habet ad cœlum, quam Deus illi dat. *Venite benedicti Patris mei*, dicet Christus in nouissimo die, quando vnũquemque secundùm opera sua remuneraturus est; *& percipite regnum quod vobis para-*

paratum est ab origine mundi. Antequam ipsi fuissent, paratum fuit regnum, non autem præparatum fuit illis, eò quòd antè illo essent digni: imò quia ipsis præparatum erat regnum, datum fuit illis, vnde possent illo digni esse; & ideò vocantur *Benedicti Patris*, quia fuerunt ab ipso præuenti in benedictionibus dulcedinis. Lauda anima mea & glorifica misericordiam & bonitatem Dei Patris, Patris videlicet misericordiarum, & immensæ benignitatis.

IN FESTO S. LAVRENTII MARTYRIS.


Isi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.

CONSIDERA Redemptionis mysterium in his inclusum. venit Christus Redemptor noster in mundum & factus est homo: & nisi fuisset mortuus pro hominibus, solus ipse & nemo alius hominum gloriam possedisset: quia ipsi quatenus homini propter vnionem, quâ humanitas vnita erat Verbo diuino, debebatur:

ideoq; anima ipsius à primo instanti conceptionis suæ beata fuit. Sed cadente in terram benedicto hoc frumenti grano, & moriente pro nobis, copiosissimum fructum fecit, quia remissio peccatorum, reconciliatio cum Deo, reseratio portarum cœlestis paradisi, dona omnia & omnis sanctitas, quæ fuit & erit in mundo, fructus sunt passionis & mortis Christi: neque per alium quàm per ipsum salutem consequimur. Gratias age anima mea Deo pro insigni hoc beneficio.

2. Potuisset nos Christus etiam alijs operibus suis redimere: qualiacumque enim fuissent, eò quòd à persona diuina proficiscerentur, infiniti meriti extitissent: sed vt perfectiùs diuinæ iustitiæ satisfaceret, & nobis amorem suum demonstraret, voluit vt maioris sibi constaret nostra redemptio. Quis ergo illum non diliget, qui talia nostri amore sustinuit?

3. Vt maius in nobis peccati odium excitaret, voluit Christus mundi Redemptor in peccatorum nostrorum expiationem mori: & tamen ita facilè illa committis: quasi Christus mortuus fuisset vt peccares. CONSIDERA, quàm magna sit ingratitudo tua, & erubesce.

4. CONSIDERA quale granum fuerit Christus, quã mundum & quàm pulchrum. *Vidimus eum*, ait Ioannes, *plenum gratiæ & veritatis*. Hoc grano sustentatur mundus totus & cœlum: nam de ipsius plenitudine nos accipimus gratiam & cætera dona

Ioan. 1.

omnia.

omnia. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus: & quasi Gomorrha similes essemus.* Isai. 1.

5. Vult te Dominus granum esse, non paleam inanem & vacuam. Sit anima tua plena virtutum: habeat pondus, firmitatem videlicet & constantiam in actionibus suis. *Permundabit*, ait S. Ioannes Baptista de Christo, *aream suam, & congregabit triticum in horreum suum: paleas autem comburet igne inextinguibili.* Matt.

6. Palea sunt omnes, qui diligunt paleas vanitatum mundi: talis enim quisque est, qualia sunt illa quæ amat. *Ambulauerunt post vanitatem*, ait Propheta, *& vani facti sunt filij hominum.* Pudore suffundere, quòd videas te tanto tempore mundi vanitates consectasse, & incipe vel modò agnoscere, quid amandum, amplectendum, & magni æstimandū sit. Palea est cibus bestiarum: homo verò granis frumenti alitur. Iere. 2 Matt.

7. Granum frumenti vult te Dominus esse: vt non sis contentus qualicumq; bonitate, sed vt perfectus esse labores. *Estote perfecti*, ait Christus, *sicut & Pater vester perfectus est.* 1. Petr

8. Granum zeæ difficulter tunicella, cui inuolutum est, spoliatur: granum verò frumenti facillimè. Cor perfectum, nulli rei præsentis vitæ adhæret; imperfecti verò ab illis diuelli nequit. *Charissimi*, ait Petrus, *obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam.* Beatus, qui se in Psal. 7 Psal. 8

hac vita peregrinum esse agnoscit: quique vt talis, præsentis vitæ rebus affectu non inhæret. *Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

9. *Cibauit eos ex adipe frumenti*, ait Propheta. Hoc perfectissimè adimpletum fuit in Christo, qui se constituit cibum nostrum, & granum frumenti: cuius vita vt & doctrina perfectissima, sine comparatione vitas omnium sanctorum, qui sunt, fuerunt & erunt; & doctrinam omnium sapientum & Prophetarum excedit. Cui satis non fuit nos pauisse exemplo, & doctrina sua perfectissima: sed etiam semetipsum nobis in cibum præbuit, vt nos in se conuerteret, nobisque vitam diuinam & cœlestem largiretur. O panem cœlestem! O cibum Angelorum! Beati qui te dignè manducant.

10. Granum frumenti, vt panis ex ipso fiat, primùm molâ conteritur: Et Christus vt panis noster fieret qui nobis vitam daret, tormentis in passione sua contritus fuit. Et tu si cor tuum peccatorum contra Deum admissorum dolore contriueris: efficieris cibus Dei, *& cor contritum & humiliatum non despiciet.*

11. Qui duro corde sunt, & in peccatis suis integri perseuerant: aliquando tormentis inferni conterentur, vt fiant panis mortis: *Sicut oues*, ait Propheta de impijs, *in inferno positi sunt, mors depascet eos*: quia patientur in sempiternum mortales cruciatus. Psal. 48.

12.

12. CONSIDERA, quomodo SS. Martyres veluti grana frumenti, plena fide & charitate, tyrannorum supplicijs contriti, Christique panis effecti sint: in quibus, nimirum, ipse glorificatur, & fideles pascuntur & ædificantur. Quorum vnus ait: *Sum Dei frumentum, & molor per dentes ferarum, vt Christi inueniar mundus panis.* S. Ignatius.

13. Nisi granum frumenti in terram ceciderit. CONSIDERA, quanta sit perfectio Euangelicæ legis: quæ postea quam quis granum, & granum frumenti effectus fuerit, non permittit ei, vt in superbiam erigatur, & magni seipsum æstimet: sed vult vt in terram per humilitatem & vilitatis suæ agnitionem, ac suiipsius contemptum cadat. *Cùm feceritis*, dicit Christus discipulis, *omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite; Serui inutiles sumus.* Luc. 1[illegible]

14. Si ille qui est granum, & granum frumenti cadere debet in terram, quomodo decebit, vt ille, qui est palea inanis & vacua, erigat se atque superbiat? *Vnde superbis terra & cinis?* Inter abominanda numerat Sapiens pauperem superbum: qui tamen paupertatem & vacuitatem suam in eo apertè monstrat, quod tam facilè supra seipsum erigatur. Eccle. 1[illegible] Eccle. 1[illegible]

15. Iustus & humilis à seipso cadit, & voluntariè humiliatione se deprimit. Sed superbus etiam inuitus ad terram posterni debet. *Deposuit*, inquit B. Virgo in cantico suo, *potentes de sede, & exaltauit humi-* Luc. 1.

miles. Humilia igitur teipsum, antequam humilieris.

16. Frumentum in terram iacitur, & terrâ operitur, vt fructificet. Humilis humiliat se, atque abscondit & tegit seipsum humilitate suâ: quia non pro humili agnosci, sed pro vili haberi vult.

17. Moritur granum frumenti sub terra, vt viuat. Beati, qui pro Christo moriuntur, quia semper viuent, & pro vita corruptibili, multisque miserijs & infirmitatibus subiecta, vitam immortalem ab omnibus miserijs liberam; cunctis bonis affluentem, & verè beatissimam adipiscentur. O quàm fœlicem commutationem fecerunt SS. Martyres, qui quamuis *coram hominibus* Sap. 4. *tormēta passi sint, spes tamē illorum immortalitate plena* erat: sperabant enim se corpora illa, quæ pro Christo lacerabantur & dilaniabantur, gloriosa & immortalia recepturos. videbantur *oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.*

18. Disce mori, viuens: & viues, moriens: morere inordinatis sensuum cupiditatibus, mundanis desiderijs: propriæ voluntati, & viue Christo, sanctæ legi, & sanctissimæ voluntati ipsius: viuat ille in te, vt gubernet te in omnibus operibus tuis; vt dicere possis cum S. Paulo Apostolo: Philip. 1. *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Beati* enim *mortui, qui in Domino* Apoc. 4. *moriuntur.*

19 Granum frumenti quod sub terra non moritur, solum manet: tandemque

à ver-

à vermibus consumitur. Nisi mortuus fueris peccatis propter Christum : nec in hac misera vita diu perdurare poteris. In qua etiamsi illis, quæ contra Dei voluntatem amas, diu perfruitus fueris, nihilo tamen plus illud est quàm momentum : quod sequitur æternitas inferni, & ignis perpetuus. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* O infœlicem peccatorum sortem, qui pro vili & momentanea voluptate, æterna sibi tormenta conquirunt. *Iob. 21.*

20. Granum frumenti, quod sub terra moritur, multum fructum adfert. O quàm admirabilis & copiosus est fructus humilitatis & mortificationis! Humilibus dat Deus gratiam: hos amat: hos beneficijs afficit: his abundanter dona sua distribuit: his secreta sua reuelat : hi magni sunt ante Deum, quia seipsos parui æstimant : hi Diabolum qui propter superbiam de cœlo cecidit, conculcant : hi laqueos illius euadunt: & in omnibus suis certaminibus victores redeunt. Deus enim docet *mites vias suas* : *humiliatus sum, & liberauit me*, ait Propheta. *Psal. 24* *Psa. 114*

21. O quàm copiosus est fructus mortificationis! Per illam homo semetipsum vincit, quæ victoria maior est, quàm ciuitates debellare: per illam rationi & legi Dei submittit cupiditates suas : & est dominus domus suæ, non seruus sensualitatis propriæ, quæ miserrima & vilissima

seruitus est : gaudet de libertate filiorum Dei, viuit Deus in illo : regnat in eo gratia Dei, & anima illius sedes Dei est, cuius locus est cor pacificum. Et demum quia spiritu mortificamus opera carnis, fructus mortificationis, sunt fructus Spiritus sancti : quos Apostolus enumerat, nimirum:
Gal. 8. *Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Longanimitas, Bonitas, Benignitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas.* O ditissimos, & suauissimos fructus!

22. *Qui amat animam suam*, dicit Christus, *perdet eam.* Quia dixerat granum frumenti, nisi moriatur, solum manere, ne putares, quòd te viuo manente in amore inordinato tuiipsius, conseruari possis, adiungit : *Qui amat animam suam*, id est, vitam suam inordinatè, & à carnis suæ appetitionibus se superari patitur, hic perdet animam & vitam suam in æternam. O quàm tristia sunt hæc delicatis,
Sap. 2. & mundi amatoribus, qui dicunt : *Venite & fruamur bonis quæ sunt : & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant : nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Illi sunt, *qui nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem sperauerunt iustitiæ, nec iudicauerunt hono-*
Sap. 3. *rem animarum sanctarum* quæ *in manu Dei sunt :* quasque non *tanget tormentum mortis.*

23. Amas

23. Amas temetipsum, ad tuam perditionem. Est enim amor proprius venenum animæ, virtutum hostis, cibus ignis infernalis, radix totius iniquitatis, & præcipitium inferni. Vtinã, anima mea, cognosceres damna quæ ab amore proprio accipis, illũ in te persequi totis viribus inciperes.

24. Accede ad tenebrosum inferni carcerem, ad quem pergũt amatores suiipsorum: & interroga quomodo successerit illis amor proprius: & audies quod tibi responsuri sint. Ausculta quomodo sibimetipsis maledicant, quòd se immoderatè dilexerint. *Quid nobis*, aiunt, *profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra & nati continuò desiuimus esse, & virtutis quidẽ nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus.* Credent tum inuiti, tum qui amat animam suam perdere illam. Sap. 5.

25. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Ita euenit SS. Martyribus, qui in hoc mundo vitas suas contempserunt, & quasi illas odissent, spontaneè morti se obtulerunt: ideóque viuunt, & immortaliter viuẽt. Aspice, S. Martyrem Laurentium, cuius corpus in craticula assatum fuit, quàm plenus modò sit gloria, & breuia illa incendia quantum ei refrigerium promeruerint. *Tamquam aurum in fornace probauit iustos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum.* Sap. 3.

26. CONSIDERA, quàm parum intelligat, & suscipiat mundus doctrinam hanc quâ videlicet iubemur nosipsos odio habere. Nullus est nobis infestior hostis quàm nosmetipsi: qui aútem inimicum suum nutrit, manibus illius sæpenumerò perimitur. Hic tota difficultas virtutum consistit. Hic fortium virtus manifestatur; imbecilles verò & infirmi ad terram prosternuntur: qui quoniam seipsos vincere non sufficiunt, à vitijs superantur, atque cupiditatum suarum, quibus obtemperant, serui efficiuntur. Testante namque Apostolo, illius quis seruus est, cui obedit.

27. *Qui mihi ministrat, me sequatur*, ait Christus. quasi diceret: Non videatur vobis difficile, quod dico, quia eandem viam ego ambulaui. Si ergo serui mei esse cupitis, vestigijs meis insistite. CONSIDERA, qualis fuerit vita Christi, à Natiuitate ipsius, vsque ad mortem: quàm plena paupertate, laboribus, persecutionibus, doloribus, vituperijs, & contumelijs: qui vt te amaret, vitam suam quodammodo odio habuit; quandoquidem illam in mortem, non qualemcumque, sed crucis, obtulit. Qui hæc secum expenderit, non erit ei difficile, semetipsum pro amore Christi, odio habere.

28. *Et vbi sum ego, illic & minister meus erit*. Asperum quidem & amarum est, seipsum odisse: sed dulcissimum & gloriosum est cum Christo viuere in gloria Pa-

tris

tris ipsius. *Non sunt condignæ*, ait S. Paulus, *passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8.

29. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui in cœlis est.* Pro maiori eius quod paulò antè dixerat, ministrum suum ibi futurum, vbi ipse esset, declaratione, adiungit Patrem suum, illum qui sibi ministraret honoraturum esse. *Gloria & diuitiæ in domo eius*, ait Propheta. &, *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Qualem verò putas hunc honorem futurum? Ipse nouit in quo verus honor consistat, & omnia quæ vult, potest. Ecce quem finem habeat granum frumenti, cadens in terram, & moriens: quem finem odium suiipsius, propter Christum: quem finem seruire & sequi eum. Exaltat Deus illum qui sui causâ, se humiliat, ad honorem incomparabilem: viuificat illum, qui pro se moritur: diligit illum, qui seipsum pro sui amore odit: remunerat sibi seruientem æterno præmio: ac denique sequentem se, ad sempiternam ducit beatitudinem. Psal. 111 Psal. 13[illegible]

IN

IN FESTO ASSVMPTIONIS DEIPARÆ VIRGINIS DOMINÆ NOSTRÆ.



Luc. 10. *Ntrauit Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam. Et huic erat soror nomine Maria: quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium.* CONSIDERA Christum totius mundi Dominum ingredi domos aliorum, nec vllum habere domicilium proprium, in quo requiesceret, sicut ipse de seipso testatur, di-
Matt. 8. cens: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Disce hinc paupertatis inopiam Christi amore complecti, & pauperem Christum pauper sequi, qui factus est egenus & pauper propter te, vt te penuriâ & egestate suâ ditaret.

Isai 5. 2. *Væ vobis qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Pere-

Peregrinum & aduenam in hoc mundo seesse minimè cogitat, qui vni huic cogitationi totus insistit, quomodo magnificas ædes & ingentia sibi ad habitandum palatia construat: magnosque sibi thesauros ac possessiones in hac vita congreget: quale verò in futura vita habitaculum sortiturus, quibusque sociandus sit, minimè laborat.

3. Adam expulsus fuit è Paradiso, & perdidit habitationem iucundissimam, quam Deus illi præparauerat. Et Christus vti vagus & exul, transit de domo in domum, vt nobis prçpararet habitacula cœlestia quę in sempiternum inhabitaremus. Gloria sit ei, & benedictio.

4. Christus habet inimicos, & ideo confert se ad castellum, tanquam locum securiorem. Totus mundus iniquis moribus, consuetudinibus & legibus suis, contra Christum contraque virtutes ac mandata Dei coniurauit: *Nescitis*, ait S. Iacobus Apostolus, *quia amicitia huius mundi, inimica est Dei. Quicunque ergo voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur.* *Iac. 4.*

5. Esto castellum bene munitum & conclusum, si vis Deum hospitari apud te. Sed heu! tu fuisti veluti ciuitas absque portis & muro, in quam ingressi sunt inimici, eamque depopulati & deprædati sunt. Vt enim Sapiens ait, *Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.*

6. CON-

6. CONSIDERA sanctissimam virginem Mariam fuisse castellum insuperabile, & bene munitum: in quo vnigenitus Dei Filius introiuit, quando humanam nostram naturam assumpsit. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion*, dicit Propheta Esaias: *Saluator ponetur in ea murus & antemurale. Vrbs fortitudinis nostræ*, est Maria, per quam defendimur ab incursu hostium nostrorum. Saluator in ea positus est, quia carnem in vtero eius assumpsit. Munita verò & circumuallata fuit protectione diuinâ, quæ illam sic protexit, tantamque non modò in conceptione, sed deinceps etiam in tota vita illi contulit fortitudinem, vt inimicâ nunquam preualere potuerint aduersus eã.

7. *Martha recepit Iesum in domum suam.* Fœlix quæ talem meruit habere hospitem. Nec infœlicior anima, quæ Christum hospitio suscipere meretur: *Si quis aperuerit mihi*, dicit Dominus, *intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Reficitur Deus corde contrito & igne amoris sui decocto. Reficit autem & pascit nos vitulo saginato, hoc est, Christo Redemptore nostro, quia nos membra eius constituit, meritorumque & gratiæ ipsius participes facit.

Matt. 25. 8. *Hospes eram*, dicit Christus, die vltimę retributionis, quando retribuet vnicuique secundùm opera sua: *& collegistis me*, quia quod *vni fecistis ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Hospitalitatem*, ait S.
Hebr. 13. Paulus, *nolite obliuisci, per hanc enim placuerunt*

tuerunt quidam, *Angelis hospitio receptis.*
SanctusPatriarcha Abraham quotidie soli- *Gen. 18.*
tus erat ad ostium domus suæ, expectare
peregrinos transeuntes, vt illos hospitio
reciperet.

9. Martha, quæ interpretatur, *prouocans*,
vel amaricans, est pœnitentia, siue con-
tritio, quæ nobis in amaritudinem vertit
peccata, in quibus antè, offendendo
Deum delectati fuimus, & lachrymas ad
ea deploranda nobis excutit: misericor-
diam denique Dei, vt peccatoris pœni-
tentis misereatur, prouocat. Hæc est
illa, apud quam Christus hospitatur. vbi
illa non est, eò Christus diuertere non
dignatur, sed transit. *Recogitabo tibi omnes* *Esa. 38.*
annos meos, quos insumpsi extra serui-
tium Dei mei, *in amaritudine animæ*
meæ, dicebat Rex Ezechias. Christus etiam
æternam damnationem illis comminatur,
qui dignam pro peccatis pœnitentiam non
egerint.

10. Beata virgo Maria fuit etiam Martha.
Nam humilitate suâ permouit eum, qui in
altis habitat, & humilia respicit, vt oculos *Psal. 112*
suos in ipsam defigeret, & in purissimo vte-
ro eius hospitaretur. *Dum esset Rex in ac-* *Cant. 1.*
cubitu suo, nardus humilitatis meæ *dedit*
odorem suum: cuius suauissimo odore ille-
ctus, descendit de excelso cœlorum habita-
culo, & angustijs vteri mei se inclusit. O
benedicta humilitas, quæ Deum odoris sui
fragrantiâ delectat!

11. Martha excepit Iesum hospitio. vę il-
lis

lis qui Iesum à se repellunt, & ei portas
Iob. 21. occludunt. Qui dicunt Deo: *Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.*

12. *Erat Martha soror nomine Maria.* O duas optimas sorores, quæ ambæ eiusdem sunt voluntatis, ad Christum in domum suam excipiendum, eique in omnibus solicitè ministrandum.

Ioan. 11. 13. *Diligebat Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum fratrem eorum,* ait S. Ioannes Euangelista.

Fœlix domus, cuius habitatores diliguntur à Christo. Hæc est vera fraternitas quando fratres, pater & filij, maritus & coniunx, dominus & serui, omnes pariter timent Deum, & diuinis obsequiis se totos tradunt. Hæc est domus Dei, hospitium Christi, & habitaculum Spiritus S.

14. *Maria sedebat secus pedes Domini, audiens verbum illius.* Abundè respondebat Christus hospitium, cœlestem doctrinam pro temporalibus dispensando. CONSIDERA Christum ne puncto quidem temporis otiosum extitisse: quia ab illorũ, cum quibus versabatur, instructione nunquam cessabat. Vbi hospitatur Christus, ibi nõ audiuntur verba vana aut sermones otiosi, sed tantùm verba diuina: quibus se suosque à lassitudine itineris recreat & reficit. Requies enim & cibus ipsius erat, facere voluntatem Patris qui misit eum: ideoque antequam corpori subministraret cibum corporalem, priùs spirituali alimento doctrinæ suæ, animas pascebat.

15. Quam

15. Quàm ſanctum exercitium eſt, ſedere ad pedes Chriſti, auſcultare verba illius. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Sed animaduerte opus eſſe vt verbũ Dei audias, ſedendo ad pedes Chriſti, tamquam diſcipulus humilis, cum magna attentione, feruenti deſiderio, & promptiſſima voluntate, omnia quæ docuerit, opere perficiendi: quia, *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.*

16. Quàm caſtum eſt otium contemplationis. *Vacate & videte quoniam ego ſum Dominus.* Tanti negotij atque momenti eſt contemplatio, vt quo vni huic intendatur, neceſſarium ſit, vacare ab omnibus alijs occupationibus. Nam, ſola hæc tam grata & accepta eſt Deo, vt, quo ſoli huic inuigilemus, velit nos omnes alias curas & negotia relinquere, niſi per ſpeciale aliquod præceptum ad ea obligemur. Ideoq; in Canticis ait: *Ne ſuſcitetis neque euigilare* *Pſal. 40.* *faciatis ſponſam, quoad ipſa velit.* Et cùm Martha in miniſterio ipſius eſſet diligentiſſima, ille tamen maius ſibi ſeruitium præſtitum fuiſſe exiſtimabat ab otio Mariæ, quæ ad pedes ſuos ſedens, ſe loquentem attentiſſimè audiebat.

17. Martha occupabatur in cibis Chriſto & diſcipulis eius apparandis: ſancta occupatio. Ille qui omnibus creaturis cibum ſubminiſtrat, ſinguliſque de nutrimento quotidiano prouidet: qui Angelos & Sanctos in cœleſti gloria viſione ſuâ paſcit, à creaturis paſcitur in terris. Sancta etiam occu-

occupatio, præbere cibum pauperibus
Psal. 40. Christi. *Beatus enim qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.*

18. CONSIDERA quàm perfectè impleuerit B. Virgo Maria officium Marthæ & Mariæ. Ipsa hospitio excepit Christum in vtero suo: vestiuit eum humanitate, quam ex visceribus suis assumpsit: ipsa, posteaquam in lucem editus fuisset, nuditatem eius panniculis contexit: ipsa eum lacte virginei pectoris sui nutriuit & non tantum per totam vitam seruiuit ei, sed etiam vsque ad mortem comitata est illum, & defunctum sepeliuit. Hæcque omnia tanta cum sanctitate atque perfectione confecit, vt nulla vnquam seruitia fuerint ei tam accepta, sicut seruitia sanctissimæ Matris suæ: quod vt testatum faceret, noluit corpus illud virgineum post mortem putredini subiacere: sed cùm resuscitasset illud post mortem gloriosum, matrique reddidisset, assumpsit eam ingenti cum gloria, in corpore & anima in cœlum. Benedicta sit hæc virgo beatissima: Benedictus sit etiam ille qui tantam ei gratiam contulit, vt benedicta super omnes mulieres diceretur.

19. Impleuit B. Virgo perfectè officium Mariæ. quia de ipsa dicit Euangelium, quòd *conseruabat omnia verba hæc*, quæ nimirum de mysterijs Filij Dei incarnati, ab alijs audiebat, *conferens ea in corde suo.* Quis enim explicare sufficiat, quoties per exces-

excessum contemplationis, extra se rapta fuerit, cùm contemplaretur Verbum illud diuinum, quod complectebatur brachijs, & lactabat vberibus suis. Tacebat ille, tacebat & ipsa & in hoc silentio ipsa, eleuans se supra seipsam, tota transformabatur in Deum, & cum ipso vnita, fiebat vnus spiritus cum eo: Et *contemplans gloriam Dei transformabatur in eandem imaginem, à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu*, quo nimirum plena erat, quique has tam stupendas & admirandas extases in ea operabatur, dicens: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Ego illum vberum meorum lacte nutrio, ille pascit cœlesti dulcedine: ille inter brachia mea requiescit, & ego in illius: ille dependet à collo meo, & ego ab ipsius: ille totus est meus, & ego tota ipsius.

2. Cor. 3.

Cant. 5.

20. *Stetit Martha & ait: Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi vt me adiuuet?*

Ingens affectus, quo cum Christo inseruire cupiebat, & desiderium quo omnia ad mynisterium ipsius pertinentia perfectissimè agere ardebat: incitauit eam vt sororis suæ auxilium flagitaret: non quòd ipsa fatigata esset, (Quis enim fatigaretur, tali hospiti seruiendo) sed quia existimabat se solam ad illa sufficientem non esse. Fœlices qui tali cum voluntate & feruore seruiunt Domino: qui se ad diuinum seruitium insufficientes esse, ac postea-quam omnia fecerint, nihil se fecisse

putant:

putant: de quibus rectè illud intelligitur: *Cùm consummauerit homo, tunc incipiet;* quasi nihil antè operatus esset.

21. Martha opus habet adiutorio Mariæ: difficulter enim exerceri possunt exercitia vitæ actiuæ, cum fructu & profectu debito, nisi adfuerit auxilium orationis & considerationis. *Orationi instantes*, dicit S. Paulus, *& necessitatibus Sanctorum communicantes.* Plus adiuuat Maria Martham, quieta sedens ad pedes Christi, instans orationi & perseuerans in ea, quàm si quietem suam relinqueret, & cum ea in multis occuparetur & turbaretur.

22. *Respondens Christus dixit ad Martham: Martha Martha, solicita es & turbaris erga plurima, porrò vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea.* Quapropter ne putes quod surrectura sit ad præstandam tibi opem: quia voluntatis meæ est, vt in hac quiete maneat. Demonstrauit in his Christus, quòd quamuis illi accepta sit cura & occupatio Marthæ, nihilominus gratior sit ei quies Mariæ. CONSIDERA quàm excellens sit audire Dei verbum, quod præfertur à Christo, etiam occupationibus pertinentibus ad sui refectionem. Occupabatur Martha in prouidendis necessarijs corpori Christi: Maria in sustentanda anima sua verbo Christi. Pluris æstimat Deus quod attendas animæ tuæ, quàm occuperis in nutriendo corpore ipsius. quamuis necesse haberet corporali cibo susten-

sustentari. Seruiebat ei Martha, vt homini: sed Maria audiebat verba eius tanquā Dei, verba vitæ æternæ proferentis. Quare Martha honorabat Christum vt hominem: Maria verò honorabat eum vt Deum, ideoque prælatum fuit à Christo Mariæ otium operi Marthæ.

23. CONSIDERA sollicitudines & turbationes, quibus perturbātur, qui honores quærunt, & cumulandis diuitijs inhiant, qui Regum & Principum amicitias ambiunt, quorum corda in mille partes diuisa sunt, nec vllum quietis momentum habent: & instar hominum ebriorum, & à sensibus abalienatorum suam miseriam non animaduertunt. Quomodo autem hi inter tot sollicitudines & perturbationes negotia animæ suæ rectè tractare, & salutis propriæ curam agere possunt? *Spes* *Prou.* 10. *impiorum*, qui tam multis sollicitudinibus premuntur, *peribit*, dicit Sapiens.

24. *Vnum est necessarium*, dicit Christus. Vnum hoc videlicet: ad ea quæ Deus à nobis exigit scienda & opere implenda incumbere. Sed heu! cùm Vnū hoc necessarium sit, tamen nihil est, quod magis obliuioni à nobis traditur. Vanitatibus dies & noctes impendimus, ad hoc verò vnum perficiendum nihil nobis temporis superesse causamur. *Quare appenditis argentum*, dicit Propheta Esaias, *non in panibus*, *Isai.* 55. *& laborem vestrum non in saturitate?*

25. Ad hoc vnum, anima mea, omnia desideria tua confer: ad Deum videlicet, in quo

quo inueniuntur omnia. Vnus Deus, vnus amor, vnum desiderium, vna cogitatio. Vnum est necessarium: & ita necessarium, vt in hoc vno viuamus, moriamur & simus, & sine ipso nec viuere, nec existere possimus. Ille est facietas, & quies tua: ipse est gloria & beatitudo tua.

26. *Maria optimam partem elegit.* Fœlix sors illorum, quos Deus elegit vt sibi soli vacent. *Dominus pars hæreditatis meæ &*
Psal. 15. *calicis mei. Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Tales sedent in quiete & requie, liberi à sollicitudine & perturbatione Marthæ, ad pedes Christi prostrati, per humilitatem & cognitionem suijpsius, audientes in silentio, quid loquatur Deus in cordibus ipsorum. Exercitia Marthæ terminantur simul cum hac vita, sed Mariæ hic incipiuntur, & in cœlo perficiuntur.

27. Elegit optimam partem Maria: Et tu abominabilis peccator, quid elegisti? Pactum iniuisti cum morte & inferno, fœdus pepigisti cum Dæmone, & illius potiùs mancipium esse, quàm Deo famulari, elegisti. *Dilexisti vanitatem, & quæsijsti mendacium*, Deum à te repulisti: hæredi-
Apo. 21. tati cœlesti renunciasti: *Dereliquisti fontem vitæ, & fodisti tibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Pars* ergo *tua erit* etiam, vti testatur S. Ioannes in Apocalypsi, *in stagno ardenti igne & sul-*
Cant. 6. *phure, quod est mors secunda.*

28. In omnibus elegit Maria optimam Cant. 8.
partem. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas. Vna est columba mea, perfecta mea*; ait sponsus cœlestis, ideoque optimam partem sortita est in cœlis, inter omnes puras creaturas. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto* huius Cant. 3.
vitæ, ingenti cum triumpho, Angelorum suauiter cantantium stipata multitudine, atque odorum ineffabili fragrantia: *delitijs affluens, innixa super dilectũ suum? Pulchra est vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata* Hęc est Virgo humilis, Mater Filij Dei, Sponsa Spiritus sancti, quæ ascendit, vt constituatur Regina cœli, & Domina Angelorum. CONSIDERA quàm humaniter suscepta fuerit à sanctissimo Filio suo. *Veni*, ait, *de Libano sponsa mea*, de candore virginalis puritatis, quam Cap. 4.
perpetuo conseruasti. *Veni de Libano* florido virtutum, quæ perfectissimè in te floruerunt. *Coronaberis de capite Amana*, de altissima contemplatione: *de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum.* Cubile enim fuit Maria sanctissima, in quo requieuit *Leo de tribu Iuda*, & in quo requiescunt Leones & Pardi, qui ex superbis & iracundis, humiles & mansueti per illam facti sunt. Coronauit illam igitur Rex cœlorum, munerans eam de exercitijs vtriusque vitæ, contemplatiuæ & actiuæ per gloriam animæ & corporis. Appropinquemus & nos cum fiducia ad hunc thronum diuinæ gratiæ, vt illâ intercedente, obtineamus

misericordiam & gratiam : quam nobis facilè obtinebit suprema illa Regina, si Filio suo vbera, quibus eum lactauit, & ille vicissim Patri vulnera, quæ nostri causa excepit, ostendat.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.



Xiuit Iesus in montem orare. Et erat pernoctans in oratione Dei.

Disce à cœlesti hoc Magistro, quanta cum attentione precibus incumbere debeas, cùm ille, nullâ ad hoc compulsus necessitate, ascenderit in montem orare : vt te doceret, quàm longè debeat esse cor tuum à rebus & affectionibus huius mundi, quamque ad cœlestia eleuatum, quando Deum oras, atque in illius præsentia consistis. *Clamaui ad ad te Domine in toto corde meo*, dicebat Propheta Dauid. Ille toto corde orat, qui totus ad ea quæ agit, attentus est, & non diffunditur ad alia per distractiones.

2. Delectabile tibi est, morari in valli-bus:

bus: quia videlicet affectum non in cœlestibus, ſed infimis, & ad præſentem vitam pertinentibus, collocas: cor etiam habes patens ad omnes cupiditates rerum terrenarum, quæ te impediunt, quo minus illud erigere poſſis ad Deum. Corpus enim quod corrumpitur *aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem*, ne poſſit contemplari cœleſtia, dicit Sapiens.

3. CONSIDERA quàm obligatus ſis ad frequentandum hoc ſanctum orationis exercitium, cùm illud ſit nutrimentum & paſtus animæ: Clypeus etiam quo defendimus nos ab hoſtibus & aduerſarijs noſtris: qui ſi nobis deſit, valdè imbecilles & infirmi ſumus ad reſiſtendum. *Non eſt qui inuocet nomen tuum, qui conſurgat & teneat te*, ait Propheta. Oratio enim tenet brachia Dei, ne caſtiget nos: & ideò iſtâ deficiente, Deus multiplicat ſuper nos flagella, & tradit in manus inimicorum noſtrorum. *Eſa. 64.*

Erat Redemptor mundi pernoctans in oratione, & veluti bonus Paſtor vigilabat, grege ſuo dormiente: & tanquam ſollicitus Paterfamiliàs, hominibus dormientibus, pro ſalute eorum preces fundebat. *Fugiebat ſomnus ab oculis meis*, ait ſollicitus Paſtor Iacob ad Laban ſocerum ſuum, cuius cuſtodiebat pecora. Quid fieret de te anima mea, ſi non haberes tam vigilem & ſollicitum Paſtorem. *Gen. 31.*

5. Pudore ſuffundere, quòd videas te

pro tua salute non posse perseuerare vel vna hora in oratione: & cùm conuersatio Dei nullam *coniunctam habeat amaritudinem*, sed incredibilem dulcedinem, tibi tamen nihil esse amarius, & fastidire cœleste hoc manna, magis eligens vesci allijs & cæpis Ægypti.

6. Recordare noctium, quas insumpsisti ad Deum offendendum. CONSIDERA pro sceleribus quæ tum perpetrasti, Christum Redemptorem tuum pœnitentiam egisse, quando pernoctabat in oratione. *Quæ non rapui, tunc exoluebam*, dicit Dominus. Tuipse pro peccatis, quæ commisisti, pœnitentiam age: Laua, vti faciebat Rex Dauid pœnitens, *per singulas noctes lectum* tuum, *& lachrymis* tuis eum irriga, videns Redemptorem tuum tam asperam agere pœnitentiam, pro peccatis quæ non perpetrauit.

Psal. 68.

Psal. 6.

7. CONSIDERA, qualis fuerit hæc Redemptoris tui oratio: quàm attenta, quàm feruens, quàm pura, quàm eleuata, quàm perseuerans: & quantæ demum efficaciæ & virtutis. *Qui in diebus carnis suæ*, dicit Apostolus, loquens de Iesu Christo Redemptore nostro, *preces supplicationesq; ad eum, qui posit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia*: quia ei debebatur omnis reuerentia. Ex oratione Christi vim & efficaciam accipiunt orationes nostræ, & per eam habent aditum ad Patrem, & quæ

Heb. 5.

quæ petimus consequuntur: iuxta promissionem ipsius, quâ promisit, quòd quicquid orantes petituri essemus in nomine ipsius, obtineremus.

8. *Et cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit.* Animaduerte hinc, quomodo electiones fieri oporteat, ne sint erroneæ, sed secundùm Deum. Hanc enim Apostolorum electionē Oratio præcessit, & non qualiscumque, nec festinanter fusa, sed per totam noctem protracta. Officium regendarum animarum non est tam exigui momenti, vt quomodocumq; & cuicumque sine diligenti præuia consideratione conferendum sit. Caue tamen, ne cum carne & sanguine consilium capias, quia mali consiliarij sunt, nec bonum tibi consilium suggerunt: ne etiam respicias ad consanguinitates & amicitias, aut alia mundi commoda, quia tenebras oculis tuis offundent: sed in consilium adhibeto Deum, & roga eum, qui ponderator spirituum est & vnumquemq; nouit, vt te lumine suo illustret ne circumueniaris, sed aliquem dignum offendas. Imitare sanctos Apostolos, qui cùm electuri essent eum, qui successurus erat in locum Iudæ perditionis filij, ad orationis præsidium confugerunt, Deique consilium requisierunt, & orantes dixerunt: *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris accipere locum mynisterij huius, & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas.*

9. Si ei, qui alium eligit, necesse est armari ornatione, quantò magis ei qui electus est, vt eam ratam habeat, quando liberum ei est, electioni vel consentire, vel non consentire. *Non mittebam eos*, ait Propheta, *& ipsi currebant.* Ruina & perditio Pastorum, & gregum illis commissorum hinc maximè prouenit, quòd electiones non eâ, quâ debitum est, methodo fiant; nec electi officia sua, per verum ostium, hoc est, Christum ingrediantur, solum honorem & gloriam ipsius quærendo; sed aliunde, sicut fures & latrones, quæ sua sunt & non quæ Iesu Christi sectando.

10. CONSIDERA dignitatem Apostolorum, qui fuerunt electi, vt essent testes eorum quæ Christus Redemptor in mundo egit & docuit: & vt essent prædicatores S. Euangelij, & lapides fundamentales Ecclesiæ. Propheta Dauid loquens in spiritu de his sanctis Apostolis; vocat eos cœlos enarrantes gloriam Dei, quorum prædicatio exijt in omnem terram. Et illa ciuitas Sancta Ierusalem, quam S. Ioannes in Apocalypsi vidit, duodecim fundamenta murorum habuit, in quibus inscripta erant
Apoc. 21. nomina duodecim Apostolorum. Glorifica Dominum qui talem dignitatem dedit hominibus.

Psal. 44. 11. *Pro patribus tuis*, dicit Propheta Dauid, alloquens Messiam promissum, *nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram.*

Patres fuerunt SS. Patriarchæ, à quibus

bus descenderunt duodecim tribus Israel: Filij eorum fuerunt sancti Apostoli, quos iuxta numerum duodecim tribuum voluit Christus esse duodecim. Sancti fuerunt Patres, sed sanctiores filij: Eximia fuit dignitas Patriarcharum, sed maior Apostolorum, quemadmodum & Christiana Ecclesia multis partibus superat Synagogam. Isti fuerunt principes in vno tantum populo, sed hi constituti sunt principes super omnem terram. Illi diuitijs, vxoribus & filijs locupletes; hi paupetes amore Christi, sed cœlestibus opibus ditissimi: omnia reliqueruntamore Christi, & ab vxoribus & liberis secundùm carnem liberi, innumerabiles filios spirituales per totum terrarum orbem Christo genuerunt.

12. Apostolus interpretatur *Missus*. CONSIDERA, quale nomen impositum fuerit à Christo principibus Ecclesiæ, quamque humile. Non illos appellat Reges, non Principes, non Dominos, sed missos: vt intelligant, se nihil esse à semetipsis, nec quicquam habere præter id, quod illis collatum sit à Magistro, qui eos misit. Nomen istud, est nomen humiliatis & obedientiæ, quia tales Christus illos esse cupiebat, humiles, videlicet, & obedientes. Da operam vt & tu talis sis, si Christo placere cupis.

13. Qui mittitur, commissionem habet ab eo, à quo mittitur. Sic & SS. Apostoli non prædicarunt neque docuerunt ea,

quæ

quæ studio & industriâ suâ didicerant, nec quæ proprio iudicio excogitauerant: sed quæ à Christo, qui illos misit, per Spiritum ipsius, de quo ille ait, quòd eos esset edocturus omnia quæ diceret eis, acceperant & didicerant. *Non estis vos qui loquimini,* ait illis Christus, *sed Spiritus sanctus qui loquitur in vobis.* CONSIDERA quàm secura sit fides nostra; quamuis enim ab hominibus in vniuerso mundo annunciata fuerit non tamen ab ipsis ea perfecta fuit, sed à Spiritu sancto, qui loquebatur in eis, quod satis manifestum erat ex his quæ do-
2.Cor.13. cebant. Ideoque S. Paulus ait: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?*

14. Missi à Deo erant Apostoli, ideoq;
Luc. 21. dicebat eis Christus: *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.* Monebat etiam eos ne premeditarentur quę dicturi essent, eò quòd Spiritus sanctus suggesturus illis esset verba & rationes, ad confutandam & conuincendam omnem mundi
Act. 9. sapientum prudentiam. Hinc legimus in Actis Apostolorum, quòd cùm S. Petrus repletus Spiritu sancto, ad Iudæos concionaretur, ipsi *viscera eius constantia, compertoq; quod ille & socij eius homines essent sine literis & idiotæ, & agnoscentes eos, quoniam cum Iesu fuissent, nihil potuerint eis contradicere,* cùm videlicet apertè cernerent, ea quæ loquebantur, ab ipsis esse non posse. O mirabilem vim di-

uinæ missionis! quæ effecit, vt pauperes piscatores, litterarum expertes, conuincerent mundi sapientes. Disce confidentiam tuam collocare in Deo, & quia ipse te elegit & posuit, vt ad cœlum proficiscaris, noli abijcere animum, nec inimicorum tuorum ferociam & multitudinem formidare. Si enim in Deo spem tuam reposueris, ipse illos profligabit & ponet scabellum pedum tuorum.

15. CONSIDERA inter hos duodecim Apostolos à Christo electos, vnum fuisse Iudam traditorem: qui apostatauit ab Apostolatu, & Magistrum suum pecuniâ vendidit: atque ex hoc exemplo timorem concipe. Attende à quàm alta dignitate ceciderit, & in quàm profundam abyssum corruerit: *Qui stat, videat ne cadat*, dicit Apostolus. Quanto altiori loco fueris, tanto periculosior & grauior erit casus tuus: quia quo plura à Deo acceperis, eo plurium debitor eris: & si officio tuo in aliquo defueris, offensa & ingratitudo tua maior erit.

16. *Et descendens Christus cum illis de monte, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa & Ierusalē. & maritima, & Tyri & Sidonis, qui venerant vt audirēt eū & sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat & sanabat omnes.*

CONSIDERA, Christum SS. Aposto-

los vocasse de monte: quibus se cæteri adiunxerunt in plano, vt te instrueret eos qui in alto loco sunt, ad maiorem perfectionem obligari. Quanta enim est differentia inter pastorem & oues: tanta debet esse inter illum qui est Pastor in Ecclesia Dei, & oues gubernationi eius commissas. Saul quando electus fuit à Deo in Regem, omnium qui erant in populo Israel, testante diuinâ Scripturâ, melior & probior extitit: quando verò à perfectione sua desciuit, Deus illum abiecit, & Samueli præcepit, vt Dauidem loco illius in Regem populi Israelitici vngeret.

17. Si non potes ascendere cum Christo in montem perfectionis, adiunge te vt minimum eidem in plano, atque mandata & præcepta eius custodi: idcirco enim descendit de monte in locum planum, vt tanquam, qui omnes saluos fieri cuperet, omnium se fragilitati accommodaret. Istud autem si non feceris, nulla tibi superest excusatio, quia Deus viam ad cœlos ducentem faciliorem quàm reddidit, reddere non potest.

18. Currebant homines ad loca deserta vt quærerent Iesum, & audirent verba eius, & ab ipso manna cœlesti pascerentur. Hoc enim est quod Propheta Esaias prophetauit, dicens: *Lætabitur deserta &*
Esa. 35. *inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Exibunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine.* O quales aquæ & quantum refrigerium præbentes! verba Redem-

pro-

ptoris vitæ, & carnalis concupiſcentiæ ignem ſopiebant, & bonorum caducorum huius vitæ ſitim reſtinguebant.

19. Exibant, vt ſanarentur à languoribus ſuis. Omnia inueniuntur in Christo Redemptore mundi; ſanitas animarum & corporum. Similiter & virtus eſt ſanitas animæ & corporis. Hoc ita eſſe probat infirmitatum grauiſſimarum & moleſtiſſimarum multitudo, quas ſecum adducunt crapula, & immoderata libido, à quibus liberi ſunt ſobrij & caſti homines. Accede igitur ad Chriſtum, ſi vis curari ab infirmitatibus tuis corporalibus: fieri enim non poteſt, vt ad ipſum accedens, non aliquod emolumentum inde referas.

20. *Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur.*

Non nouit Diabolus aliud niſi vexare & affligere animas quas poſſidet: & nihilominus adeò mentis inops es, vt delitias repute in peccatis viuere, exiſtēte interim animâ tuâ ſub dominatu tam crudelis tyranni; cuius tormenta, quibus te cruciat, quamuis modò non ſentis: tum illa ſenties, quando à momentaneis his cruciatibus ad ſempiterna inferni ſupplicia te abripiet.

21 Spiritus immundos vocat Dæmones S. Euangeliſta, quia nos incitant ad fœdas carnis voluptates aliaſque impuritates, & omnia quæ munda & caſta ſunt, odio habent. Quales namque ſint, demonſtrarunt, cùm peterent à Chriſto, vt porcos ingredi

possent. O anima ad imaginem & similitudinem Dei condita! vt esses socia Angelorum, mundata à Domino in S. Baptismo, decorata gratia & donis eius, cur æquo animo fers, quòd immundorum spirituum sis mancipium?

22. *Omnis turba quærebat illum tangere, quia virtus de illo exibat & sanabat omnes.*

Erat sanctissimum illud corpus instrumentum diuinitatis, per quod communicabatur nobis virtus diuina. Tange illud fide viuâ, amplectere illud feruenti cum
Cant. 3. charitate. *Tenui eum*, dicit sponsa, *nec dimittam.* Noli eum dimittere, ne te dimittat: noli ab eo seiungi, quia vitam tuam deseris. Hic enim est fortitudo fragilium, diuitiæ pauperum, sapientia ignorantium, vita in quo omnes viuunt, & gloria Beatorum.

IN FESTO NATIVITATIS BEATISSIMÆ MARIÆ VIRGINIS.

CONSIDERATIONES SVNT eædem quæ in Festo Conceptionis eiusdem.

IN FESTO S. MATTHAEI APOSTOLI.

PRæteriens Iesus vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me. & surgens secutus est eum.

CONSIDERA misericordiam Dei, qui vocat Matthæum à negotijs & commercijs huius mundi, ad sui imitationem, à tempestate & naufragio, ad portum securum: & à morte ad vitam. *Circumdederunt me aquæ vsque ad animam, abyssus vallauit me, & tu subleuasti de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.* Ion. 2.

2. Quis desperabit videns Matthæum à telonio vocari ad Apostolatum, & S. Paulum ex persecutore Christi, fieri prædicatorem Euangelij. *In te Domine sperant* Ioel. 2. *qui nouerunt nomen tuum, quia benignus & misericors es: patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.*

3. Præteriens Christus, oculos suos deflexit in Matthæum, vt daret ei vitam. Pertransijt Angelus percutiens, & occidit om- Exod. 12 nia primogenita Ægypti. Sed hic mangni

con-

consilij Angelus pertransibat & liberabat morte: & quemadmodum qui fragrantissimis onustus est odoribus, omnia loca per quæ transit, optimo replet odore: ita & Christus vbicunque transibat, relinquebat
Act. 10. signa bonitatis & misericordiæ suæ. *Vnxit eum Deus Spiritu sancto & virtute*, dicit S. Petrus, *& pertransijt benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo*. Si talia operatur Christus transiens, quid faciet vbi quiescit? Beata anima, in qua Christus quiescit.

4 CONSIDERA quàm eximius Medicus sit Christus, qui solo aspectu sanat animas. Basiliscus intuitu suo necat homines: sed Christus aspectu suo resuscitat animas. Roga illum, vt te respiciat oculis miseri-
Psal. 85. cordiæ suæ. *Respice in me Domine, & miserere mei*.

5 Vidit Christus Matthæum se non conspicientem, & misertus est eius, qui oblitus erat & Dei & salutis propriæ. O ineffabilem misericordiam Domini!

6. Matthæus nomine.

Cùm cæteri Euangelistæ circumscribant nomen eius, vocantes eum Leui; ipse tamen Euangelista Matthæus nomen suum non reticet, sed dicit se appellatum fuisse Matthæum: quasi diceret: Sciant omnes me illum esse qui de statu miserrimo, ad statum altissimum exaltatus fui, vt videlicet
1. Tim. 1. essem Apostolus & Euangelista Christi. *Christus Iesus venit in hunc mundum*, dicit S. Paulus, *peccatores saluos facere, quorum*

primus ego sum; sed ideò misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus IESVS omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam.

7. *Sequere me*, dicit Dominus Matthæo.

Quasi diceret: Diuitias acquirere cupis, sequere me, & ego tibi locupletissimam venam ostendam, ex qua plurimas breui tempore diuitias abstrahas. Diues esse vis? Ego te diuitem esse volo, sed veræ diuitiæ non ibi sunt, vbi tu eas quæris: sequere me, & tibi illas ostendam. O quanta cum liberalitate inuitat nos Deus ad diuitias cælestes! Intellige vbi veræ sint diuitiæ. *Suadeo tibi*, dicit Christus, *emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias.* Quo autem pretio aurum istud emitur, nisi Dominum ipsum sequendo, & imitando perfectissimas virtutes eius? Apoc. 3.

8. *Surgens secutus est Christum.*

Principium istius virtutis fuit, quòd Christus eum respexerit, & vocauerit, loquens illi ad cor aspectu suo: nam vocatus, continuò sine dilatione secutus est eum. Hoc est illud quod Christus dixit, qui posteaquam demonstrasset, difficillimum esse diuites auaros intrare in Regnum cęlorum, subiunxit, *quod impossibile est hominibus, possibile est Deo.* Sunt namque lapides quidam adeò duri, vt nulla nec nouacula, nec mallei eos diuidere sufficiant, quas tamen fulgur adueniens in momento per

medium

medium findit. *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.*
Psal. 28. Roga Dominum, vt te vocet *voce virtutis & magnificentiæ suæ, quà etiam confringit Cedros Libani.*

9. Væ tibi peccator, qui obsurdescis ad vocem Dei, & quæris excusationes, differens de die in diem conuersionem tuam, & contemnis diuitias bonitatis & longanimitatis eius. Time ergo iram Dei, quæ veniet super eos, qui spernunt misericordiam eius.

10. Præparauit Matthæus Christo conuiuium, & *discumbente Christo in domo eius, ecce multi Publicani & peccatores venientes discumbebant cum Iesu & discipulis eius.*

CONSIDERA Matthæum à se modò eiecisse omnem auaritiam, & liberalem erga Christum & discipulos eius effectum fuisse. Accedit ad Medicum & medicinam; & curatur ab infirmitatibus suis, accedit ad lucem & tenebræ eius effugantur; & incipit contemnere quæ malè & inordinatè anteà
Psal. 33. dilexerat. *Accedite ad Christum & illuminamini.*

11. Non est Matthæus ingratus Domino, sed agnoscens misericordiam & beneficium quo à Christo affectus fuerat in sua vocatione, se gratum declarat. Noli esse ingratus beneficijs diuinis, *Benedic ani-*
Psal. 102. *ma mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.* Si reputas magnum esse beneficium, quòd te Deus extraxerit è sordibus peccatorum, agnosce te adeò ei esse obli-

obligatum, vt tibi videaris non posse vnquam ei grates dignas pro tanto beneficio rependere. Et quia aliud non potes, dic cum S. Propheta: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.* &, *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* *Ibid.* *Psal. 33.*

12. Manducabat Christus cum Matthęo, & festum celebrabat simul cum Matthæo conuersionis ipsius. Vt intelligas, quod idem Christus dixit, *Gaudium esse coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Epulari & gaudere oportebat*, ait bonus Pater filij prodigi ad fratrem illius: *quia frater tuus hic mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus est.* Glorifica anima Patrem tuum benignissimum, qui quamuis opera tua non indigeat, de tua tamen conuersione summopere lætatur, tantùm quia bonus est, & gaudet de bono tuo. *Lucæ 15.* *Lucæ 15.*

13. CONSIDERA in hoc conuiuio præsignati magnificum illud conuiuium, quod S. Matthæus toti mundo, sancto Euangelio suo exhibiturus erat: doctrina enim illius, sicut vnus de fluuijs illis quatuor, qui egrediuntur de Paradiso, irrigat vniuersam terram, & omnes fideles S. Ecclesiæ reficit.

14. *Multi Publicani & peccatores venientes discumbebant cum Iesu.*

Animum enim acceperant, ex misericordia quâ Christus vsus fuerat in Matthæum, ideoque accedunt ad eum. *Oleum effusum nomen tuum*, ait sponsa, *ideò adolescentulæ* *Cant. 1.*

dile-

dilexerunt te. Cùm Deus daturus esset legem populo Israelitico in mõte Sinai, præcepit, ne quis de populo ad montem accederet: fulgura etiam & tonitrua, lampadesque & fragores tam horrendi audiebantur, vt omnibus timorem incuterent. Sed Christus Redemptor noster, tanta cum mansuetudine & benignitate ad dandam legem Euangelicam venit, vt non modò non terreat, sed inuitet etiam Publicanos & peccatores, vt ad se accedant & secum manducent. Glorifica tantam Dei clementiam & benignitatem.

15. *Videntes hoc Pharisæi, dicebant discipulis eius: Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?*

Proprium est hypocritarum iudicare alios, & eorum bona opera reprehendere, & cùm ipsi sint expertes omnis veræ iustitiæ, in calumniandis alijs se iustificare. Detestabile est hoc vitium. Da igitur potius operam, vt excuses proximum tuum, & benè sentias de omnibus, quia officium charitatis est, non iudicare quemquam, vti ait Apostolus.

1. Cor. 13. 16 *Iesus audiens calumnias & murmurationes Pharisæorum, ait: Non est opus valen-*
Osee. 6. *tibus medicus, sed malè habentibus. Euntes autem discite quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.*

O verba plena consolatione! Hic enim anima mea, Christus declarat se esse Medicum animarum, quæ recta pergerent in infer-

infernum, si Medicus eas eijceret à se. Tali Medico necesse habebant infirmitates nostræ, videlicet, benigno, amabili, compassiuo, & ad curandas quascunque infirmitates potentissimo. *Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis*, ait S. Dauid: *Et misit verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Benedicta sit misericordia Dei nostri, qui nobis prouidit de tali Medico. *Psal. 106*

17. Quare infirmaris anima mea, prouisa de tali Medico? *Super afflictione & perditione filiæ populi mei, cor meum præ dolore finditur*, dicit Propheta Ieremias: *Nunquid non est remedium in Galaad, aut non est in ea Medicus? Quare ergò non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Nulla tibi vltra superest excusatio. Medicus te inuitat: medicinam secum defert, eamque tibi offert pro nihilo: per te solum stat, qui non vis curari. Quanta dementia est hæc? *Ierem. 6*

18. Bonus Medicus est Christus, dietam & purgationes, quibus infirmus vti deberet, in se assumit: vulneratur, vt animæ tuæ vulnera curet. Ieiunia fuerunt eius diæta, qua nos curauit: dolores, fel & acetum, quibus potatus est, fuerunt purgatio amarissima, quam pro salute nostra ebibit: quia, vt ait Propheta Esaias, *Liuore eius sanati sumus.* *Esai. 53*

19. Male habentibus & sanis necessarius est cælestis hic Medicus: quia nemo sanitatem consequitur, nisi ipse illam largiatur

&

Sap. 9. & conseruet. *Per sapientiam tuam sanati sunt quicunque placuerunt tibi Domine à principio*, ait Sapiens. Per eandem & nunc sanitatem adipiscuntur, omnes qui ea gaudent. nam extra illam non est salus.

20. *Misericordiam volo & non sacrificium.* Confidebant Pharisæi nimium in sacrificijs, & obliuiscebantur misericordiæ. Erant etiam pleni malitia & inuidia, & tanquam iusti aspernabantur peccatores. Demonstrat igitur eis Christus, quàm à vera semita aberrarent: Pater enim misericordiæ, vult suos esse misericordes. *Nónne oportuit*, ait Rex, *qui omne debitum* dimiserat seruo suo, qui tamen noluerat patientiam habere in conseruo suo, *& te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?*

1. Tim. 4. 21 *Corporalis exercitatio*, inquit S. Paulus, *ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia vtilis est.* Quid prodest, quòd multis te maceres ieiunijs & alijs operibus pœnitentiæ, si cor tuum plenum est impietate & immisericordia? Non loquitur S. Paulus de operibus, quæ fiunt ex præcepto Dei aut Ecclesiæ, sed de illis, qui pleni hypocrisi, exterioribus pœnitentiæ operibus se totos tradunt, vt sibi hominum existimationem acquirant, intrinsecus verò ab omni charitate vacui sunt, nec vllâ erga fratres suos commiseratione permouentur.

22. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Omnes eramus peccatores, sed Pharisæi.

sæi se non tales, sed iustos esse reputabant, ideoque Christus illos in vana præsumptione sua relinquebat. Eximia Dei misericordia fuisset, quòd peccatores ad se conuerti & redire volentes reciperet: sed quòd eos vocet, & gratia sua inuitet, hoc omnem excedit hominum æstimationem. Responde anima mea huic Domino, qui te vocat, & optimo huic Pastori, diligentissimè te quærenti, te inueniendum offer.

23. CONSIDERA vnde peccatores vocet, & ad quid. A peccato ad gratiam: à seruitute dæmonis ad libertatem filiorum Dei: à tenebris ad lucem: à morte ad vitam: denique ab inferno, in quo iam constituti essent, nisi misericordia diuina obstitisset, ad beatitudinem æternam, cuius hæredes efficimur per gratiam. *Gratias agentes*, dicit S. Paulus, *Deo & Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remißionem peccatorum.* Cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen. *Coloss. 1.*

IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.


Ccesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quem putas maior est in Regno cælorum?

Christus præceperat sancto Petro, vt solueret tributum pro se & seipso. Et hinc cùm cæteri discipuli existimarent eum omnibus alijs prælatum fuisse, tanquam adhuc fragiles & in virtutibus imperfecti, ceciderunt in contentionem de primatu. Itaque cælata ambitione cordium suorum, interrogant Christum, quis maior esset in regno cælorum. CONSIDERA fragilitatem humanam, quæ facit vt ex eminentiorum locorum desiderio, alios nobis præferri doleamus. Et erubesce quòd videas, hoc tibi sæpissimè contigisse.

2. CONSIDERA Christum Redemptorem mundi, cùm esset maximus, factum esse minimum omnium; & cùm esset Dei filius, assumpsisse formam serui. Disce ex humilitate ipsius, omnium esse minimus, non maximus.

3 Vt nam desideraremus omnes esse maximi in virtutibus, in humilitate, patientia, obe-

obedientia & charitate. *Crescite*, dicit 1. Pet. 3.
Apostolus Petrus, *in gratia & cognitione Domini & Saluatoris nostri IESV Christi.*

4. Vt responderet Dominus interrogationi discipulorum, aduocauit paruulum, & statuit eum in medio eorum & dixit: *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis*, relinquendo omnem æmulationem & cogitationes superbiæ, *& efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cælorum.*

CONSIDERA, quàm exactè Christus infirmitatem illorum, & ea quæ in cordibus eorum gerebantur, quamuis ea cælare niterentur, agnouerit. Non prodest anima mea cum fictione & duplicitate ambulare coram Deo: decipere potes homines, Deum verò, qui scrutatur abscondita cordium, nequaquam. Ambula ergo coram ipso in veritate, & diligentissimè cordis tui defectus examina, omnesque infirmitates tuas Deo aperi, quia vulnus absconsum non curatur à Chirurgo.

5. Deus vult suos esse paruulos. quod 1. Cor. 14
declarans S. Paulus Apostolus, ait: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitiâ paruuli estote.* In eo enim quòd paruuli de rebus rectè non iudicant, Deus non vult nos paruulos imitari: sed in eo, vt alieni simus ab omni malitia, liberi ab ambitione, faciles in condonandis iniurijs, innocentes denique & casti. In his ergo paruulos imitari contende, & placebis Domino.

6. Filius vnius anni erat Saul cùm regna- 1. Reg. 13

Reg. 13. *re cœpiſſet*, ait Diuina ſcriptura, volens his verbis indicare nobis eius innocentiam & humilitatem, quemadmodum & Pro-
Reg. 15. pheta Samuel teſtatur. *Quando eras*, ait, *paruulus in oculis tuis, elegit te Dominus vt eſſes caput in populo Iſrael.* Si fueris paruus in oculis tuis, magnus eris ante Deum: & ſi in oculis tuis magnus fueris, paruus
Pſal. 137. eris & nihil in conſpectu Dei: Nam *excelſus eſt Dominus*, dicit Propheta Dauid, *& humilia reſpicit, alia autem à longè cognoſcit.* Sicut enim quod à longè aſpicitur, difficilè cernitur; ita qui in æſtimatione propria ſibi magni eſſe videntur, à Deo difficillimè cernuntur.

7. Erexit ſe Lucifer in ſuperbiam, & eiectus eſt de cælo in profundum inferni. Si autem Deus ſic animaduertit in creaturam perfectiſſimam, propter vnicum ſuperbiæ peccatum, quomodo animaduertet in hominem, qui eſt exigua portio terræ,
Eccl. 10. ſi ſuperbierit? *Quare ſuperbis puluis & cinis?*

8. *Quicunq; ſe humiliauerit ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in Regno cælorum*, dicit Chriſtus, reſpondens ad interrogationem diſcipulorum ſuorum.

Humilitati donatur, quod per humilitatem acquiſitum fuit. *Humiliauit ſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Et humilitate ſuâ promeritus eſt nobis cœlum, quod perdideramus per ſuperbiam. Et etiam qui maximè humiliauerit, altiſſi-

mum

mum in eo locum assignabit.

Qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.

9 CONSIDERA, in quanta æstimatione velit Dominus haberi eos, qui pro ipso se humiliant: quia quod ipsis fit, ita suscipit, quasi fieret sibimetipsi. Expende tecum quàm longè aliter mundus sentiat qui magnos & potentes tantummodo honorat, cæteros verò nihili pendit. *Venatio Leonis*, ait Sapiens, *onager in eremo, sic & pascua diuitum sunt pauperes. Et sicut abominatio est superbo humilitas, sic & execratio diuitis pauper.* Et paulò pòst: *Diues locutus est & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent. Pauper locutus est, & dicunt: Quis est hic?* Caue ergo, ne à iudicijs hominum mundanorum te subuerti patiaris, sed potiùs ama pauperes & contemptos; considerans in eis Christum pauperem & abiectum in hoc mundo. Eccle. 13.

10. *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.*

Paruulis, ait, *qui credunt in me.* Quia humilitas necessaria est ad captiuandum intellectum, in obedientiam Christi & fidei eius. Nam superbi propriarum opinionum amici, facilè naufragium patiuntur in fide. Hinc Apostolus Paulus eos qui à vera fide discesserunt appellat: *Homines seipsos amantes, cupidos, elatos, superbos, blasphemos, parentibus non obedientes, & volupta-* 2. Tim. 3.

luptatum amatores magis quàm Dei. Conserua ergo temetipsum in debita humilitate, vt Deus te non derelinquat, & cadas in præcipitium infidelitatis.

11. Scandalizant pusillos, qui eos persequuntur, derident, & contemptui habent, & qui sine ratione ipsos contristant, quia quantum in ipsis est, præbent eis occasioné virtutum opera deserendi. *Ambulans recto itinere & timens Deum, despicitur ab eo qui infami graditur via,* inquit Sapiens. Tu verò extimesce comminationes Domini; & caue ne contemnas aut scandalizes quemquam ex paruulis Christi.

Prou. 14.

12. *Væ mundo à scandalis. Necesse est enim vt veniant scandala: verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit.*

Dole propter scandalum, quod malo exemplo, & malis consilijs ac persuasionibus tuis, proximo posuisti. Si effundere sanguinem proximi ingens est scelus, quantum erit animam eius necare, faciendo vt peccatum aliquod admittat? Si sanguis Abel effusus clamauit ad Deum, expetendo vindictam in eum qui eum effuderat, quales erunt illæ voces, quas proferet anima, tui causa damnata, pro cuius redemptione Deus sanguinem suum profudit?

13. Deplora mirabilem huius mundi statum, in quo sunt plurima incitamenta & occasiones ad perdendas animas. CONSIDERA quàm cautè & circumspectè tibi ambulandum sit inter tot pericula. *Videte fratres,* dicit S. Paulus Apostolus, *quomodo*

Eph. 5.

modo cautè ambuletis non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt, id est, pleni periculis, tentationibus & occasionibus ad mala incitantibus.

14 *Angelis suis*, dicit S. Propheta David, *Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Psal. 90.
CONSIDERA vnum ex principalibus officijs SS. Angelorum esse, vt custodiant & liberent nos à scandalis & offensionibus, quæ in hac vita se nobis offerunt: & agnosce, quàm ingens beneficium sit hoc, & refer Deo gratias pro eo

15. CONSIDERA quàm apertis verbis Christus præceptum hoc de scandalis proposuerit; quamque seuerè scandala vetuerit: & quam paruam nihilominus mundus huius prohibitionis rationem habeat, nihili æstimans alijs scandalum præbere, eosque ad omnem passum præcipitare. *Ruit Ierusalem*, dicit Propheta Esaias, Esa. 3.
& Iudas concidit: quia lingua eorum & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos Maiestatis eius. Agnitio vultus eorum respondebit eis, & peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt.

16. *Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & proijce abs te. Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. Et si oculus*

tuum scandalizat te, erue eum & proijce abs te. Bonum est tibi vnum oculum habentem in vitam intrare, quàm duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis.

Per manus, pedes, oculos, intelligit Christus quamcumque rem, quæ adeò vtilis & chara nobis sit, quàm sunt nobis pedes, manus, oculi. Instruit itaque nos hoc loco, necessarium nobis esse, si res quæpiam sit nobis occasio offendendi Deum, illam deserere, & abijcere; maiorem habendo rationem conseruandæ diuinæ gratiæ sine ipsius offensione, quàm cuiuscumque alterius vtilitatis, quæ à quacumque creatura nobis possit prouenire. *Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?*

Matt. 6.

17. CONSIDERA quanto aliter sentiant homines mundani, qui tam facilè Deum offendunt, quasi hoc nihil esset. *Et bibunt*, sicut dicit S. Iob, *quasi aquam iniquitatem.* Pudore suffundere, quòd sæpè pro re exigua, & nullius momenti Dominum Deum offenderis, quam potius detestari & maximo odio prosequi debuisses; & deplora perditionem mundi.

Iob. 11.

18. Disce nullum esse aliud malum, quod verè possit appellari malum, præterquam peccatum, quia cætera mala omnia, gratia Domini conuertere potest in bonum: atque ex illis magnas nobis vtilitates elicere: sed si fueris extra gratiam Dei, qua peccatum te spoliat, nihil tibi cætera pro-

proderunt, vt acceptus sis Deo, & in gratiam illius redeas, vt S. Paulus Apostolus ait. Aperi ergo oculos tuos, & scito, *quàm malum & amarum sit reliquisse Dominum Deum tuum & non esse timorem eius apud te.* Ier. 2.

19 Noli vanè præsumere de tua fortitudine, fuge occasiones peccatorum noli confidere in castitate tua præterita. Cogita te non esse sanctiorem Dauide, nec sapientiorem Salomone, nec fortiorem Sampsone Recordare quòd primus homo, quē Deus in Paradiso voluptatis collocauerat, per mulierem inde eiectus fuerit: noli tibimetipsi blandiri, quasi tentationibus restiturus sis, cùm sæpissimè expertus fueris, occasiones te prostrauisse ac superasse.

20. Pondera diligenter quod dicit, *mitti in ignem æternum.* Compara cum hoc tormento voluptatem, quam percipis in peccato, & laborem quem perfers in mortificandis passionibus tuis, & repellendis à te occasionibus, quæ te ad peccatum allicere possint, & nullus tibi esse videbitur. Nemo ausus esset peccare, si videret ante se fornacem, in quam certò se præcipitandū sciret, si peccaret: nec quisquam esset qui non libenter relinqueret quamcumque peccandi occasionem, si constitutus in periculo mortis, ea se vitam redimere posse, certum haberet. Faciat igitur idem in te fides, quam Deus tibi largitus est, & operetur non minus, quàm operantur in te sensus: quia maiorem certitudinem habet

ipsa in se, quàm omnes sensus simul.

21. *Bonum est ad vitam ingredi debilem vel claudum, vel vnum oculum habentem, quàm duas manus, vel duos pedes, vel duos oculos habentem, mitti in ignem æternum.*

Nemo intrabit in vitam æternam, nisi perfectus, & liber ab omni defectu: sed quando oportuerit te illuc intrare cum defectu aliquo, melius erit, ait Christus, esse in vita æterna cum defectu alicuius partis corporis, quàm integrum intrare in ignem æternum, vbi quantò integrior fueris, tantò magis ignis in te aget. Omnia tibi restituet Deus, quæ pro eo reliqueris, cum magno fœnore. *Centuplum*, vt ipse testatur, pro vnoquoq; tibi reddet. *Mensuram bonam, confertam, coagitatam, supereffluentem dabunt in sinum vestrũ.* Si pro Deo reliqueris amicos, habebis amicos Angelos & Sanctos in cœlis. Si reliqueris pro Deo diuitias, possidebis illos incõparabiles thesauros, qui numquam veterascunt. Si reliqueris voluptates carnis, reddentur tibi delitię cœlestes. Si dederis corpus tuũ corruptibile ad mortem, recuperabis corpus incorruptibile & gloriosum. Non ergò tibi sit molestum relinquere, quęcumque etiam pretiosissima, ne offendas Deum, qui tam magnificus est in rependendis, quæ pro amore ipsius relinquuntur.

22. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis: quia Angeli eorum in cœlis, semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.*

CON-

CONSIDERA quantum zelet Dominus honorem paruulorum, qui sui causa se humiliãt, & honores & diuitias huius mũdi contemnunt. Disce hinc relinquere propriũ honorem, & nõ esse sollicitus de illo, quando absq; scandalo potest fieri, & consignare illum in manus Domini, qui pro eo zelabit & curam tui geret quando expedire viderit. *Ego*, dicit Propheta Dauid, *tãquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones: quoniam in te Domine speraui.* *Iob. 7.*

23. CONSIDERA magnitudinem illius beneficij, quo DEVS nos ornauit, quòd nobis Angelos dedit, qui nos custodirent, quodque nobis creaturis abiectissimis nobilissimos spiritus ad nostri custodiam assignauerit, qui præter propriam nobilitatem, sunt ciues cœlestes & vident semper faciem DEI. *Domine quid est homo quia magnificas eum?* Benedictus & glorificatus sis Domine: quia tanti fecisti hominem, tam parum valentem. *Psal. 37.*

24. Pudore suffundere quòd nullã prorsus memoriam habueris huius beneficij: transigendo magnam partem vitæ tuæ, sine vlla eius consideratione. *Ego*, dicit Dominus, *quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachijs meis, & nescierunt quòd curarem eos.* Custodit nos Dominus, & vigilat atq; excubias agit pro nobis per Angelos, quibus nos commendauit, & etiam per semetipsum. Quòd autem illud nos *Osea 11.*

nihili faciamus neque consideremus, magna est ingratitudo.

25. CONSIDERA in quanta confidentia te oporteat viuere; quamuis enim crudelissimos & versutissimos habeas inimicos, videlicet dæmones: habes etiam Angelos qui te custodiant & defendant. *Noli timere*, dixit Propheta Hælisæus ad ministrum suum, *plures enim nobiscum sunt, quã cum illis*: & cùm orasset Deum vt aperiret oculos eius; vidit montem plenum equorum & curruum igneorum, in circuitu Helisæi, ad custodiendum & defendendum eum. Plus potest vnus solus Angelus, quàm mille acies hominum armatorum.

4.Reg. 6.

26. Pro custodia vnius ouilis ouium mitti solet vnus Pastor: sed si DOMINVS ouium vnicuique oui proprium daret pastorem, qui eam custodiret, quid diceres? Aliud nihil cogitare posses, quàm, vel ingentem esse fructum, quem Dominus ex ouibus illis perciperet, vel amorem excessiuum esse, quo ipsas complecteretur, quòd tantam earum curam habeat. Quid ergò dicemus, videntes Regem cælorum, tantam ouium suarum, hoc est, hominum curam habere, vt vnicuique pro custodia specialem largiatur Angelum? Ipse nullum ex illis fructum sperare potest, cùm sit Deus, nulla in re opera hominum aut rebus ipsorum indigens. Sequitur ergò excessiuum esse amorem, quo eos complectitur. Amem te amator meus, quia tantùm amasti me.

7. In-

27. Ingenti hac cura, quam gerit de te, declarat DEVS, anima mea, quantum detestetur peccatum, & quantum velit te illud execrari, atque ab eo tibi cauere, quia vt non peccares, dedit tibi Angelum, qui te custodiret. CONSIDERA prætereà, quàm ingens sit desiderium, quo salutem tuam sitit, cupitque vt ad gaudia cœlestia peruenias; cùm ad officium Angeli custodis pertineat, auxiliari tibi vt cœleste regnum adipiscaris. *Omnes namque sunt administratorij spiritus*, ait S. Paulus loquens de Angelis, *in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* *Hebr. 1.*

28. CONSIDERA ante cuius oculos pecces, & quid sentiat Angelus tuus tutelaris, quando te videt peccantem: cùm salutem tuam auidissimè desideret, quia traditus es ipsi à Deo in custodiam. Quomodo non erubescis nobilissimo & sanctissimo Angelo aspiciente peccare: cùm ex hominũ, qui æquè peccatores sunt vt tu, aspectu, sæpè rubore suffundaris: cur amicum fidelissimum, potentissimum & te ardentissimè diligentem, contristas? *Angeli pacis*, dicit Propheta Esaias, *amarè flebunt*. Angeli pacis sunt, qui nos custodiunt, qui pacem inter Deum & nos componere student, & quemadmodum de conuersione peccatorum gaudent, ita de illorum in peccatum lapsu, eorum specialiùs qui curæ suæ commissi sunt, vehementer dolent. *Esa. 33.*

29. *Ecce ego*, dixit Dominus ad populum suum Israëliticum, *mittam Angelum meum*, *Exo. 23.*

qui præcedat te & custodiat in via, & introducat in locum quem præparaui, obserua eum & audi vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet cùm peccauerit & est nomen meum in illo. Quòd si audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.

Ecce hîc habes descriptum, anima mea, officium Angeli custodis tui. Ille te præcedit, docens te viam vitæ, occasionesque & offensiones, quas tu sæpè non præuides nec intelligis, submouens. Quoties putas contigit, quòd inimicus tuus tibi in via per quam pergebas, tam oportuno loco tetendit insidias, vt eas nullo pacto euitare, atq; manus eius euadere potuisses, nisi Angelus tuus custos tibi præsidio fuisset, teque per aliam viam duxisset. Ipse est qui te custodit in via, vt si offenderis non cadas, & si cecideris, supponit manum suam ne pereas. Ipse est, qui te deferet in locum, à Deo tibi pro meritis præparatum; vti ex anima pauperis Lazari, quæ ab Angelis in sinum Abrahæ delata fuit, manifestum fit. Per illum reprehendit te Deus de erroribus tuis, & sæpè castigat, monetque vt ad meliorem frugem redeas. Redarguit Angelus Domini filios Israel de ingratitudine, & fuit tantæ efficaciæ reprehensio illius, vt eleuauerint vocem suam & ita peccata sua defleuerint, vt vocatum sit nomen loci illius, locus flentium siue lachrymarum: propter magnitudinem planctus.

Iud. 2.

ctus. CONSIDERA num te oporteat illum ſpernere, qui talibus erga te officijs vtitur.

30. Recordare ſimilitudinis illius, quam propoſuit Chriſtus apud Lucam de homine, qui arborem fici habebat in vinea ſua, in qua cùm tribus annis fructum quæſiuiſſet & non inueniſſet, dixit ad cultorem vineæ, vt ſucciderret eam: cui ille reſpondit, dimitteret illam & hoc anno, vſque dum foderet circa illam & mitteret ſtercora; ſin autem his peractis non faceret fructum, in futurum ſucciderer illam. CONSIDERA quoties idem officium circa te fecerit Angelus cuſtos: cùm Deus offenderetur ex ſterilitate tua, videretque te inutilem eſſe in vinea ſua, & locum vnius boni occupare. Time igitur tibi ſi poſt diligentiam, qua circa te vſus eſt S. Angelus, nihilominus manes infructuoſus & inutilis. Luc. 15.

31. *Angeli eorum*, dicit Chriſtus de iſtis puſillis, *ſemper vident faciem Patris mei*. CONSIDERA quemcumque hominem quantumlibet pauperem & contemptum, apud ſe habere aulicum aliquem cœleſtem, qui ſumma cum vigilantia cuſtodiæ illius inuigilat, & aſſiduè curam illius gerit: ex qua conſideratione fiet, vt neminem audeas contemnere: quis enim aſpernetur eum, quem Deus tanti æſtimat, vt Angelum cuſtodem ei aſſignauerit.

32. Si Angeli non dedignantur inſeruire nobis, cùm ſint creaturæ nobiliſſimæ, nos

verò vilissimæ: quomodo dedignaberis tu seruire pauperi & infirmo, quos tibi Deus expressit, & luculentis verbis commendauit? O homo superbe, quousque ascendet superbia tua? Angelici spiritus sese humiliant sub te, & tibi seruiunt: & tu non vis te humiliare sub Deo, qui præcipit vt diligas fratrem tuum, illumque omni tempore in necessitatibus suis adiuues?

33. CONSIDERA, quàm gloriosum futurum sit, intueri semper in cœlis faciem Patris cœlestis, in quo consistit vera beatitudo. Ad hunc autem finem Deus te creauit. Dole igitur atque ingemisce, quòd videas te relegatum esse in hanc vallem miseriarum, inter bestias: & desidera socius esse Angelorum, vt in eorum societate contemplari possis faciem Patris cælestis. O Deus meus, quando videbo te! O gloria mea, quando gaudebo de te! O bonum meum infinitum, quando possidebo te!
Psal. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* O Angeli sancti, qui propter amorem quo flagratis erga Deum, non dedignamini nobis pusillis inseruire, nostrique custodiam agere, compatimini exilio nostro, & apud Deum pro nobis intercedite, vt simul vobiscum mereamur videre faciem Patris cœlestis, & in vestra societate eum in cœlis laudare per infinita sæcula sæculorum. Amen.

IN FESTO S. LVCÆ EVANGELISTÆ.

REQVIRANTVR IN festo sancti Marci Euangelistæ.

EVANGELISTÆ. IN FESTO SS. SIMONIS ET IVDÆ APOSTOLORVM.



ÆC mando vobis, dicit Dominus discipulis suis, *vt diligatis inuicem.*

O mandatum tali legis latore dignum: quid aliud oportebat eum præcipere, qui amore nostri de cœlis in terram descendit,

&vitam suam pro nobis expendit, nisi vt diligeremus inuicem? Erubesce, quòd in hoc præcepto, expressissimis verbis à Domino tibi commendato, adimplendo, hactenus tam negligens extiteris. Enitere igitur totis viribus, vt illud adimpleas. *Nos scimus*, dicit Discipulus ille quem diligebat Iesus,
Ioan. 3. *quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.*
Ioan. 4. 2. *Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* dicit Apostolus S. Ioannes.

Noli falli. Fieri non potest vt habitet in te amor Dei, si alienus fueris ab amore proximi. Si autem diuino amore cares, miser & infœlix cùm sis, quomodo boni aliquid existere in te potest? Proba hac coticula & hoc lapide Lydio amoris proximi, aurum diuini amoris, & certò tibi persuade, non esse Dei amorem, qui te non incitat ad amandum proximum, nec aurum verum, sed
Ioan. 4. adulterinum. *Si enim quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est*, testante eodem Apostolo.
Ioan. 3. 3. *Filioli mei*, dicit S. Ioannes Apostolus, *non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas DEI manet in eo?*

En tibi alium lapidem Lydium, ex quo cognoscere possis vtrum amor, quo proximum complecteris, sit verus: non est otiosa cha-

ſa charitas, nec ignis eſt verus ſi non calefaciat. Expende ergo num ex animo ſentias neceſſitates proximorum tuorum: num gaudeas de bonis & proſperitatibus eorum: num diligens & ſolicitus ſis in adiuuandis pauperibus; in viſitandis & conſolandis infirmis, eorumque indigentia, ſi neceſſe habent, ſubleuanda. In his conſiſtit probatio amoris tui: vbi illum in his probaueris, denuò, & multò quàm antè feruentiùs in operibus charitatis te exerce, vt confirmetur in te amor, & maius indies augmentum accipiat.

4. *Si mundus vos odit ſcitote quia me priorem vobis odio habuit*, dicit Dominus.

Iſti ſunt fructus huius mundi: odia, rancores, inimicitiæ, inuidiæ, detractiones, calumniæ, cupiditas, vindictæ, & ſitis ſanguinis proximorum, eorum maximè, quos ob inſignem virtutem, ſibi præferri vident: denique, *totus mundus in maligno poſitus eſt. In hoc manifeſti ſunt filij Dei & filij Diaboli*, dicit S. Ioannes. *Omnis qui non eſt iuſtus non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum: quoniam hæc eſt annunciatio quam audiſtis ab initio, vt diligatis alterutrum. Non ſicut Cain qui ex maligno erat, & occidit fratrem ſuum: quoniam opera eius maligna erant, fratris autem eius iuſta, nec poterat patienter videre, quòd Deus ſibi complaceret in operibus fratris ſui, & non in ſuis.* Scito ergò, ſi regnat odium in corde tuo, te eſſe de hoc mundo; & ex diabolo, non autem ex Deo. 1. *Ioan.*

5. Mun-

5. Mundus odit bonos, quia non sequuntur leges ipsius: nam virtutes eorum, prauos eius mores argúunt & condemnant. Impij in libro Sapientiæ inquiunt:
Sap. 2. *Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.* Statue igitur quotidiè apud te soli Deo militare, non mundo: & nihili pende mundi oblocutiones, etiamsi te persequatur & derideat, propter tuam recollectionem, virtutum studia, honestatem, temperantiam, frequentationem Sacramentorum & mortificationem. Si enim sapiens fueris, odio & persecutione mundi gloriaberis.

6. Quid potest sperari de eo qui odio habet filium Dei? Quod maius scelus, quæ profundior cæcitas? Quâ ratione potest apertiùs conuinci, quàm falsa sint mundi iudicia, quàm quòd Christum, qui propter eximiam perfectionem & sanctitatem omni amore, honore, & æstimatione dignissimus erat, odio habuerit? Quis cupiat diligi ab eo, qui odio prosecutus est Iesum Christum? Quis optet in pretio haberi, ab eo, qui contempsit Christum, & illum crucifixit veluti latronem, constituitque opprobrium hominum, & abiectionem plebis?

7. Hæc consideratio faciebat, vt sancti Apostoli gauderent, cùm persequerentur
[Act.] 5. & contemnerentur è mundo. *Ibant gauden-*

tes, dicitur de ipſis in Actis Apoſtolorum, *à conſpectu conſilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati.*

8. Cur triſtaris & moleſtè fers quando contemneris & iniurijs afficeris à mundo? Recuſas eſſe membrum Chriſti, ſi non vis per eam ſemitam, per quam Chriſtus, caput tuum ambulauit, & ipſe ambulare. *Mihi autem abſit*, dicebat S. Paulus Apoſtolus, *gloriari, niſi in Cruce Domini mei Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Ille me contemnit & odio habet, quia prædico Chriſtum, & de illorum numero qui eum ſequuntur ſum, & ego viciſſim aſpernor & odio habeo ipſum, quia ſoli Chriſto militare, & eius caſtra ſequi cupio. Gal. 5.

9. Chriſtus odio habitus fuit à mundo. Ama tu illum. Deſidera illum ab omnibus amari & adorari, vt verum Dei filium & Redemptorem humani generis, veras diuitias & gloriam noſtram: qui quamuis Iudæis propter malitiam ipſorum *ſcandalum*, & *Gentibus qui non crediderunt in eum* propter vanam & ſtultam ſapientiam ipſorum, *ſtultitia fuerit: his tamen qui ſaluantur*, & quis ſit agnoſcunt, *Dei virtus & ſapientia eſt.*

10. *Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret: quia verò de mundo non eſtis, propterea odit vos mundus.*

Time quando vides te à mundo honorari: cùm, vti Chriſtus ait, mundus amet

quod suum est. Illi verò qui de mundo sunt, non habeant partem cum Christo. *Moyses*, dicit S. Paulus, *grandis effectus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Si serui Dei ante Christi aduentum tales extiterunt, cur nos sectabimur honores, delitias, & voluptates huius mundi, qui nouimus quomodo mundus Christum tractauerit, & intelleximus etiam vocem Christi dicentis: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum & sequatur me?*

II. CONSIDERA quàm falsus sit amor huius mundi: qui blandiendo decipit, qui exaltat vt fortiùs deijciat, qui mendax est in promissionibus suis, inconstans in honoribus, stultus & amens in iudicijs; & demum omnia quæ dare potest, mors tollit, quæ, quando minimè cogitamus, nos aggreditur. Audi quid diuiti, qui multas sibi opes cumulauerat, illisque iam frui cogitabat,
Luc. 12. dictum fuerit: *Stulte hac nocte animā tuā repetunt à te, quæ autē parasti, cuius erunt?* Odio habuit mundus Apostolos & Martyres Christi, & maiora illis bona
Psal. 138. contulit odiendo, quàm potuisset tenerrimè diligendo. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus.* Honorati apud Deum in cælis, & honorati apud homines in terra; nam eorum ossibus etiam & cineribus Reges, & potentes huius mundi, hono-

tem genubus flexis deferunt.

12. *Quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus.* Fœlices qui possunt dicere se non esse de hoc mundo: qui quæ mundi sunt non approbant; quibus denique mundus cum omnibus ad se pertinentibus fœtet.

CONSIDERA diligenter num sis de mundo. Examina desideria cordis tui, & vide num in mundi vanitatibus versentur: num honores quæras, num in laudibus hominum tibi placeas: num commoditates carnis diligas: num diuitijs & opibus acquirendis inuigiles. Et da operam, vt te ab omnibus quæ mundi sunt explices, quia quando de te dici poterit, te non esse amplius de hoc mundo, tum incipies possidere Iesum Christum cum incomprehensibilibus thesauris ipsius. Et mortuus mundo, erit *vita tua abscondita cum Christo in Deo.*

13. *Mementote*, dicit Christus, *sermonis mei, quem ego dixi vobis. Non est seruus maior Domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt.*

CONSIDERA te sine caussa dolere de iniurijs illatis, & dicere quod sine vlla tua culpa tibi inferantur. Dic mihi: Christus quam culpam habuit? Si comparaueris innocentiam tuam cum innocentia Christi, nulla tibi videbitur. *Non est seruus maior Domino suo.* Cessent igitur querelæ

tuæ, considerans Christum innocentissimum, vti malefactorem morti adiudicatum, & cruci affixum fuisse.

14. Quare inflaris? Cur cristas erigis? Cur superbia intumescis serue nequam & improbe, cùm videas Dominum tuum humilem & abiectum? Quid est hoc? *Nunquid seruus maior est domino suo?* Væ illis qui cùm sint domini in hoc mundo, non agnoscunt se alium habere dominum maiorem, & omnia iuxta voluntatem suam, nullâ habitâ ratione diuinæ voluntatis, fieri volunt. Non perferunt in ministerio suo vel minimam negligentiam: de diuino autem seruitio nihil solliciti sunt.

15. Noli despondere animum, si animarum salutem curando, non tantum fructum percipis quantum velles.

CONSIDERA Christum etiam prædicasse, & paucos sermonibus illius fidem adhibuisse: quantumlibet boni & diuini sint sermones tui, nunquam tamen erunt tales
Ioan. 6. quales Iesu Christi, quia verba vitæ æternæ habebat: de quo etiam ipsi inimici
Ioan. 7. eius testimonium perhibuerunt, quod nunquam sic locutus sit homo. Dole anima mea, quòd non recipiantur verba Christi, & quòd cælestis doctrina ipsius, tam exiguum in hominibus fructum faciat. Tu verò auidissimè illa suscipe, & dic cum Propheta:
Psal. 118. *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* O quàm excellens antidotum sunt hæc ad corroborationem cordis.

16. *Sed hæc omnia facient vobis,* dicit Iesus

sus Christus, *propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me.*

Benedictus sis tu Rex gloriæ, cuius nomen mundus ita horret, vt etiam eos, qui illud prędicant, persequatur. O nomen quod est super omne nomen! O nomen, ad cuius sonitum Angeli in genua procidunt, & dæmones contremiscunt! O nomen, quod solum nobis datum est, vt per illud redemptionem & salutem animarum nostrarum consequamur. Virtute huius nominis infirmi à suis ægritudinibus curabantur, cæci illuminabantur, leprosi mundabantur, dæmones è corporibus hominum fugabantur. Virtute huius nominis resuscitabantur mortui, & tamen mundus ingratus persequitur eos, qui nomen hoc prædicant: sed hęc est gloria boni Christiani, pati pro nomine Domini Iesu Christi. *Si exprobramini in nomine Christi*, ait S. Petrus Apostolus, *beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & quod est eius spiritus super vos requiescet. Nemo autem vestrûm patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine*, quia contulit ei tantam gratiam quòd non solùm crederet in eum, sed quòd etiam pateretur pro nomine ipsius. *1. Pet. 4*

17. Honora anima mea nomen hoc benedictum; venerare & ama illud, dilige etiam omnes qui hoc nomine censentur. Cogita fratrem tuum Christianum esse, & por-

portare in fronte sua sculptum nomen Christi, quod in Baptismo accepit, & in quem credit. Dilige nomen hoc ex intimis visceribus tuis, & insculpe illud cordi tuo. Noli contemnere pauperem, à te eleemosynam in hoc nomine postulantem. Rumpatur duritia cordis tui, & emolliantur viscera tua, auditu sanctissimi huius nominis. Et quia Pater cælestis libentissimè omnia, quæ in hoc nomine petuntur, donat: fac tu idem, & noli parcus esse in dando: cùm ne vnum quidem poculum in hoc nomine datum, futurum sit sine remuneratione.

18. *Quia nesciunt eum*, dicit Christus, *qui misit me.*

Benedictus Dominus qui nos illustrauit cognitione suæ diuinæ maiestatis, & eruens nos *de tenebris, vocauit in admirabile lumen suum.* Dole atque ingemisce de ignorantia Dei quę est in mundo, in quo sunt plurimi, qui erroribus infidelitatis inuoluti, eum non agnoscunt, & inter fideles non pauci qui eum in operibus suis ignorant, dum viuunt quasi eum non agnoscerent. Roga Dominum, vt illuminet tenebras horum cæcorum.

1. Pet. 2.

19. *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*, id est, non me cognoscendo: *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

Quam excusationem prætendes ante Deum peccator, post tam copiosam acce-

ptam lucem & cognitionem Dei, boni-
que & mali: post innumera amoris signa
à Deo tibi exhibita & demonstrata: post
denique clarissima virtutum exempla, quæ
tum in Christo, tum in Sanctis eius re-
splenduerunt? *Quid faciam*, dicebat S. Iob, Iob. 27.
*cùm surrexerit ad iudicandum Deus, &
cùm quæsierit quid respondebo illi?* Et tamen
Christus tunc nondum in mundum vene-
rat, nondum prædicauerat, nondum cruci
affixus & mortuus fuerat pro hominibus.
Post hæc omnia ergò quid respondebis?
Et quando Dominus venerit ad repeten-
dam à te rationem omnium dictorum,
factorum & cogitationum, & propo-
suerit tibi ingratitudinem & obliuionem,
quâ beneficijs eius respondisti, quid di-
ces?

20. *Qui me odit, odit & Patrem meum.*
Pater misit Filium, vt instrueremur & sal-
uaremur per ipsum. Qui doctrinam eius
non suscipit, nec ea vtitur ad profectum
& salutem suam, iniuriam facit Chri-
sto Saluatori, & Deo Patri qui eum
misit.

CONSIDERA igitur quem contemnas,
quando peccatum aliquod admittis: &
non modò contemnas, sed etiam odio
habeas: quia illum eijcis à te, & pate-
facis portas inimico eius, videlicet diabolo,
qui perpetuo Dei odio flagrat; castrisque
Dei relictis ad illius castra te confers, &
bellum Deo indicis. O te ingratum!
O omnis

O omnis beneficij immemorem! O Turcam! O ipsis bestijs immaniorem! qui odio habes Christum, qui te dilexit ab omni æternitate.

31. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, id est, non peccarent in eo, quod me non cognoscant & non credant in me. *Nunc autem, & viderunt, & oderunt & me & Patrem meum. Sed vt adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.* Christus & verbis & operibus demonstrauit quis esset: nemo ante ipsum talia opera fecit. Prophetæ quidem nunquam miracula perpetrarunt, rariùs tamen, & non cum ea authoritate, quâ Christus ea faciebat, vtpote qui esset verus Deus: Christus ergo, vt testaretur se illum esse, quem se esse prædicabat, nempe verum Dei filium, & vt doctrinam suam confirmaret roboraretque, miracula edidit.

CONSIDERA quàm clarè demonstrauerit Christus verbis & operibus se esse verum Dei filium: & fidem tuam testimonijs tam claris & apertis robora: & confidentiam auge, cùm habeas talem Dominum & Saluatorem.

22. Testare verbis & operibus te esse verum discipulum Iesu Christi. &, vt S. Iacobus ait, *Ostende fidem tuam, ex operibus, quia non omnes qui dicunt, Domine, Domine*, sed qui faciunt ea quæ præcipit Christus, sunt veri eius discipuli. *Iacob. 2.*

23. CON-

23. CONSIDERA, quantopere excæcet hominem malitia: cùm enim talia & tanta essent opera Christi, Iudæi ex illis non modò non voluerunt ipsum agnoscere & suscipere pro Dei filio: sed etiam odio habuerunt eum. *Excæcauit illos*, dicit diuina Sapientia, *malitia eorum*. Noli tolerare, vt in te vlla malitia radices agat, ne cor tuum peruertat. Sap. 2.

24. Odio habitus fuit Christus gratis, & non modò gratis, sed etiam cõtra omnem rationem, iniquè & malitiosè. *Multa bona opera*, dixit aliquando Christus ad Iudæos cùm vellent eum lapidare, *ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis*? An quia visum restitui cæcis vestris? An quia curaui infirmos vestros? An quia dæmoniacos à potestate dæmonis liberaui? An quia mortuos resuscitaui? An quia ignorantiam vestram doctrinâ meâ depuli? An quia vobis optatum nuncium de regno cælorum & Euangelio attuli? An quia vos ad iugum meum suaue & onus leue, & à lege grauissima & intolerabili, ad solatium, requiem, & libertatem, per remissionem peccatorum, & cum Deo reconciliationem, inuitaui? An quia ad vos saluandos, redimendos, & ducendos ad regna cœlestia, de cælis descendi? variasque rationes iniui, plurimos etiam labores & molestias pertuli, vt vos eò perducerem? Ioan. 1.

25. CONSIDERA quàm sine caussa, &

contra omnem rationem pecces, & offendas Deum. *Quid inuenerunt patres vestri,* aït Deus ad filios peccatorum, *in me iniquitatis, quia elongauerunt à me?* Si magni sceleris est, quòd filius offendat patrem, seruus dominum, & qui beneficium accepit, benefactorem suum: quanti sceleris erit eum offendere, in quo omnes istę obligationes & infinitæ aliæ plures eminentissimè concurrunt?

Hierem. 2.

26. CONSIDERA diligenter, quàm multæ quamque insignes nobis causę sint, propter quas Deum diligere, atque illi seruire debeamus; tum propter seipsum & suum supremum esse, propter quod infinitè amari dignus est; tũ propter ea quæ nobis contulit. Discurre per omnia beneficia, tam generalia quàm particularia, & inuenies quoddam pelagus tam profundum & immensum, vt quâ parte ingredi debeas, ignores; putabisque te nec diligere Deum, nec vires habere ad eum amandũ eique seruiendum, cui tam innumeris titulis obligatus es. Hinc agnosces quàm rectè dicat lex, quæ de amore lata est; *Dilige, Dominũ Deũ tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis,* quia nec hominis, nec Angelorum vniuersa potentia simul coniuncta, sufficiens esset ad satisfaciendum vel minimę obligationi, quâ obligati sumus ad diligendum Deum. Si autem hæc lex lata fuit antequam Deus homo fieret, & mortem pro nobis miseris peccatoribus oppeteret, post hæc omnia, quas-

quantum tibi laborandum est, vt ei satisfacias? O gloria mea! O refugium meum! O consolatio mea! O bonitas infinita! O Pater mi! O benefactor mi! amem ex ex toto corde meo, amem te ex omnibus viribus meis: langueam amore tui: deficiat anima mea amore tui: seruiam tibi totis viribus meis & faciam semper voluntatem tuam, nunc, & per omnia sæcula sæculorum, Amen.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.



Idens Iesus turbas, ascendit in montem: & cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius: & aperiens os suum, docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.

Excitare anima mea, & attentis auribus ausculta Magistrum hunc eximium, de cælis missum, vt doceret te viam ducentem ad cœlos. Et in hoc sublimi sermone, quem prædicauit in monte, nota diligenter, non tantùm ea quæ dicit, sed etiam omnes circumstantias, quas S. Euangelista non sine ingenti mysterio speciatim

 expres-

expressit. *Videns*, dicit, *turbas*. Gaudebat Redemptor mundi, quòd tam copiosam hominum multitudinem in deserta loca ad audiendos sermones suos se sequentem cerneret: sed vehementer dolebat, quòd paucissimi inter eos debitam haberent dispositionem ad fructum, quem ex eius sermonibus capere potuissent ferendum, requisitam. *Multiplicasti gentem*, dicit Propheta Esaias, *non magnificasti lætitiam*. Videbat turbas, sed ita, vt simul corda eorum penetraret: & conspiceret alios irretitos esse reti concupiscentiæ bonorum temporalium, alios verò reti voluptatum carnis; alios denique reti superbiæ vitæ. Et quamuis aliqui inter illos essent dispositi ad communium præceptorum perceptionem, non tamen dispositi erant ad audiendam doctrinam perfectionis: & ideò ascendit in montem cum discipulis. Vide an sis de turba, & an ambules per semitam latam, quæ ducit ad mortem, per quam graditur multitudo: an verò de paucis, qui per semitam vitæ angustam ambulant.

2. Sanctus Ioannes dicit, se vidisse *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus, & populis & linguis, stantes ante thronum in conspectu Agni, amicti stolis albis & palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro qui sedet super thronum, & Agno.* Apoc. 7.

Sed Considera quanta differentia sit turbæ à turba.

à turba. Hi erant in mari, isti in portu. Hi multis maculis contaminati, illi vestibus albis vestiti. Hi versabantur adhuc in prælio vulneribus multis confecti, incertique de exitu belli, illi palmas victoriæ manibus gestant. Hi quærebant & postulabant salutem suam, illi gratias Deo referunt & Agno, pro salute quam per Agnum obtinuerunt: & denique hæc turba turbatur, illa verò turba ab omni turbatione libera est. O fœlicissimam beatorum sortem & conditionem! *Sancti tui Domine benedicent te: gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam* & gratiam, per quam à periculis huius vitę liberati & ęternam gloriam adepti sunt, *loquentur*. *Psal. 1.*

3. Ascendit in montem, quia non benè conueniunt, prædicare & docere sublimia, & iacere in profundo vitiorum & imperfectionum. *Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion*, dicit Propheta Esaias. Et tu anima mea sequere supremum hunc Magistrum, & relictis imperfectionibus tuis, desiderio vt minimum, ascende montem perfectionis, vt incipias esse verus discipulus altissimæ huius doctrinæ. *Esa. 40*

4. Ascendit in montem, vt doceret te, quàm difficulter addiscatur doctrina perfectionis, nisi quis se ab hominum commercijs & occasionibus huius mundi segreget. Quod incipientibus tam necessarium est, vt nisi ex speciali Dei dono id fiat, vix vnquam possint intelligere hanc doctri-

nam inter tumultus & consortia hominum.
Osee 2. *Ducam eam in solitudinem*, dicit Dominus, *& loquar ad cor eius.*

5. Sedit Christus, vt ascensu suo in montem, repræsentaret tibi sublimitatem suæ diuinitatis: & sessione suâ, humilitatem incarnationis, per quam se humiliauit & fragilitati nostræ accommodauit, locutusque est nobis nostrâ linguâ, vt possemus ipsum intelligere. Et quia anteà, cùm legem daret populo Israelitico, in tonitruis & fulgetris locutus fuerat, populumque exterruerat: nunc loquitur sedens admiranda cum mansuetudine, corda auscultantium benignis verbis demulcens. Glorifica ergo anima mea altitudinem maiestatis summi huius magistri, & lauda dispensationem sanctissimæ incarnationis ipsius, per quam factus homo *in terris visus, & cum hominibus* familiarissimè ac mansuetissimè *conuersatus est.* Bar. 3.

6. Sedet tanquam magister in cathedra sua, quia Pater æternus hunc ei gradum contulerat, & docebat veluti habens authoritatem & potestatem magistri, non sicut Scribæ & Pharisæi. *Filiæ Sion exultate & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ.* Gloria sit Deo, qui talem nobis doctorem & magistrum dedit.

7. Sedit, quia sedatissimè & quietissimè cum magna attentione instructioni animarum inuigilandum est: cùm hoc sit vnum ex præcipuis muneribus, ad quæ Prælati tenen-

tenentur. Væ illis qui magna in requie comedunt & bibunt, genio suo indulgent, voluptates & solatia sectantur, & temporalium tantummodo rerum curam gerunt: quæ verò ad animarum instructionem pertinent, quasi aliud agentes, faciunt. Sede anima mea, & ausculta in tranquillitate verba vitę ęternę, & pone illa in corde tuo. Quia *beatus homo, cuius in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditatur die ac nocte.* *Psal. 1.*

8. Videntes discipuli Christum consedisse, accesserunt ad eum. intelligebant enim quòd vellet docere illos. Væ illis qui recusant audire verbum Dei, quique cùm ex mundanis verbis summâ voluptate afficiantur, molestiam ex auditu verbi Dei patiuntur. Accede tu ad audiendum Dei verbum ingenti cum desiderio, & animo prompto & parato, exequendi omnia quæ Christus te docuerit. *Audi filia & vide* quid dicat Pater & Magister tuus, *& inclina aurem tuam* ad verba eius, quæ sunt verba vitæ.

9. *Et aperiens os suum, docebat eos.*

Hic Dominus aperuerat ora Prophetarum & per illos docuerat populum suum; sed nunc aperit os suum, & nos instruit per semetipsum. *Ego ipse qui loquebar*, dicit Deus per Esaiam Prophetam, *ecce adsum*, & loquor vobis per memetipsum. *Esa. 52.* Hæc est vox quam desiderabat audire sponsa. Hoc est osculum oris sui, quo desiderabat osculari. Beati qui merentur audire

verba illius diuini oris. Beati etiam, qui verba ex hoc ore profecta, debito honore venerantes, toto ſtudio & totâ animi contentione illa cuſtodire & perficere contendunt.

10. Aperuit os ſuum, quia erant in pectore illo diuino omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi, ideoque opus non habebat, præmeditari quæ dicturus eſſet, ſed aperiendo os ſuum, dicebat quæ volebat. Aperi tu ſimiliter os tuum, & ea quę Deus te docuit, doce proximum tuum. *Sapientia abſconſa & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque?* ait Sapiens. Sed operam da, vt tu priùs ſis plenus; quia ex *abundantia cordis os loquitur. Diſce*, dicit Sapiens in Eccleſiaſtico, *antequam loquaris.*

Eccl. 20.

Eccl. 20.

11. Aperiendo os ſuum docebat eos, quia tacendo inſtruebat eos exemplo ſuo. Eodem modo debemus nos ſemper erudire & docere proximos, vt ſimus, quemadmodum S. Paulus ait, *Chriſti bonus odor in omni loco. Omnes qui viderint eos*, ait Propheta Eſaias de veris & legitimis Chriſtianis, *cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.*

12. Aperuit os ſuum, tanquam qui rarò loqueretur: & quando loquebatur, non verba in ventum ſeminaret. De homine loquace nunquam tacente: non cùm aperit os ſuum; ſed cùm illud claudit & tacet, dicimus illum memorabile aliquid agere. De fatuis dicit Sapiens, quòd in ore eorum

rum ſit cor eorum, quia ſine moderamine omnia proferunt, quæ illis in buccam veniunt: de ſapientibus verò, quòd in corde eorum ſit os illorum, quia quæ dicturi ſunt, bene priùs expendunt. CONSIDERA igitur quando loqueris & quando aperis os tuum, vt hoc conſideratè ac prudenter facias. Et pudore ſuffundere, quòd os tuum ſæpè ad Dei & proximi offenſionem aperueris. Eccl. 21

13. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.*

Animaduerte vnde incipiat cæleſtis Magiſter. Beatos appellat mundus, diuites & potentes, ſed opinionem hanc reprobat Dei ſapientia. Beati qui explicant corda ſua à curis rerum terrenarum, & à graui ſarcina bonorum temporalium ſe exonerant, vt tanto leuius poſſint perambulare viam vitæ, & ſcalam cæleſtem aſcendere. Qui altum aſcendit, relinquit inferiora. Cùm beatitudo noſtra in cælis ſit, neceſſarium erit eò aſcendere, vt eam adipiſcamur. Primus autem gradus ad aſcendendum eſt, pedes à terra leuare. Pauper ſpiritu eleuat cor ſuum à terra, vt cælos aſcendat, ideoq́ue Chriſtus rectè incipit beatitudines à paupertate. CONSIDERA, num ſis pauper ſpiritu: ſi non es, cùm hic ſit primus gradus ſcalæ cæleſtis, labora vt ſis; & in hoc gradu primum pedem ponas.

14. Spiritus est necessarius ad contemnenda visibilia, & desideranda inuisibilia: ad odienda terrena, & amanda cælestia: sensus nutriuntur præsentibus, sed spiritus futurorum contemplatione pascitur. Roga igitur Christum Dominum, vt tibi largiatur Spiritum suum, qui te faciat pauperem: scito etiam omnia quæ te ad terrena trahunt, non à spiritu, sed à carne existere.

15. Si pauperum est regnum cælorum, quis diuitias terrenas cum cælestibus, & temporales cum æternis non libenter commutet? Si paupertas te terret, addat tibi animum Regnum cæleste & æterna beatitudo. Quis non libenter vnâ die pauper esse cupiat, vt posteà totâ vitâ diues sit? Cùm vita hæc nihil aliud quàm punctum sit, si æternitati comparetur, tua paupertas, si fueris pauper spiritu, erit momentanea, beatitudo verò tua æterna.

16. Pauperes spiritu sunt humiles, qui cognoscentes oculis spiritus semetipsos, nihil in se reperiunt laude dignum. *Substantia mea tanquam nihilum ante te*, dicebat Propheta Dauid Deo. Hi sunt qui ambulant semper in timore ante Dominum, trementes & flentes coram illo, orantes vt paupertati eorum medeatur: qui cùm intelligant omne bonum illorum à DEO proficisci, fiduciam suam in nullo alio, quàm in ipso collocatam habent. Sis ergò humilitatis sectator & amator: quia porta

cæli humilis est, quæ est Christus; & nemo eam ingredi potest, nisi valdè se humiliet.

17. *Beati mites: quoniam ipsi poßidebunt terram.*

Regna ex hominum tyrannide initium acceperunt: nam illi qui cæteris ferociores & potentiores erant, aliorum sibi dominium vsurparunt: Qui autem norunt his resistere seque defendere, liberè viuunt in terris. Sed regnum cælorum, id est, terra viuentium, non acquiritur tyrannide, nec iniuriarum vltione: sed patientiâ & mansuetudine. *Non saluabitur Rex per multam virtutem: & Gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutem*, dicit Propheta Dauid. Vanum est putare quempiam ingressurum esse regnum cæleste contra voluntatem DEI, per violentiam: soli enim masuetudini & benignitati patefiunt & reserantur portæ illius. Sis ergò mansuetus, patiens, & facilis ad condonandas iniurias, & beatus eris. *Psal. 32*

18. Mansueti etiam in hac vita terram possident. Cùm enim nulli iniuriam inferant, neminem timent, viuunt sine suspicionibus & metu; cumque nihil sit quod magis hominem consumat, quàm ira & rancor: masueti possident etiam terram corporis sui, viuentes semper in lætitia & quiete. *Animus lætus*, dicit Sapiens, *facit ætatem floridam: spiritus autem tristis exsiccat ossa.* Erubesce de tua *Prou. 17.*

exigua mansuetudine, & roga Dominum, vt te faciat mansuetum corde.

19. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

Defleri debent peccata contra Deũ commissa, tam propria quàm aliena: & perditio animarum, quæ vel Dei notitiam nunquam perceperunt, vel à diuino seruitio desciuerunt: defleri debet hoc exilium, in quo innumeris periculis expositi sumus; vbi de salute nostra, cui nihil anteferre debemus, singulis penè momentis periclitamur. Nam si mala nostra, vti par est, sentiremus, nihil inueniremus in hac vita, ex quo non inuitaremur ad plorandum: vbi mali iam lapsi sunt, & boni in continuo cadendi discrimine versantur: vbi vitia dominantur, & virtutes, quasi abiectæ ab omnibus negliguntur: vbi mali florent, & omnia quæ animo collibita fuerint, agunt; boni autem opprimuntur, & persecutionibus agitantur: vbi denique à patria & à Deo
Psal. 41. Patre nostro exulamus. *Lachrymæ meæ fuerunt mihi panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus?* CONSIDERA igitur quantæ tibi caussæ sint ad lachrymandum: & comprime hac consideratione vanam in te lætitiam, ac potius in continuis fletibus vitam transige, ita vt ex nulla re solatium capias in hac vita, quàm quòd Deo seruias.

20. Contemplare, qualis futura sit illa

con-

consolatio, quâ Deus consolabitur suos, & absterget lachrymas ab oculis eorum. *Ego ipse*, dicit Dominus, *consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini.* Fœlices lachrymæ, quæ à tali Domino abstergendæ sunt. Fœlix tristitia, quæ tali consolatione reficienda est.

21. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Non solùm Deus à te iustitiam exigit, sed etiam vt in ea quotidie crescas. hoc enim est esurire & sitire iustitiam.

CONSIDERA quanto ille, qui famelicus aut sitibundus est, cibi aut potus desiderio flagret: & eodem cum desiderio tu virtutem & iustitiam esuri & siti, vsquedum ita eâ explearis, vt dicas; Satur sum. Detestatur Deus omnem tepiditatem, negligentiam, pigritiam, & oscitantiam in suo seruitio. Si enim diuitiæ terrenæ ab hominibus mundanis, magna cum auiditate & desiderio quæruntur: quanto maiori cum desiderio quærendæ sunt diuitiæ cælestes? Excita ergò in te appetitum & famem, ac prouoca in te sitim horum bonorum; nam hic cibus cum appetitu manducari debet.

22. Satietas promittitur esurientibus & sitientibus iustitiam: eâdem enim iustitiâ, quæ Deus est, satiabuntur. *Satiabor*, ait Propheta, *cùm apparuerit gloria tua.* O qualis erit illa satietas, quæ sine fastidio futura est: vbi omnes qui vident, desiderabunt illum semper videre, nec tamen vi- *Psal.*

ſio diſiderium illorum tollet, neque deſiderium eos cruciabit, quia adimplebitur. Omnia quę in hoc mundo ſunt, anima mea, famem excitant: & ſicut qui ſomniat ſe manducare, cùm excitatur, eadem qua anteà fame premitur: & qui ſomniat ſe bibere, quando expergiſcitur, eadem qua priùs ſiti affligitur: ita ſe habent illa quæ in hac vita poſſidentur, quęque nobis ſatiare videntur.

23. *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

Compatitur miſericordia laboribus & neceſſitatibus proximi, tam animæ quàm corporis, & illis pro viriłi ſuccurrit. Falſa verò iuſtitia contemnit proximum. Magna ingratitudo eſt, non impertiri pro amore DEI pauperi proximo, ea quæ DEVS largitur nobis. Magna eſt miſericordia DEI, quòd nobis ea quæ ſua ſunt largientibus, æternam beatitudinem polliceatur. Dilige miſericordiam: & te iuſtum eſſe haudquaquam puta, ſi miſericordiam proximis non impenderis. Cùm enim omnes viuamus ex Dei miſericordia: eadem etiam in proximos noſtros miſericordia vti debemus.

24 Miſericordiam conſequentur miſericordes. Sed quanta differentia eſt miſericordiæ à miſericordia. Largimur ex miſericordia proximis bona temporalia, & ex miſericordia Dei, bona æterna, veniam peccatorum, diuinam gratiam, & immortalem gloriam recipimus. Si poſſes viuere

ſine

sine misericordia Dei, posses etiam misericordiam negare proximo tuo: sed cùm fieri non possit, vt vel vnico momento sine Dei misericordia subsistas, cur obliuisceris misericordiæ in proximum? Erubesce igitur quòd tam crudelis & immisericors fueris erga fratrem tuum, cùm Deus nunquam à te misericordiam suam remouerit. Time si misericordiam deserueris, ne incidas in manus iustitiæ ipsius.

25. *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.*

Non sufficit Deo exterior iustitia: ab intus est pulchritudo & gloria filiæ Regis cælestis. Nec paupertas, nec mansuetudo, nec lachrymę, nec fames aut sitis, nec misericordia tua, grata erunt Deo, nisi habueris cor mundum ab omnibus peruersis desiderijs, & immundis atque inordinatis affectionibus. Cor mundum ac liberum est, quod non cogitat mala, quod nullis peruersis intentionibus cõmaculatur, sed omnia ad Dei gloriam & beneplacitum, cui soli placere desiderat, dirigit. Deus est summa puritas, ac proinde illos qui sibi famulantur, mundos vult esse. Est etiam spiritus, ideoq; interiora hominum scrutatur ac peruidet: nec solâ exteriori munditiâ & apparentiâ contentus est, sed interiorem requirit. Tu pati non potes in conspectu tuo seruũ immundum, & vis Deum omnis puritatis fontem & originem te immundissimum in conspectu suo tolerare? Dilige munditiam cordis, si Deum amicum habere cupis.

29. CON-

26. CONSIDERA quantum bonum ſit, videre Deum, cuius viſio beatificat animas. vedebunt beati & videbuntur: quia Deus in domo ſua neminem immundum tolerat; nec oculi cordis, niſi puriſſimi, & à pulueribus, qui illos offuſcare aut contaminare queant, mundiſſimi ſint, Deum contemplari poſſunt: ideò promittitur viſio Dei mundis corde. Inuitet ergò te inſigne hoc præmium, ad cordis munditiam, & totus ad emundandum cor tuum incumbe, quia non decet templum Dei immundum eſſe. *Templum Dei eſtis vos*, dicit S. Paulus Apoſtolus, *& Spiritus Dei habitat in vobis.*

27. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.*

Pacifici ſunt, qui in ſemetipſis pacem cuſtodiunt, qui cum fratribus ſuis pacificè viuunt: qui denique alios concordare ac pacificare ſtudent. Magnæ virtutis ſunt hæc. *Caro*, dicit S. Paulus, *concupiſcit aduerſus ſpiritum.* Tunc autem conciliatur pax inter illos, quando per crebram mortificationem & continua virtutum exercitia franguntur & edomantur appetitiones carnis. Quæ quamuis in hac vita perfectè ſedari nequeant, ita nihilominus mortificari valent, vt nullas vltra vires habeant, nec animæ pacem perturbare poſſint: quia ſi inſurrexerint, à ratione facili negotio reprimuntur. Hic eſt ſtatus nobiliſſimus, in quo ratio eſt domina, & ſubiectam ſibi habet carnem, veluti ancillam. Sed miſer

&-pu-

& pudendus est status peccatorum, vitijs seruientium, in quibus ancilla imperat, ratio autem quæ dominari dubuerat, seruit. *Non est pax impijs*, dicit Dominus. Pax enim illa quam inierunt cum inordinatis appetitibus suis, non est pax, sed pudenda quædam seruitus & carcer. Et cùm ijdem appetitus vitiosi sint illis contrarij, semper in cordibus eorum talis est tempestas, qualis in turbulento & tempestuoso mari, quemadmodum Esaias Propheta testatur. *Impij*, ait, *quasi mare feruens, quod quiescere non potest*. Labora ergo in pacificando corde tuo per exercitia mortificationis, continuumque contra vitia & appetitus inordinatos certamen, quia pax bello acquiritur. *Persequar inimicos meos & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant.*

28. Non potest pacificè viuere, qui in semetipso pacem non habet. *Inter superbos semper iurgia sunt*, dicit Sapiens. Quomodo enim ambitiosus cum eo, à quo se præueniri, officiumque & locum quem desiderabat, sibi præripi conspicit, concordabit? Quomodo auarus cum eo, quem sibi lucra sua auertentem cernit, pacem habebit? Magna mortificatio & ingens prudentia necessaria est illis, qui inter proximos pacificè viuere cupiunt. Multa nobis dissimulanda, multa toleranda sunt, sæpè relinquere debemus commoda nostra, propter pacis conseruationem: frequenter etiam continget vt hæc omnia, propter malitiam pro-

Prou. 1

proximi nihil prosint. Tu verò da operam, vt saltem per te non violetur pax. & pete à Deo prudentiam, quò scias te accommodare omnibus, sine iactura virtutum. sic enim debemus pacem conseruare cum impijs, vt tamen non blandiamur eis, neque vita eorum foueamus: ne inuoluamur peccatis eorum.

29. Qui non modò secum pacificè viuit & cum fratribus suis, sed etiam inter alios pacem componit, perfectus est. Magna virtus, magna sapientia, & specialis gratia huic necessaria est. In hoc quicquid potes, iuxta talentum tibi à Domino collatum, age: quia tantum bonum est pax, vt eam vel modicum promouere ingentis meriti sit. Christus enim factus est pax nostra, & reconciliauit nos DEO: coniunxit etiam duos populos inter se maximè diffidentes, Iudaicum & Gentilem in vna Ecclesia. Qui ergo officium hoc exercent, sunt fratres
Rom. 8. eius, ideoque vocantur filij Dei. Magna dignitas est hæc, cui omnia, quæ mundus habet, comparata, lutum sunt. *Si enim filij, & heredes*, dicit S. Paulus: *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Benedictus sit qui talia nobis bona promisit: & promeritus est, vt ea per gratiam ipsius adipisci valeamus.

30. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est Regnum cælorum.*

Hæc est perfectio & clauis summi huius ædificij. *Qui* enim *perseuerauerit vsq; in fi-*

in finem, salvus erit. Constans in virtutibus perseuerantia, quæ nullis molestijs aut persecutionibus cedit, nec à virtutum studijs impediri potest, sola percipit coronam: ab hoc gradu aditus patet in cælum: atque ideo dicit Christus, horum esse regnum cælorum. Tene fortiter quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Digna est virtus, & dignum est regnum cælorum, quod est præmium virtutis, pro quibus omnes labores & persecutiones quantumlibet graues sustineamus: imò pro quibus etiam mortem, si opus est, acerbissimam libenter oppetamus. O nos beatissimos, si hæc nobis fœlicitas obtigerit! Postula à Deo hanc constantiam & firmitatem, quæ donum Dei est, quamque humiliter petentibus largitur: nihil enim nos eâ tam indignos reddit, quàm superbia, in cuius castigationem Deus nos sæpè labi permittit.

31. *Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentinentes, propter me: gaud e & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.*

Fœlicissima est conditio sanctorum; quorum gloriam totius mundi conatus imminuere ac labefactare non valuerunt. Maledictionibus, persecutionibus & calumnijs hominum, facti sunt illustriores, sicut aurum quod in igne purius fit: & sicut panni linei, qui tunsionibus & smigmatum inunctionibus candidiores redduntur.

32. *Mer-*

32. *Merces vestra copiosa est in cœlis.*

Non est Deus parcus in bonis suis. cùm enim dicat copiosum futurum præmium iustorum, hinc facilè potest intelligi, id futurum absque omni parcitate. Si terrenæ opes, quas Deus in hoc exilio bonis pariter ac malis largitur, sępè homines obstupefaciunt & attonitos reddunt: quales erunt opes illæ, quas Deus solis iustis in præmium virtutum & laborum, quos in hac vita pro Christo passi sunt, conferet? Si tam liberalis est DEVS in dando, qualis
Psal. 118. futurus est in remunerando? *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas, propter retributionem*, ait Propheta Dauid. CONSIDERA diligenter quale sit hoc præmium; quia fieri non poterit, vt non erigat cor tuum, quantumcunque terrenis rebus immersum sit.

33. CONSIDERA per quam semitam & per quam scalam ascenderint Sancti ad gloriam, quâ nunc quietè perfruuntur. Per paupertatem spiritus, per mansuetudinem, per lachrymas, per famem & sitim iustitię, per misericordiam, per cordis munditiam, per pacem, per iustitiam, & patientiam, in persecutionibus. Considera diligenter ad quantam gloriam per hanc semitam pertigerint, videlicet ad possidendum Regnum cœlorum, ad possidendam terram viuentium, ad possidendum terram corporum suorum, quæ post resurrectionem erunt incorruptibilia, impassibilia, clara, & gloriosa, supra quæ habebit anima perfectum

fectum dominium: ad consolationem quam à Deo percipiunt: ad satietatem: ad hoc vt sint vasa, in quibus Deus demonstrat thesauros misericordiæ suæ: ad contemplandum Deum in quo omnia bona conclusa sunt: ad hoc vt filij Dei nominentur & sint; & deniq́ue ad hoc, vt assistant coram Deo & regnent cum ipso, mensæq́ue ipsius in regno assideant & epulentur. Confundantur peccatores, qui à tam eximijs bonis repelluntur, quorum capitibus omnia mala & inferni tormenta imminent. Animentur iusti, & quotidie in iustitia proficere conentur, quia eis immensa hęc bona pręparata sunt. Glorifica anima mea Deum, qui tam liberalis est in creaturas suas. Lauda eum in omnibus Sanctis suis, quos hîc gratiâ & donis suis locupletat, in cœlis verò gloriâ suâ nobilitat & beatificat. Ipsi sit honor & gloria per omnia sæcula sæculorum, Amen.

IN FESTO S. CATHARINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

Matt. 25.  Imile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiàm sponso & sponsæ. De cęlo venit qui nuncium Regni cœlorum nobis attulit. Considera quàm lętum & fœlix hoc sit nuncium, glorifica & ama Iesum Christum huius nuncij latorem.

Matt. 11. *A diebus sancti Ioannis Baptistæ, vsque ad nunc regnum cælorum vim patitur*, dicit Christus: quia Sanctus Christi Præcursor prædicationem suam ab annunciatione regni cœlorum exorsus est, cùm
Matt. 3. diceret: *Pœnitentiam agite; appropinquat enim regnum cœlorum.* Quid verò esset regnum cœlorum, declarauit idem Sanctus Ioannes Baptista, cùm dicit; *appropinquauit*: quia Christus iam erat in mundo, per quem nobis aperiendus erat ingressus ad regnum cæleste.

2. Pudore suffundere, quòd diuitijs terrenis

rebus & bonis transitorijs adeò affixus sis, cùm certò scias superesse Regnum cœlorum. *Nolite*, inquit Christus, *thesaurizare vobis thesauros in terra: thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo.* Stultus esset qui aurum cum luto commutaret: at longè maior stultitia est, cœlum pro terra permutare. Matt. 6.

Regnum DEI, dicit Christus, *intra vos est.* Quamuis adeò desiderabile sit Regnum cœlorum, nihilominus tamen tanta est liberalitas & magnificentia Domini, vt illud posuerit in manibus & potestate tua, diuinâ te comitante gratiâ. Non sunt tibi necessariæ opes, non mundi amicitiæ, non potentia carnis, ad adipiscendum Regnum Dei: non necesse habes peragrare maria, neque Indiam, aut extremos orbis terræ fines petere, ad inueniendam venam hanc ditissimam atque opulentissimam; sed intra te illam habes. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri. si filios, & hæredes*, vti S. Paulus testatur: nec alterius hæreditatis quàm regni Dei. Rom. 8.

4. Regnum cœlorum vocatur Ecclesia militans, etiam dum in præsenti adhuc peregrinatione constituta est; quia is qui eam regit & moderatur, Rex cœlorum est; spiritus qui illam viuificat, Spiritus cœlestis est; leges quibus vtitur, cœlestes sunt: præmium denique quod strenuè laborantibus & dimicantibus promittitur, Regnum cælorum est. Ecclesiastica enim

enim hierarchia imitatur cœlestem. Lauda anima mea DEVM, qui te regni huius membrum fecit. *Gratias agentes*, ait S. Paulus, DEO *& Patri, qui nos dignos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ; in quo habemus redemptionem per sanguinē eius, remissionem peccatorum.* Regni huius inęstimabiles diuitiæ sunt, Fides vera, DEI cognitio sincera sine errorum permixtione, lumē cœleste ad videndam semitam quæ ducit ad regnum cœleste; redemptio à captiuitate diaboli, & remissio peccatorum, quæ extra Catholicam Ecclesiam non reperitur.

Col. 1.

5. Ciues regni cœlorum, quæ alia negotia frequentiùs tractare deberent, quàm cœlestia. *Nostra autem conuersatio in cœlis est*, dicit Apostolus. Quantus ergò pudor quantaque confusio est, nos esse adeo immemores negotiorum cœlestium; vt ea obliuioni tradidisse videamur: in negotijs verò terrenis sollicitissimos esse? Oculos suos, dicit Propheta, *statuerunt declinare in terram*, ne illos ad cœlos erigentes, DEI rerumque cœlestium recordarentur. His similes sunt nonnulli Christianorum, qui magnæ infœlicitatis loco habent, quòd intelligant se creatos esse cœlestis regni gratiā: qui libentissimè, si hoc ipsis à DEO concederetur, æternæ gloriæ renunciarent, si perpetuò in terris manere possent. O ingratitudinem abominabilem, & frenesim detestabilem! Caue ne sis de horum numero,

Phil. 3.

ro, neve vmquam in tam miserabilem statum incidas.

6. *Simile est regnum cælorum virginibus*, quia vti Christus alibi ait, in cælis nulla erunt matrimonia; sed ij qui cum Christo regnaturi sunt, *erunt similes Angelis* DEI. Luc. 20. Hinc intellige carnem nihil habere commune cum cælo. *Non permanebit*, ait DEVS, *Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Gen. 6. *Et non introibit in cælum aliquid coinquinatum.* Apoc. 21. *Beati*, dicit S. Ioannes in Apocalypsi, Apoc. 22 *qui lauant stolas suas in sanguine agni, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem*, cælestem videlicet Ierusalem. *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.* Laua ergo vestes tuas, & execrare omnem immunditiam, si desideras habere partem in regno cælorum.

7. *Vidi*, dicit Sanctus Ioannes, *cælum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur Fidelis & verax, & cum iustitia iudicat & pugnat. Oculi autem eius sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum quod nemo nouit nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomen eius, Verbum* DEI. *Et exercitus qui sunt in cælo sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo.* Apoc. 19 Candidior niue, & clarior stellis cæli fuit humanitas, quam vnigenitus DEI Filius

 assum-

assumpsit, cui velut equo inequitauit, & adscendit, coniungens illam sibi in vnitate personæ, ac ea principem huius mundi profligans. Non possunt oculi eius, qui sunt sicut flamma ignis, sustinere aliquam immunditiem, nec ille qui *fidelis & verax est, & iudicat cum iustitia*, dissimulare potest malitiam. In equis autem albis sedent, qui eum sequuntur, quia qui CHRISTI sunt, vti ait Apostolus, *crucifixerunt carnem suam cum vitiis & concupiscentiis. Vestiti* verò *sunt byssino albo & mundo*, quia necessarium est eis puritatem & castitatem sectari: *Odientes eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam*, quemadmodum ait S. Iudas Apostolus. *Vidi*, dicit S. Ioannes Apostolus, *& ecce agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis. Et audiui vocem de cælo, tamquam vocem aquarum multarum, & tamquam vocem tonitrui magni: & vocem, quam audiui, sicut cytharœdorum cytharizantium in cytharis suis. Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem & ante quatuor animalia & seniores: & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno, & in ore eorum non est inuentum mendacium: sine macu-*

Epist. S. Iudæ.
Apoc. 14.

la enim sunt ante thronum Dei CONSIDERA tales esse musicos, & familiares Domini, qui eum assiduo comitantur. En verò si eximiam & pretiosissimam hanc virginitatis margaritam perdidisti, custodi vt minimum castitatem, vt si volueris, possis saltem à longe sequi eos, qui Agnum sequuntur: & si non poteris exhibere musicam aut cantare canticum virginitatis, exhibeas ei vt minimum musicam castitatis, & cantes canticum continentiæ.

9. *De virginibus*, ait S. Paulus Apostolus, *præceptum Domini non habeo, consilium autem do tamquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis.* Consilium dat, tamquam de re meliori, sublimiori, perfectiori, quàm matrimonium. ideoque paulò post inquit: *Qui matrimonio iungit virginem suam benè facit, & qui non iungit melius facit. Qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt; vt sit sancta & corpore & spiritu. quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, & quomodo placeat viro. Hoc*, dicit idem Apostolus, *ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* CONSIDERA quam sublimis status sit virginitas, & ama illam atque magni æstima, vti par est; cum tanti æstimauerit eam

Dei Filius, vt elegerit Matrem Virginem, & voluerit supra naturæ ordinem Virginem concipere & parere: ne vel in minimo Angelicæ huic virtuti obesset. Virgo fuit sancta Mater Christi: virgo sponsus illius: virgo fuit *discipulus ille quem diligebat Iesus, qui & in cœna recubuit super pectus eius,* & cui moriens commendauit Matrem suam.

10. Virgines erant, quæ apud Gentiles Deæ Vestæ consecrabantur, quarum officium erat, vt conseruarent ignem illum perpetuum in eiusdem Deæ templo conseruari solitum: quarum si aliqua lapsa fuisset, tamquam sacrilega, sepeliebatur viua. Si in eas, quæ perfido dæmoni seruiebant, tam horrendo supplicij genere animaduertebatur: qui virginitatem & castitatem suam Deo virginum & castorum amatori consecrauerunt, qua pœna putas castigabuntur, si promissionem Deo factam violauerint? Agnum sequuntur virgines: sed idem ipse in ferocissimum leonem commutabitur eis, quæ virginitatem & castitatem promissam non seruauerint. *Occurram eis,* dicit Dominus, *tamquam vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum, & consumam eos ibi quasi leo.*

Val. 148.

Psalm 34.

11. Idem est dicere, *Regnum cælorum simile est virginibus,* quàm dicere, *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quæ enim maior vis, quàm in carne viuere sine carne? Et in terris vitam agere cęlestem?

cœlestem? Et cùm sis homo, vitam Angelicam imitari? Sed hæ sunt vires gratię Dei: hæc est fortitudo spiritus Domini: quo adiuuante etiam tenerrimæ ac delicatissimæ puellæ in hac lucta superiores euadunt: quarum multæ sunt in Ecclesiâ Dei, quæ vitam quàm virginitatem perdere malint. Aduerte hinc, vim gratiæ & spiritus diuini, & noli arguere Deum, quasi impossibile illud sit, quod etiam delicatissimæ puellæ adimpleuerunt & adimplent. Agnosce potius, infirmitatem tuam esse, quæ tibi iugum Domini, ex se suaue & leue, asperum reddit & graue.

12. Fideles debent esse virgines, quia necesse habent custodire integritatem fidei, quæ nullam admittit corruptionem mistionis cordium duplicium & mutabilium. *Sponsabo te mihi in fide*, ait Dominus. *Ose. 2.* Quod sponsalitium S. Paulus declarans dicit, illud fieri inter Christum & virginem *1. Cor. 11.* castã; virginem per fidem, quę nullam passa sit errorum corruptionem: & vnam, quia vna est fides. Custodi ergo fidem sine permixtione errorum, alioquin nullam habebis partem in his diuinis sponsalitiis.

13. Decem dicit fuisse virgines, quia fideles rectè cum fide coniungunt obseruantiam decem præceptorum. Fidem & opera exigit à nobis Deus; & sicut nos integros vult esse in fide, ita vult etiam nos esse perfectos in operibus, per omnium mandatorum fidelem obseruantiam. *Qui enim offendit in vno præceptorum*, ait S. Iacobus *Iac. 2.*

Apostolus, *factus est omnium reus*: quia nimirum spreuit legem quæ continet omnia, & summum legislatorem, qui vnum ita præcepit, sicut præcepit omnia.

14. *Accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso & sponsæ.* Non sufficit profiteri fidem & legem Domini, sed etiam necessarium est fidem operibus demonstrare, & in opus conferre illa quæ Deus pręcepit; quod est accipere lampades in manus. *Luceat*, inquit Christus, *lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* CONSIDERA, quàm longe abfueris ab hoc præcepto, qui loco lucis, fumo malorum exemplorum oculis proximorum caliginem offudisti. *Opera tenebrarum*, appellat S. Paulus peccata: & Dauid dicit de peccatoribus, quod *nescierunt neque intellexerunt, & in tenebris ambulant.* Fuge igitur has tenebrás, lucem dilige, & lampadem in manus accipe: vt non modò tu videas, sed etiam alios similiter illumines.

Matt. 5.

Rom. 13.

15. Lampas vitrea est, & in ipsa ardet lumen, quod fouetur oleo. *Habemus thesaurum*, ait Apostolus, *in vasis fictilibus.* Noli superbire, nec efferri propter tua bona opera: cogita fragilitatem tuam & humiliare; quia non tam facilè frangitur vitrum, quàm homo miser ex bono malus efficitur. Considera te à temetipso nihil aliud esse, quàm vas vitreum & terrenum: lumen verò si aliquod in te est, conseruari ab oleo diui-

nx

næ gratię. Ambula igitur in profundissima humilitate coram Deo, ac time ne vas hoc frangatur, & lumen extinguatur.

16. *Exierunt obuiam sponso & sponsæ.* Sponsus est Christus, sponsa est Ecclesia triumphans, de qua dicit S. Ioannes, Quod *vidit ciuitatem sanctam Ierusalem nouam, descendentem de cælo, à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Huic desiderat coniungi & vniri militans Ecclesia. Quamuis enim ea sponsa Christi appelletur, absens nihilominus est, & peregrinatur à sponso suo, gaudens de ipso tantùm per speculum, & in vmbra siue ænigmate, per fidem, non per claram visionem. Felices qui desiderant aduentum sponsi, & exeunt obuiam sponso, vti par est. Væ autem illis, qui fugiunt à Deo. *Populo huic*, dicit Dominus per Ieremiam, *factum est cor incredulum & exasperans, recesserunt & abierunt, & non dixerunt in corde suo: Metuamus Dominum Deum nostrum.*

17. CONSIDERA amorem Dei & blanditias, quibuscum agit nobiscum, appellans se sponsum animarum nostrarum. *Qui habet sponsam sponsus est*, ait S. Ioannes Baptista de Christo. Nullus est sponsus qui tam blandè tractat sponsam suam, quàm Christus animas sanctas. Lege librum Canticorum Salomonis, qui à Spiritu sancto ad hoc conscriptus fuit, vt nos erudiret de communicatione amorosissima & deliciosissima, qua Christus se animabus communicat. Illic videbis, quàm blandè

tractet sponsam, quàm dulcibus verbis illam alloquatur: & obstupesces, quod illa diuina & tremenda Maiestas, ante quam columnæ cæli contremiscunt, se adeò humiliet, vt creaturis vilissimis, nempe homini tam liberaliter se communicet.

18. Hæc gustare non merentur, qui in cœno spurcitierum & immunditiarum suarum assiduò volutantur, qui aliud nihil cogitant quàm quomodo appetitus suos bestiales expleant. *Animalis* enim *homo non percipit ea quæ spiritus Dei sun, computruerunt iumenta in stercore suo* O quantus dolor est intueri animas ad hoc creatas, vt sint sponsæ Dei, coniurasse cum dæmone, & similes factas esse bestiis irrationabilibus, sine sensu ac gustu Dei & rerum cælestium.

19. Magna Dei misericordia est, quod permiserit se inueniri à virginibus, quæ lampadibus accensis ei obuiam processerunt. Sed quantò maior clementia est, quod vocet animam adulteram, vt adultero relicto ad se redeat, veniamque illi spondeat. Audi ergo vocem huius amantissimi sponsi, qui ait per Ieremiam Prophetam: *Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid reuertetur ad eam vltra? Numquid non polluta erit & contaminata mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te. Leua oculos tuos in directum,*

ctum, & vide vbi nunc prostrata sis. In viis sedebas expectans eos, quasi latro insidians in solitudine, & polluisti terram in fornicationibus tuis & in malitiis tuis. Quamobrem prohibitæ sunt stillæ pluuiarum, & serotinus imber non fuit. Frons mulieris meretricis facta est tibi: noluisti erubescere. Ergo saltem amodo voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es. O clementiam, ô benignitatem Dei immensam! Quod erit cor adeo durum, quod his vocibus non emolliatur? quę anima adeo scelerata, quæ non reuertatur ad Deum suum, qui tam inaudita & inusitata benignitate eam vocat.

20. Ex his decem virginibus, *quinque erant fatuæ, & quinque prudentes.* In hoc mundo mali permixti sunt bonis, frumentum paleis, virgines stultæ prudentibus, & pisces boni malis. Dominus autem tam interminatæ bonitatis est, vt omnes hos patienter sustineat, omnibus beneficia sua offerat, & sæpenumero se liberaliorem exhibet malis quàm bonis, vt sic perueniant ad agnitionem sui. Sed væ illis, qui contemnunt patientiam Dei. *An diuitias* Rom. *bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis?* dicit Sanctus Paulus Apostolus. *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius.*

21. Horrendum est, quod inter illas quę sunt virgines, & aduentum sponsi expectant, eique obuiam cum lampadibus prodeunt, aliquæ reperiantur stultæ, quibus cælestis regni portę claudantur, & quidem ex decem quinque. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Nullus est status securus in hac vita. Adam peccat in Paradiso. Dauid electus à Deo committit adulterium, quod cumulat homicidio. Salomon dilectus à Deo & ingenti dotatus sapientia, à mulieribus seductus est. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Si es virgo, noli superbire, ne efficiaris virgo stulta. Si à multo tempore gestas lampadem accensam in manibus, atque in virtutibus & bonis exemplis perseueras, noli de te inaniter præsumere, ne lampas tibi ex manibus excidat, eaque confracta in tenebris & densa caligine propter inanem tuam præsumptionem verseris. *Cum metu & tremore*, dicit Apostolus, *salutem vestram operamini.*

22. Priùs meminit fatuarum virginum quàm sapientum, quia vt stulti simus, habemus à nobismetipsis: vt autem sapientes simus, venit nobis è cælo. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me est auxilium tuum.*

23. Malas appellat fatuas, & bonas sapientes, quia nullum est opus ad quod maior necessaria sit sapientia, quàm ad perseuerandum in virtutibus. Nec maior est stultitia, quam viam quæ ad cælos ducit deserere, & semitam quæ ad inferos tendit

tendit eligere. *Nolite*, dicit S. Paulus Apostolus, *fieri insipientes, sed vt sapientes.* Et Propheta Isaias, maiorem testatur esse insensibilitatem peccatorum quàm bestiarũ irrationabilium. *Cognouit*, dicit, *bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Stultus est peccator, quantumcumque sibi videatur esse sapiens. Deus illi nomen hoc imposuit: *Sapientes sunt vt faciant mala, benè autem facere nesciunt.*

24. *Quinque fatuæ, acceptis lampadibus suis, non sumpserunt oleum secum. Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* Stultorum est considerare tantum præsentia, sapientum autem est etiam prouidere futura. Quantumcumque firmum ac stabile sit propositum tuum, cogitare debes hoc oleum paulatim consumi, & nouas se occasiones & tentationes offerre, quæ te facilè deiicere possint à proposito tuo, nisi aduersus eas bene munitus fueris. Qui vento admodum prospero nauigat, dum minimè cogitat tempestas exoritur, nautasque incautos in extremum submersionis periculum coniicit. Ascendit Dauid in solarium domus suæ, & propter negligentem oculorum custodiam, in momento mors introiuit per fenestras eius. Præpara te igitur, anima mea, contra tentationes & occasiones præsentis vitæ, per orationem & confidentiam in Deo: su-

spira semper pro diuina gratia, & virginibus sapientibus, quæ acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus, annumeraberis.

25. Oleum habet secum, qui in bonis operibus quæ facit, gaudium interius tantummodo quærit, quod nascitur ex testimonio bonæ conscientiæ, & quod Deo, cuius gloriam & beneplacitum in omnibus suis operibus spectat, actiones suas placere cognoscat. Exterius verò gaudium quærit, qui non Deo, sed hominibus inaniter placere desiderat. Verè fatuę virgines sunt, quæ hoc oleo nutriunt lampades suas; cum ea, quibus sibi acquirere regnum cælorum possent, pro re vilissima commutent. *Amen dico vobis*, dicit Dominus, *receperunt mercedem suam.*

Matt. 6.

26. *Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt.* Proprium est humanæ fragilitati, non perseuerare semper in vno eodemque feruore; etiam in illis, qui pietatem colunt, negligentiæ quædam reperiuntur. *Quasi pannus menstruatæ omnes iustitiæ nostræ.* Si considerauerimus statum totius Ecclesiæ, & contulerimus nostra tempora, etiam illa quæ nos præcesserunt, cum temporibus primitiuæ Ecclesiæ; inueniemus has virgines iam dudum dormitasse & dormiuisse. Si etiam consideret vnusquisque seipsum, quantumcumque feruens & diligens sit in diuinis obsequiis, inueniet se nonnumquam dormitare, & quasi somno negli-

Isa. 64.

gentiæ

gentiæ consopiti. Deus nos relinquit subinde nobismetipsis, ne obliuiscamur quales simus, & vt in humilitate coram ipso ambulemus, quandoquidem tam sæpe fragilitatem nostram experimur.

27. *Dormitauerunt & dormierunt* virgines; sed sponsus qui eas custodit, semper vigilat. *Non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel.* Quid futurum esset de nobis, qui tam multis inimicis circumdati sumus, si tali custode careremus?

28. Dormitantes capite nutare & offendere solent, sicque excitari. Idem solet accidere amicis Dei, quibus omnia cooperantur in bonum, qui ex casu plerumque excitantur, & circumspectiores fiunt. Sed væ illis, qui cum quotidie labantur, & comminuant capita sua, non tamen emendant se, nec à somno vitiorum excitantur; & sicut Sisara somnum mortis capiunt, qui quando excitantur, in inferno, vbi nulla est redemptio, se constitutos inueniunt.

29. *Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei.* Venit Dominus instar furis, quando minimè putamus. Vult autem nos ignorare horam aduentus sui, vt omni hora parati simus; atque in eo nostram tantummodo vtilitatem quærit: scit enim nos adeo amicos esse propriorum commodorum, vt si horam aduentus eius sciremus, conuersionem nostram vsq; ad illud tempus prorogaremus: reliquum verò temporis in magna salutis nostræ negligentia transigeremus. Ex quo fieret,

fieret, vt nos præparare volentes, rationem id faciendi non inueniremus, atque in fine meritis pauperrimi essemus. Glorifica anima mea Deum, qui omnia ordinat ad tuum profectum.

30. *Ecce sponsus venit.* Dulce nuntium pro sponsa fideli, sed pro ea quę cum adultero est horrificum: *Zelus enim & furor viri non parcet in die vindictæ.* Tamquam sponsus veniet ad sponsas fideles, sed tamquam seuerus Iudex aduersum adulteras. *Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis.* *Mihi viu re Christus est*, dicebat Apostolus, *& mori lucrum.* Felix sors iustorum, quibus mori est ire ad nuptias, quia tota vita illorum fuit præparatio ad sponsi cælestis aduentum.

Prou. 6

Soph. 1.

Phil. 1.

31. *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Clamor Domini potenter nos excitat. Profundissimo somno consopitus est, qui hac voce non excitatur. Multi incipiunt, sed pauci perseuerant vsque in finem; perseuerantia verò sola coronabitur. Non prouiderunt sibi de oleo virgines fatuæ, ideoque extinguuntur earum lampades, & pergunt ad comparandum sibi oleum, quando iam non est amplius tempus merendi. Præpara ergo te dum tempus est, resolue negotia conscientiæ tuæ, omnia rectè dispo-

dispone, & ordina rationes inter Deum & animam tuam, quia valdè difficulter hoc facies in hora mortis, quando cum doloribus & angustiis mortis conflictabe-ris.

32. Audito sponsi aduentu, primum animaduerterunt fatuæ virgines lampades suas extingui seque opus habere oleo. Nos modo decipimus nosmetipsos; & proprius amor facit, vt nobis placeamus in operibus nostris extrinsecis, quæ non sunt sociata vera charitate & interiori iustitia: sed sponso veniente, qui est scrutator cordium, & non est contentus exteriori apparentia, sed oculos figit in interiora sponsæ, quæ virtutum ornamentis decorata esse vult, incipient nobis displicere, quæ primo placebant, & lampades, quas ardere putabamus, extinguentur. Ne igitur patiaris te modò circumueniri ab amore proprio, sed examina seuerissimè opera tua, quæ examinanda sunt à iustissimo iudice, coram quo ne Angeli quidem mundi sunt.

33. *Responderunt prudentes dicentes: Ne forte non sufficiat nobis & vobis, ite po-* Gal. 6
tius ad vendentes & emite vobis. Vnusquisque reddet rationem pro semetipso & portabit onus suum. Tam enim seuera & stricta erit huius rationis exactio vt quisque sibi vix ad reddendam de semetipso rationem bonam satis futurus sit. *Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebũt?* Quæ igitur maior stultitia, quàm huius

ratio-

rationis, quam Dominus à nobis seuerissimè repetiturus est, vix vmquam meminisse, & eam, quam iustissimi & sanctissimi viri quique formidant, non extimescere? imo tam securè viuere, quasi omni periculo defuncti essemus?

34. Interim dum in hoc mundo viuis, comparare potes tibi oleum diuinę misericordiæ, si in misericordiis in proximum
Matt. 1. exercendis negligens non fueris. *Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Ideoque Daniel consuluit Nabuchodonosor regi vt *peccata sua elee-*
Dan. 4. *mosynis redimeret, & iniquitates suas misericordiis pauperum.* Fac hoc, dum tempus habes, ne cum volueris non possis.

35. *Dum autem irent emere venit sponsus, & quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias.* CONSIDERA, quales sint hæ nuptiæ: in quibus non in speculo, nec in vmbra aut ænigmate, sed facie ad faciem Deo & sponso suo, atque in ipso omnibus simul deliciis & voluptatibus perfruitur: & in quibus complexu perpetuo & inseparabili sponsum suum amplectitur; & dulcissimum illud osculum ab eo accipit, quo ei communicatur æternæ gloriæ suauitas.

36. *Clausa est ianua:* & quidem ita obserata, vt nullus possit intelligere quid intus agatur, præter illos qui intrinsecus sunt, & gaudiis illis perfruuntur.

37. *Clausa est ianua* dicit. Lętificat plurimum audire, quod intrarint virgines cum sponso

ſponſo ad nuptias, ſed ingentem triſtitiam adfert audire, quod clauſa ſit ianua. Nunc ianua quantaquanta eſt patet, & inuitaris ad ingreſſum. Feſtina igitur ingredi, antequam obſeretur.

38. *Nouiſſime veniunt & reliquæ virgines dicentes: Domine, Domine aperi nobis. At ille reſpondens ait: Amen dico vobis, neſcio vos.* Nulla hic mentio fit, quod ſecum attulerint oleum; quia Chriſtus per hanc parabolam nos inſtruere volebat, neceſſarium nobis eſſe, vt ſemper ſimus parati ad ipſius aduentum: nec differamus præparationem hanc de die in diem: qui enim hoc agunt, ea plerumque pœna caſtigari ſolent, vt quando tempus bene agendi quærunt, non inueniant: & etiamſi inuenirent, non tamen eſt ſecurum differre pœnitentiam vſque ad finem vitæ, quando id quod agimus potius coacti, quam ſpontaneè facimus.

39. CONSIDERA, quam durum verbum ſit, *Neſcio vos*. Quis te agnoſcet, ſi ille qui te fecit, non agnouerit? Cognoſce illum, vt & ipſe te agnoſcat, & è domo ſua non expellat. Caue ne domum illius egrediaris, ne fortè poſtea cum redieris, & ingredi volueris, oſtium clauſum reperias.

40. *Vigilate itaque*, dicit Dominus, *quia neſcitis diem neque horam*. Gloria & benedictio ſit huic optimo Paſtori, qui valdè ſollicitus eſt de nobis, atque efficaciſſimis verbis nos hortatur, vt vigilemus.

mus. Qui te monet, est ille qui te redemit; & quia magno pretio ab eo emptus es, vehementer dolet de tua perditione. Cuius monita si repuleris, ipse tibi ostium obserabit, atque à se repellet, dicens: *Nescio te.* Audi ergo illum misericorditer admonentem, ne audias eum postea te iustissimè à se repellentem. Ego Domine semper vigilabo in obsequiis tuis, quia tu semper excubas in mei custodia. Ego nullis molestiis & laboribus in seruiendo tibi fatigabor, quia tu, qui es vita Sanctorum, propter me vsque ad mortem defatigatus fuisti. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Laus, Honor, Gloria, & Gratiarum actio Deo & Beatissimæ Virgini Mariæ.

FINIS.

AP-

APPROBATIO.

MEditationes hę, dictę, PANIS QVOTIDIANI, siue sacrarum Meditationum libri sex, in escam spiritualem animæ propositi à Reuerendo ac Eruditissimo Domino Benedicto Haesteno, Reformati Monasterij Affligeniensis Ordinis S. Benedicti Præposito, solidam pietatem & singularem deuotionem continentes, meritò typis mandari poterunt. Antuerpiæ, hac 11. Febr. 1629.

ZEGERVS VAN HONTSVM,
Canonicus & Pœnitentiarius Antuerpiensis, Lib. Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei gratia Hispaniarum, Indiarum, &c. Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit, ne quis præter *Hieronymi Verdussij* Typographi Antuerpiensis voluntatem, PANEM QVOTIDIANVM, *siue Sacrarum Meditationum libri sex, ex diuersis Auctoribus desumpti per* BENEDICTVM HAEFTENVM *Præpositum Monasterij Affligemiensis Ordinis S. Benedicti*, ad sexennium in Belgio imprimat, aut alibi impressum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui secus faxit, confiscatione Librorum & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in Litteris datis Brûxellæ die 6. Martij, 1629.

Signat.

WOVWER.

